BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXII
B
40
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

LXII
B
40-42

MEMORABILIA
ITALORVM
ERVDITIONE PRAESTANTIVM
QVIBVS VERTENS SAECVLVM GLORIATVR.

3°.
1748

Digitized by Google

IO. LAMI
MEMORABILIA
ITALORVM
ERVDITIONE PRAESTANTIVM
QVIBVS VERTENS SAECVLVM
GLORIATVR.

TOMVS I.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

FLORENTIAE. MDCCXXXXII.
Ex Typographio Societatis ad Inſigne Centauri.

CVM ADPROBATIONE.

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI
D. D. IOSEPHO MARIAE
EX COMITIBVS TONENSIBVS
EPISCOPO GVRCENSI.
SERENISSIMAE INVICTISSIMAEQVE
REGINAE HVNGARIAE
APVD PONTIFICEM MAXIMVM
ABLEGATO PRAESTANTISSIMO.
DOCTISSIMO
SACRAE ROMANAE ROTAE
AVDITORI TOPOTERETAE.
VIRO
OMNIGENIS VIRTVTIBVS ORNATISSIMO.
LITTERARVM BONARVMQVE ARTIVM
FAVTORI MVNIFICO.
DOMINO MEO
MAXIME OBSERVANDO.
IO. LAMIVS
DEDICO CONSECROQVE.

QVi nam alii, quam CELSITVDINI TVAE REVERENDISSIMAE, Commentarium

hunc, *Memorabilia Italorum Eruditione praeſtantium* complectentem, nuncupare debueram, PRAESVL AMPLISSIME, qui exactiſſima omnium doctrinarum, diſciplinarumque cognitione praecellis; & Muſas, litteras, egregiaſque artes, Tuo patrocinio dignaris ac foves; mihique non ſemel ſpontaneae erga me, meaque ſtudia, propenſionis ac benevolentiae argumenta clariſſima praebuiſti? Adde quod Reginae illius Auguſtae, Inclitae, Invictae, cuius TV Orator praeclariſſimus apud Pontificem Maximum emines, divina decora, & laudes inſignes Commentarius hic aliquatenus celebrat, dum FRANCISCI Lotha-

tharingi, Magni Etruriae Ducis Sereniſſimi, res praeclare geſtas, & maxima erga litterariam Rempublicam merita percurrit atque explicat; quare iam conſentaneum videatur ei, qui tantae Principis negotia gerit, dedicare opus, quod ex Auguſti Nominis commemoratione iam pene totum Regium, & in primis ſubſpiciendum evaſit. Vt enim adamas auro incluſus mirantium oculos ad ſe unice convertit, & fulvi metalli moles, quae eum conligat, adſpectantium intuitu ob eum praecipue digna cenſetur, qui pretium omne ac decus in ſe unum transfert; ita Reginae potentiſſimae virtutes eximiae, & Sereniſſimi eius Viri praeco-

nia, libellum meum ſua maieſtate totum implent, & univerſum ſibi quodammodo vindicant: Quid autem dicam de vetuſta Tuae Gentis nobilitate ac praeſtantia, quae in Tridentina ditione a remotioribus ſaecúlis Toni Caſtrum poſſedit; cui late dominatae ac potenti Conſtantienſis Concilii Patres Tridentinum Epiſcopum a Tirolis Reguli perſequutione defendendum prudentiſſime commendaverunt; ex qua tot Heroes prodierunt domi militiaeque clariſſimi? Talis fuit *Sigiſmundus Tonenſis* Ferdinandi Imperatoris ad Synodum Tridentinam Orator; talis *Guidobaldus* Iuvavienſis & Ratiſponenſis Antiſtes; talis *Ioannes Erneſtus*

& ip-

& ipſe Iuvavienſis Archiepiſcopus; talis Paſſavienſis & Gurcenſis Epiſcopus *Vinceslaus*; talis *Franciſcus* Melitenſis Trierarchos, Equeſtriſque illius Ordinis Magnus, ut vocant, Prior; talis *Maximilianus* Aurei Velleris Eques; tales denique *Sigiſmundus Alfonſus* Brixiae & Tridenti Princeps & Praeſul, *Rodulfus* Epiſcopus Secovienſis, *Dominicus Antonius* Tridenti nunc Princeps & Antiſtes celſiſſimus, *Iacobus Maximilianus* aeque ac TV Gurcenſis Epiſcopus, cui in Cathedra iure merito ſucceſſiſti; *Franciſcus Auguſtinus*, *Carolo VI.* Caeſari a ſanctioribus conſiliis, & *Vigilius Baſilius* Equeſtris D. Ioannis Ieroſolymitani Ordinis Commendator,

duo

duo Tui Avunculi eminentiſſimi. Sed quaſi tot dotes, tot laudes, tot decora, tot praeconia minime ſufficerent, ecce & inclitae domus de *Wolskentein* claritati materni ſanguinis iure coniungeris, ut *Altempſiorum* ſimul, *Madruzziorum*, *Langiorumque* nobilitatem excellentiamque participes; & fulgentiſſimos virtutis veluti hereditariae, atque honoris gloriaeque domeſticae radios undique iaculeris ac vibres. Quot quantoſque ſtimulos clariſſima Maiorum Tuorum, atque huiuſmodi Heroum, exempla animo Tuo nobiliſſimo adderent, quo in Gloriae templum, a Phoebo Muſiſque immortalitati conſecrandus, pe-

dem

dem inferres, niſi iam Tua ſponte illuſtre huiuſmodi ſtadium percurreres, & clariſſimis celebrandiſque argumentis oſtenderes, quanti TV, Muſegetes doctiſſimus & munificentiſſimus, cultos eruditoſque homines, politiores litteras, ſcientias, diſciplinas, liberaleſque artes facias; quantum eas proyehas & exornes, quam valido patrocinio tuearis ac foveas? TIBI igitur, CELSISSIME PRINCEPS, hic meus qualiſcumque Commentarius merito conſecrandus fuit, a quo in clientelam ſuſceptum iri ſperare eſt, atque ita vitilitigatorum, invidorumque hominum, obtrectationes & morſus evitaturum, quaſi in excelſa ac tu-

tiſſima Praeſtitis Numinis ae-
de & inviolabili aſylo conlo-
catum. Sed iam videre videor
TE, EPISCOPE SANCTIS-
SIME, ea lenitate incredibili,
ſuaviſſima adfabilitate, animo-
que ad omnes demerendos pro-
penſiſſimo, quibus virtutibus
& avita decora illuſtras, &
Deo ſacrorum hominum exem-
plar laudatiſſimum emicas, mu-
nuſculum noſtrum aequi boni-
que conſulere; pacatoque vul-
tu meum animum erigere,
iam minus timentem ab acri il-
lo Tuo ſubactoque iudicio,
quo Vir doctrina & eruditio-
ne praeſtantiſſimus iuſtam, exa-
ctam, neceſſariamque in alie-
na ſcripta, & Eccleſiaſtica in
primis, cenſuram exerces, re-

ſte ac ſapienter ratus, plus dedecoris Eccleſiae, quam laudis, adferre, fabulis & anilibus narrationibus admiſtis lutulenta volumina. Iam pro tanta Tua benevolentia, pro tanto beneficio, pro humanitate ac benignitate tanta, quibus abunde TE praeditum & in hac urbe noſtra, quum in ea verſareris, adgnovi, grates TIBI incredibiles ago, & ſi poſſem etiam referrem; Deumque Opt. Max. precor, ut TE nobis in longa tempora ſoſpitem, felicemque conſervet, atque ita bonarum artium patrocinium, & Eruditorum ſpem diuturnam efficiat. Dabam Florentiae Pridie Kal. Ianuar. Anno R. S. MDCCXLII.

CANDIDO LECTORI

IO. LAMIVS S. D.

*****

QVum nihil utilius ſit quam litterariam hiſtoriam cum veterem, tum recentiorem, noſſe, ut doctrinarum originem & progreſſum intelligamus; recentiorem autem ſaepe neglectam videamus: animum induxi Italorum doctrina & eruditione illuſtrium, qui hoc verrente ſaeculo vixere, vel adhuc vivunt, Memorabilia quaedam litteris mandare, & res eorum geſtas praecipuas, & quaſcumque lucubrationes vel ediderunt, vel ſcriptas reliquerunt, diligenter recenſere, ita ut Eruditorum curioſitati abunde ſatisfiat. Quo vero citius atque commodius eorum votis indulgeremus, duo fo-

lia

lia ſingulis menſibus typis excuſa vulgavimus, & Latino quidem ſermone exarata, ſed planum, ſimplicem, ac minime laciniosum, ſtilum adfectantes; quae quidem omnia heic ſimul iuncta & collecta, Lector candide, habes. Quum vero Eruditorum quorumdam vitae ab aliis ſcriptae iam fuerint, nobis ſatis fuit eas, vel integras, indicato Auctore, hiſce Memorabilibus inſerere; vel in compendium prolixiores contrahere; vel tantum in Latinum ſermonem ex Italico, aut Gallico, vertere. Earum, quae nullum Auctoris indicium praeferunt, ſcriptor ipſe fui; qui ad hanc provinciam ſuſcipiendam laudabili quadam aemulatione compulſus Gallos, Germanos, alioſque cultiſſimos populos imitari volui, qui ſuae gentis hominum eruditione praeſtantium facta dictaque litterarum monumentis diligentiſſime in dies conſignant. Illorum laudibus Italia noſtra iure certare poteſt; quod quidem meus hic labor luculentiſſime demonſtrabit.

ME-

MEMORABILIA ITALORVM ERVDITIONE PRAESTANTIVM

Quibus vertens Saeculum gloriatur.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX.

A *Benedicto XIII.* Pont. Max. ſplendidum initium ſumentes coepta noſtra auſpicamur. Hic ex *Vrſinia* gente inclita, *Ferdinando* Gravinatum Duce, & *Ioanna Frangipana Tolphia*, parentibus Romae ortus eſt IV. Non. Febr. anno MDCXLIX, & *Petrus Franciſcus* adpellatus. Adoleſcens humanioribus litteris, Philoſophiae, & Iuris cum Civilis, tum Pontificii, prudentiae, in patria operam navavit, optimis Praeceptoribus in diſciplinam traditus. Adeo vero in litteris profecit, ut Epigrammatum Sacrorum libellum tenera adhuc aetate in lucem emiſerit. Patre defuncto, luſtrandi Italiam obtentu Venetias ſe conferens, in Cucullatorum, qui Praedicatores vocantur, fami-

liam, non ſine matris, & conſanguineorum indignatione, cooptatus eſt; quod quidem anno MDCLXVII. contigiſſe deprehendimus. Itaque ſolemnibus deinde votis obſtrictus, Philoſophiam ac Theologiam Neapoli, Bononiae, Venetiis profeſſus eſt; Brixiae etiam, ubi *Antonium Barbarinium* Cardinalem vita functum, funebri oratione laudavit; & Apologeticam Epiſtolam adverſus *Ioſephum Ciantem* Marſorum Epiſcopum vulgavit, qua Monachicum habitum a Monachis Epiſcopis deferendum eſſe pertendebat. Vt ſacrarum litterarum ſtudiis prolixius vacaret, incoenatum dormire, & poſt nocturnam Pſalmodiam ſomnum non repetere, mos illi fuit. Anno MDCLXXII. quum Bononiae moraretur, ſacro feriarum eſurialium tempore conciones habiturus, a *Clemente* X. Pont. Max. Presbyter Cardinalis, licet invitus, renunciatus eſt; a quo etiam anno MDCLXXV. Archiepiſcopatum Sipontinum accepit; ubi triennio poſt Synodum Dioeceſanam coegit; cuius decreta uno volumine, altero appendicem complexus eſt; utrumque vero typis vulgavit. Sed & nova editione in memoriam ac uſum hominum revocavit ſtatuta Provincialis Concilii Sipontini ſub *Ptolemaeo Gallio* Cardinali & Archiepiſcopo habiti anno MDLXVII. quae oblivionis caligine obruta iacebant. Veruntamen anno MDCLXXX. quum Sipontinum populum multis beneficiis cumulaſſet, ab *Innocentio XI.* Pont. Max. ad Caeſenatem Eccleſiam translatus eſt: ubi aerem inſalubrem expertus, ab eodem Pontifice Maximo anno

MDCLXXXVI.

MDCLXXXVI. Eccleſiae Beneventanae praeficitur, in cuius templi inſtaurationem magnam pecuniae vim impendit. Heic Kalen. Iun. de laudibus Deiparae conciones ad populum habere coepit, quem morem ſervavit ſemper, quotiens in civitate adeſſet; eaſque fore bis millies habuit, quarum centum tantum ſelectas formis excuſas in vulgus prodidit. Quum XXXVIII. annis, antequam Pontifex Maximus electus eſſet, huic Eccleſiae praefuiſſet, totidem Synodos celebravit; & ſex, poſtquam Pontificatum Romanum adeptus eſt. Anno inſuper MDCXCIII. menſe Aprili Concilium provinciale coegit, cui quatuordecim Samnii provinciae Epiſcopi ſuffraganei interfuere; alterumque ſimile Concilium quinquennio poſt congregavit. Dum autem pius Antiſtes ſuam Eccleſiam tutela, largitionibus, optimis inſtitutis, & omnis generis beneficiis iuvat, litterarum ſtudia ita non intermittit, ut de eo *Alexander Borgia* Firmanus Archiepiſcopus, qui nuper eius vitam edidit, ita loquatur: *Praeter Sermones Marianos, & Synodicon Dioeceſanum, quorum ſupra meminimus, edidit etiam anno MDCXCV. Synodicon Provinciale Beneventanum, in quo collectis Actis omnium Conciliorum Provincialium, quae in ea Metropoli vel a Summis Romanis Pontificibus, vel a ſuperioribus Archiepiſcopis celebrata fuerunt; eruditas addidit notas, inſeruitque primum ſuum Provinciale Concilium, & in egregium Volumen opus excrevit. Duo quoque edidit volumina lectionum in Exodum, ac duodecim conciones ad populum de tempore ſacratiſſimae Quadrageſimae ac Paſchatis, & ſexaginta Sermo-*

nes de purgatione Animarum e corporibus excedentium, ſuffragiiſque adhibendis, & alia opuſcula. Nec mirum has, & plures alias ineditas a Cardinali Vrſino exſtare lucubrationes; ipſe enim (ut de Nepotiano ſcribit Hieronymus) lectione adſidua ac meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti. Praeſtantes etiam ſacris litteris viros ſemper inter familiares habuit, quos benigne reſpicere, & pro meritorum ratione beneficiis augere conſuevit. Itaque anno MDCCXXIV. IV. Iun. Cardinalis *Vrſinius* Pontifex Maximus renuntiatus eſt, & *Innocentio* XIII. ſuccedens *Benedicti* XIII. nomen adſumſit. Anno inſequenti Iubilaeum rite celebravit, & Provinciale Concilium Romae coegit, cuius Decretis ſubſcripſere ipſe Pontifex, Cardinales XXXII. Archiepiſcopi VI. Epiſcopi XXXIX. Abbates III. Procuratores abſentium XXXV. Inter curas huiuſmodi, Poeſis hoc ipſo anno apud *Benedictum* ſine honore non fuit. Quum enim Magna Etruriae Princeps *Violantes Beatrix a Bavaria* Romam religionis cauſſa conceſſiſſet, & ſecum etiam *Bernardinum Perfectium*, Equitem Senenſem, in comitatu duxiſſet; huic ſummam extemporanei carminis gloriam adepto, & ob eam facultatem magnis Principibus valde probato, Pontifex coronam, admirandi cantus praemium, in Capitolio Romano decrevit. Maxima omnium ordinum frequentia III. Nonas Maii Laurea data, mirantibus cunctis non tam inſuetae actionis celebritatem, quam mentem ingeniumque Poetae, qui ad quodcumque Italici carminis genus, quocumque argumento propoſito, divino quo-

quodam furore percitus, ſe paratum oſtendit; nec minus adpoſite, quam eleganter cantavit. Illa quoque Pontificis animum cura tenuit, qua Academiam Theologicam, ut vocant, ſub *Clemente XI.* opera praeſertim *Raphaelis Coſmae Hieronymi* Florentini, Romae inſtitutam, & ab eodem Pontifice Maximo Apoſtolicis litteris confirmatam, conſtituto ei loco in Archigymnaſio Romano, & privilegiis indultis, miro favore proſequutus eſt. Non ſolum enim quidquid *Clemens* conceſſerat confirmavit, verum etiam ex Datariae, quam vocant, emolumentis ſibi obvenientibus, mille aureos, inter viginti illius Coetus collegas quotannis diſtribuendos, adſignavit: illumque interdum praeſentiae ſuae maieſtate nobilitavit. Anno inſequenti, hoc eſt MDCCXXVII. librum Caeremonialem Epiſcoporum, piis ac doctis viris adhibitis, emendavit. Anno MDCCXXIX. quum iterum Beneventum profectus eſſet, Concilium Provinciale in illa Eccleſia convocavit; non enim, iam Romanus Pontifex, Archiepiſcopatum illum *Benedictus* unquam reſignaverat. Denique anno MDCCXXX. die XXI. Februarii naturae conceſſit, annos natus LXXXI. & amplius XX. dies, quum Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales XXIX. adlegiſſet, inter quos doctos etiam eruditoſque Viros *Vincentium Petram* Neapolitanum, *Angelum Mariam Quirinum* Venetum, *Proſperum Lambertinium* Bononienſem, nunc *Benedictum XIV.* Pont. Max. *Gregorium Sellerium* Sacri Palatii Magiſtrum, & *Vincentium Ludovicum Gottium* Bononienſem. Prolixus in ſuperos, liberalis in pauperes, adfabilis omni-

bus, parcus ſibi ac modeſtus, & orationi ac ſtudio deditiſſimus, *Benedictus* fuit; & quidquid alii de rerum eius geſtarum tenuitate dicant, illud tamen certum exploratumque eſt, tria grandia atque ardua coepta ſub manus illi ſucceſſiſſe, quae a predeceſſoribus ſuis fruſtra atque inutiliter tentata fuerunt. Ea ſunt, Comaclum oppidum Eccleſiae Romanae a Caeſare reſtitutum: Conſtitutio *Unigenitus*, quam *Clemens XI.* ediderat, ab Archiepiſcopo Pariſiorum Cardinali *Noailleo* recepta & probata: de iure Legationis Apoſtolicae in Sicilia, quam Monarchiam adpellant, inter eum & *Carolum VI.* Auguſtum Tranſactio. Habitu corporis *Benedictus* mediocri fuit, capite recalvaſtro, fronte ſpatioſa, naſo recurvo, vultu intrepido, & rubeſcenti. Eius Opera ſunt quae ſequuntur:

Epigrammatum Sacrorum libellus.

Oratio funebris in Antonium Barbarinium Cardinalem.

Epiſtola Apologetica pro regulari habitu a Regularibus Epiſcopis deferendo, in Ioſephum Ciantem ex ordine Praedicatorum, Marſorum Epiſcopum, qui adverſam ſententiam tuebatur.

Synodus Dioeceſana Sipontina, duobus Tomis.

Synodus Provincialis Sipontina anni MDLXVII. rurſus ab eo edita.

Epiſtola pacifica ad Clerum, & Populum Beneventanum.

Sermones Mariani. Florentiae ex Typographia Bernardi Paperinii in folio.

Synodicon Dioeceſanum Sanctae Beneventanae Eccleſiae, continens Synodos XXXVIII.

quas

quas ante Pontificatum Romanum celebravit. Beneventi ex Typographia Archiepiſcopali anno MDCCXXIII. *in folio*.

Synodicon Provinciale Beneventanum, ſcholiis & obſervationibus illuſtratum,

Lectionum in Exodum Volumina duo.

Synodus Provincialis Beneventana.

XII. *Conciones Quadrageſimales.*

LX. *Sermones de purgatione Animarum corpore ſolutarum.*

Concilium Provinciale Romanum.

Epiſtolae plures, & alia Opuſcula inedita.

PHILIPPVS BONAROTIVS.

P*Hilippus Bonarotius* Florentinus, gente Patricia, natus eſt anno MDCLXI. Nil mirum autem ſi in virum litteris & doctrina praeſtantem evaſerit, quum in egregiis ſtudiis, eximiiſque artibus perſequendis, non tam extraneorum exempla imitatus ſit, quam maiorum ſuorum veſtigiis inſtiterit. Nam & *Michael Angelus Bonarotius*, Pictor, Sculptor, Architectus plane divinus, & Poeta elegantiſſimus; & *Michael Angelus* alter iunior, patriae Hiſtoriae peritia, & Tuſcanicae Poeſeos facultate memorabilis, eius ſtemma nobilitarunt. Pater *Leonardus Bonarotius* fuit; mater vero *Iunipera Martellinia*, *Iacobi Martellinii* ſoror, qui *Galilaei* illius aeterni auditor fuerat, & litteris ac diſciplinis, Phyſicaeque cognitione, adprime inſtructus habebatur. Itaque *Philippus*, quum litteris imbutus in patria fuiſſet, Romam a patre miſſus eſt, ut iu-

Iuris, aliarumque doctrinarum peritus evaderet; ſed heic amoeniorum litterarum amore vehementer incenſus, iuriſprudentia Pragmaticorum paullo negligentius tractata, in veterum Scriptorum Graecorum Latinorumque lectionem, & eruditae antiquitatis ſtudium & comprehenſionem, totus incubuit. Romae enim a Cardinali *Caſpare Carpineo* inter familiares ſuos adſcitus, & Bibliothecae, Muſeoque, quod inſigne habebat ille, praefectus, ſtudiorum iucundiſſimorum illecebra captus eſt. Quod autem notatu digniſſimum arbitror, eſt, eum adhuc adoleſcentem adeo in *Vitruvii*, Auctoris difficillimi, lectione ſe occupaviſſe, ut late eum excerpſerit, & utilia quaeque in ſuum uſum exſcripſerit. Non tamen ita optimorum temporum Scriptoribus evolvendis ſe totum dedidit, ut ſequiorum etiam ſaeculorum Auctoribus barbaris, Archivorumque ſemiroſis vetuſtiſque chartis; contra quam quidam faciunt, minime delectaretur. Itaque nullus erat in urbe hominum litteratorum coetus, quem ipſe non frequentaret; nulla prope ſcriptio elegantior, atque eruditior, a quoquam ſuſcipiebatur, in qua ipſe partem non haberet. Nam & *Q. Sectano* in Satiris illis acribus ſcribendis praeſto fuiſſe perhibetur; quemadmodum & *Gerard. Capaſſio* Servitae, quum is obeſae naris Scriptoris ἀκρισίας arguendae gratia *Nugas Laderchianas* moliretur: & *Ioannis Ciampinii*, Viri antiquitatis conſultiſſimi amicitia gaudebat; & *Raphaele Fabrettio* familiariſſime uſus eſt, eique, in celebri illa antiquarum Inſcriptionum collec-

ctio-

ctione digerenda & caſtiganda, non mediocri praeſidio fuit. Interim, quum Vaticanae Bibliothecae cuſtos quidam diem ſuum obiiſſet, eique alius ſubſtituendus eſſet, in eo munere petendo duo Florentini candidati concurrerunt, *Philippus Bonarotius*, & *Laurentius Alexander Zaccagnius*; quorum ingenii ſpecimina exquiſita fuere, ut utri eorum miniſterium illud conferendum eſſet, certa ratione liqueret; & non tam homines, quam ingenia & merita, lecta & munerata viderentur. Vterque igitur ad opus electi ſponte argumenti condendum adgreditur; & *Bonarotius* antiqua & maxima Romanorum Imperatorum numiſmata, quae in Muſeo Carpineano adſervabantur, eximiis profecto, & omni litterarum genere refertis commentariis illuſtrat; *Zaccagnius* vero ἀνέκδοτα quaedam Graecorum Patrum ſcripta ex ipſa Bibliotheca Vaticana eruit, Latine vertit, obſervationibus ediſſerit, & iuſtae molis volumine concinnato, typis evulgat. Vterque igitur commendatus, ſed *Zaccagnius* praefertur, quod ſe codicibus Bibliothecae diſcutiendis intelligendiſque magis idoneum apta commentatione probaviſſet. Quamquam vero rem quidam ita narrant, illud certum exploratumque eſt, memoratas in antiqua numiſmata obſervationes ſcribere *Bonarotium* adgreſſum fuiſſe, occaſione Catalogi eorum contexendi, quem ab eo *Martellinius* avunculus, & ipſe antiquitatis numariae ſtudioſus, enixe popoſcerat; deinde vero perfecit, & ad umbilicum deduxit, ediditque anno MDCIIC. eius eruditae ambitionis gratia,

ut

ut ferunt; licet de hoc nihil in monitu, qui Volumini praefixus eſt, dictum fuerit; & altum etiam apud *Zaccagnium* ſilentium ſit, niſi quod & is hoc eodem anno ſua Analecta vulgavit, & Vaticanae Bibliothecae Praefecturam obtinuit. Non multo poſt igitur *Bonarotius* Florentiam rediit, a *Coſmo III.* Magno Etruriae Duce, cui opus illud dicaverat, accerſitus; a quo etiam anno MDCC. Senator creatus eſt, & deinde Eccleſiaſticorum negotiorum pro Imperio Praefectus, quem *Iuriſdictionis Eccleſiaſticae Auditorem* vulgo vocant; quum tamen antea Reip. Florentinae a ſecretis, eum renunciaviſſet. His Magiſtratibus ita functus eſt, ut multiiugem eius eruditionem omnes merito praedicarent; ſcientiam eorum munerum propriam, ampliorem, exactioremque deſideraret *Ant. Magliabechius*; ſed paullo forte auſterior cenſor. Nam ardua illa munera, & negotiis difficillimis occupata, ſumma integritate, & prudentia laudabili obivit; & quantum litterae, & bonae artes civitatibus recte adminiſtrandis conferant, evidenter oſtendit. Totus enim dilectae antiquitatis ſtudiis addictus, alia antiquaria opera ſcripſit, & duo praecipue, quae typis excuſa in vulgus pariter prodita ſunt; primum Obſervationes quaſdam in vitrea antiquorum vaſorum fragmenta picturata, quae in Romanis coemeteriis reperta fuerant, quaeque in laudato Muſeo Carpineano exſiſtebant; & quae quidem luculenta enarratione, & miro Eccleſiaſticae eruditionis adparatu illuſtrat atque ornat. Quod vero magis mirari ſubeſt illud eſt, quod haſce erudititſſimas

mas in ea vitra commentationes Florentiae lucubravit, quum rus ſecedens aliqua negotiorum publicorum intermiſſione frueretur: adeoque a libris & bibliothecis procul, niſi quod ipſe per ſe erat Muſeum vivens, & ambulans Bibliotheca. Paruit autem illorum editio anno MDCCVI. Alterum eſt, Diſſertatio quaedam in calce ſecundi Tomi *Etruriae Regalis Thomae Dempſteri* adtexta, qua docte quidem, atque ſolerter multiplices variaſque Etruſcorum monumentorum imagines, quibus Tomi illi, inſtruuntur, interpretatur; deque ſacris, ritibus, moribus, & litteris veterum Etruſcorum diligentiſſime diſputat. Hanc quidem Diſſertationem ab eo vernaculo ſermone exaratam, & ab erudito quodam eius amico in Latinum ſermonem converſam fuiſſe, quidam memoriae prodidit; ſed revera eam *Bonarotius* Latine ſcripſit, eademque oſtendit ſe ut in Graeca & Romana antiquitate exercitatiſſimum, ita in Etruſca penitus eruderanda ac explicanda principem & admirandum auctorem fuiſſe. Ob tantam eruditionis, & doctrinae copiam frequens erat doctorum hominum, cum Florentinorum, tum exterorum, ad eum acceſſus; & magnam de ſe aeque apud omnes opinionem collegerat, fama iam ingens ac celeberrimus. Multum ille erudiendo *Sebaſt. Blanco*, multum *Ant. Franc. Gorio* formando, multum *Venutis* Cortonenſibus, fratribus eruditiſſimis, inſtituendis, contribuit; multas eximiae eruditionis opes plerique omnes ex eius congreſſu conradebant, aequum rerum aeſtimatorem, & cenſorem ſcri-

ſcriptorum ac ſententiarum peſpicientiſſimum admirantes. Adeo autem litteris litteratiſque hominibus favebat, ut, quum videret celebrem illum naturae ſcrutatorem, *Petrum Antonium Michaelium*, re domi anguſta laborantem, egregia, quae lucubraverat, de novis plantarum generibus commentaria publici iuris facere non poſſe; auctor fuerit locupletibus quibuſdam viris, ut pecuniam ei, quanta editioni perficiendae ſufficeret, mutuam darent; quare primum eiuſmodi Volumen in lucem auſpicato prodiit, & alterum iam adſectum *Michaelius*, praereptus morte, reliquit. Non tamen ita in illa diverticula *Bonarotius* exorbitaverat, ut profundiorem rerum aliarum meditationem comprehenſionemque negligeret; ſed locuplete cognitionum omnigenarum cenſu prudenter uſus, virum ſe gravem atque ſapientem, & vere Philoſophum conſtituerat, & rerum humanarum divinarumque peritiſſimum. Quicumque, quantus *Philippus Bonarrotius* eſſet, melius cognoſcere vult, funebrem orationem, qua eius laudes *Iulius Oricellarius*, Senator ampliſſimus, proſequutus eſt, legat oportet, ex qua haec ad rem noſtram in primis facientia Latine a nobis verſa heic ſubdemus: *Sublimis illa, ac plena philoſophia, rerum commentatio, & moribus innocentem, & cogitationibns grandibus ſcatentem illum effecerat, quales viri illi forte fuerunt in Graeca & Latina Hiſtoria percelebres. Quare in eo omnes ſincerum antiquae nobilitatis fulgorem intermicare videbant, quo credere inducebantur eum non doctum tantum & optimum civem*

vem eſſe, ſed nobilem etiam ac generoſum. Quamquam vero antiquorum frugalitate, & cultu ſui negligentiore, gauderet; habitudo tamen, & congreſſus, ac mores, cum reliquo virtutum adparatu nobilitatem illam, quae ſapientiae filia, ſub moralis Philoſophiae cura educata, & ex publicorum negotiorum tractatione comparata eſt, praeſerebant. Non luxus barbarus, non pretioſa ſupellex, quae divitiarum vim tantum oſtentant; ſed ille certe qui ex ingenio, & doctrina oritur, & quem non male eruditum luxum quis adpellaverit, quique ſine ſtabilibus divitiis, & ſapientia quaeri non poteſt, eius aedes a vulgaribus diſtinguebat. Antiqua enim tam Graeca quam Latina epigrammata, ſarcophagi, ſtatuae, anaglypha, nullo tamen ornatu, & non tam digeſta, quam proiecta, omnibus, qui in eius aedibus verſarentur, earum dominum & opibus, & exquiſita eruditione, praeſtare latenter indicabant. Veterum ſculpturarum ſeries, fictilia, aerea, marmorea omnigenae antiquitatis fragmenta, libri ubique ſparſi, picturarum celebriorum collectio, naturalium cimeliorum copia multiplex, quae toto ſuae vitae curſu comparaverat, eius aedes Muſeum magnificum, & pretioſum cuiuſcumque rei, quae humanae ſcientiae auxilio praeſidioque eſſe poteſt, gazophylacium conſtituebant. Hactenus ille. Quum talis ac tantus eſſet *Bonarotius*, tam ſedulus adſiduuſque in lectione & commentatione fuit, ut teſte mihi *Ant. Franc. Gorio*, eius ſcripta non minus quam ſexaginta Voluminibus comprehenderentur. Anno MDCCXXXI. a *Franciſco Victorio*, Equite Romano pereruditо, numiſma-

ſmate eius faciem referente honoratus eſt; in cuius antica parte, in qua eius vultus eminet, legitur: *Quem nulla aequaverit aetas*. In poſtica vero, quae lauream coronam cum Minervae capite exhibet, ſequens epigraphe eſt: *Philippo Bonarrotio Patricio & Senat. Florent. Franc. Eq. Victorius anno MDCCXXXI. Romae D. L. D.* Numiſmatis autem opifex *Antonius Monſacutius*, Sculptor Florentinus, fuit. Naturae conceſſit anno MDCCXXXIII. unico filio *Leonardo* relicto, quem ex *Fauſta Malavolta* uxore ſuſceperat; & in Sanctae Crucis ſepultus eſt, marmorea Protome, & hoc Epitaphio, quod *Ant. Franc. Gorius* elaboravit, propoſito.

PHILIPPO BONARROTIO SENATORI FLOR. MAIESTATIS ETRVSCORVM REGVM ADSERTORI IVSTO SAGACI PRVDENTI SVMMO ANTIQVITATIS INTERPRETI IVRIS SCIENTIA NATVRAE ATQVE HISTORIAE COGNITIONE INGENII MONVMENTIS SINGVLARIS MODESTIAE PROBITATISQVE EXEMPLIS CONSPICVO FAVSTA MALAVOLTA VXOR ET LEONARDVS FILIVS MAERENTES P. VIX A. LXXII. D. XX. OBIIT VI. EID. DEC. A. MDCCXXXIII.

Homo fuit ſtaturae paullo procerioris, naſo oblongo, vultu ſubtriſti, macilentus, cogitabundus, taciturnus, impoſturae inimicus, ſincero animo & nobili. Eius ſcripta ſunt quae ſequuntur.

Obſervationes in Numos Caeſareos maximi moduli. in 4. Romae anno MCIIC.

Ob-

Obſervationes in Vitra antiqua in Romanis Coemeteriis reperta. *Florentiae* MDCCXVI.

Diſſertatio ad Etruriam Regalem Thomae Dempſterii cuius titulus ita habet: *Ad monumenta Etruſca Operi Dempſteriano addita explicationes & coniecturae*. *Florentiae anno* MDCCXXVI.

Ad ſexaginta autem volumina manu exarata, ut diximus, reliquit, inter quae Pictorum vitas, ſed adfectas, non perfectas. Aliquot vero poſt menſibus quam mortuus eſt *Bonarotius*, eruditus Academicorum Florentinorum coetus laudibus eius, cum proſa, tum vorſa oratione celebratis tanto viro parentavit, & *Ant. Franc. Gorius* inſequens Epigramma fuſiori ſtilo exaratum propoſuit.

PHILIPPO BONARROTIO SENATORI GRAVISSIMO INTEGERRIMO DIVINI HVMANIQVE IVRIS SCIENTIA CONSPICVO. SVMMO ANTIQVITATIS INTERPRETI. PRAECELLENTIVM NATVRAE ET ARTIS OPERVM INVESTIGATORI DILIGENTISSIMO. REPVBLICA CVM AVCTORITATE AMLPISSIMI MVNERIS EGREGIE ADMINISTRATA. MAGNORVM DVCVM ETRVRIAE BENEVOLENTIA INEXHAVSTO LEGENDI LVCVBRANDIQVE STVDIO PRAECLARI INGENII EDITIS MONIMENTIS IMMORTALEM GLORIAM ADEPTO. PIETATE IVSTITIA PRVDENTIA FIDE MODESTIA VERO ATQVE ABSTINENTIA PROPEMODVM SINGVLARI OMNIVM CIVIVM VOTA SVPERGRESSO. ACADEMICI FLORENTINI RENOVATO MVLTIPLICATOQVE MOERORE QVEM EX

EIVS

EIVS DECESSV SVSCEPERE LITTERARIAS INFERIAS SOLEMNI RITV PERSOLVVNT.

PETRVS ANTONIVS MICHAELIVS.

PEtrum *Antonium Michaelium* quoque Florentia protulit, ex *Petro Franciſco Michaelio*, & *Maria Salvuccia*, humilis conditionis parentibus, anno MDCLXXIX. natum, ut quantum fortunae ingenium virtuſque praevaleant, oſtenderet, Itaque, quum eius parentes re domi anguſta premerentur, adoleſcentem ingenio vivido, tenaci memoria, ſenſibus vegetis, animique conſtantia praeditum, Bibliopegae miniſterio deſtinarunt, eiuſque operas id genus artifici locavere. At quum adoleſcentem aliquando cupido inceſſiſſet eas herbas cognoſcendi, quae in aquam coniectae ſtuporem quemdam piſcibus, λειποψυχίαν inducunt, poſt prima, quae didicit, litterarum elementa, eruditorum *Petri Matthioli* in Dioſcoridem commentariorum lectioni ſponte ſe dedidit. Quumque hoc praeſidio in vicino agro Tithymala, quae in uſum illum laudantur, reperiiſſet, vehementi deſiderio incenſus eſt requirendi etiam alias plantas, quarum elegantes imagines in illo volumine contemplabatur, quaſque a mortalibus plurimi fieri intelligebat. Heinc & vel ruſticanos Herbarios interrogare; & quoſcumque libros, de his rebus agentes offenderet, perlegere; & Viros harum rerum eruditos conſulere. Hos inter *Vergilius Falugius*, Abbas Vallumbroſanus, & Botanicarum Proſopopoearum auctor notiſſimus, fuit; nec

non

non *Vincentius Cidnius* Florentinus Sacerdos, qui Eccleſiae D. *Stephani* Campolenſi praeerat, & rei herbariae peritus, ceteriſque bonis artibus inſtructus habebatur; quare eos iam vita functos *Michaelius* grata commemoratione laudare conſueverat. Hac ratione igitur, quum ſcientiae herbariae cognitionem aliquam adquiſiviſſet, ad eam cogitationes omnes ita convertit, ut ignobili Bibliopolae arte ſponte relicta, ea ſola illius occupatio, & voluptas eſſet. Hinc remotiores etiam Etruriae tractus luſtrare coepit, & herbas inveſtigare, & contemplari, quaſcumque reperire poſſet; atque in hanc inquiſitionem opes omnes, quas ei tenuis fortuna, vel Principis munificentia, aut amicorum liberalitas, ſufficiebat, impendere. Quamquam vero prima hiſtoriae herbariae ſemina, ut ita dicam, ab amicis quibuſdam, accepiſſet, non ea tamen fuerant, quae cum eiuſdem hiſtoriae cognitionibus ab eo αὐτοδιδάκτως comparatis ullo modo conferri poſſint; adeo & reipſa & methodo differebant. Nam ab ipſis initiis acute percepit in prope infinitis plantarum diſcriminibus, conſtantem tamen quamdam inter eas ſimilitudinem deprehendi, ita ut optima, facili, & perſpicua ratione diſponi poſſint. Huius vel in puero perſpicientiae monumentum fuit Collectio herbarum umbelliferarum ab eo concinnata, donataque *Coſmae a Caſtellione*, in cuius latifundiis, quae montis Maurillus continet, herbas ſaepe quaerere ſolitus fuerat. *Coſmas* hic, Patricius & Marchio, Florentinus, virtutibus praeſignibus ornatiſſimus, quas & in filium *Dantem*, litteratorum

 homi-

hominum fautorem ſingularem, abunde tranſfudit, *Michaelium*, viro doctiſſimo, & bonarum artium patrono celeberrimo, *Laurentio Magalottio* commendavit; qui adeo ingenio iuvenis & doctrina captus eſt, ut *Coſmo* III. Magno Etruriae Duci ſiſteret, eique Principis munificentiam conciliaret: a quo etiam Inſtitutiones herbarias *Tournefortii*, nuper editas, & Lutetia Pariſiorum eiuſdem Principis iuſſu advectas, *Michaelius* dono accepit. Vix autem opus illud obtinuit, eius praeſidio fultus *Michaelius* incredibilem plantarum, ab aliis non deſcriptarum, numerum invenit; & aliarum multarum, quas praecedentes quidem Botanici noverant, ſed neglexerat, genera convenientia declarare; & certam in digerendo ſedem tribuere cuilibet, potuit. Et quidem eo facilius id illi ſub manus ſucceſſit, quo diligentius Iuvenis deſcriptas a *Tournefortio* herbas cum ipſis viventibus plantis contendere adgreſſus eſt; & Auctores eximios, quos Gallus ille Botanicus laudabat, maximi illius Principis liberalitate pariter acceptos, conſulere omnes non omittebat. Illud autem ut exſequeretur, nullis laboribus, peregrinationibus nullis, licet difficilibus, parcebat: adeo ut obſtupuerit *Tournefortius*, ubi intellexit a *Michaelio* iudicatum fuiſſe, *Gallium*, quod ille deſcribit, *ſaxatile minimum Pyrenaicum Muſci facie*, eam tenuiſſimam herbam probabiliter eſſe, quam ipſe in arduo & praerupto montium Apuanorum cacumine invenerat. Vt autem herbarum deſcriptiones, quas celeber *Caeſalpinus* lucubraverat, cum plantis ipſis conferret, Apuliam & Campaniam; Agrum Romanum, &

Vm-

Vmbriam, ut a *Fabio Columna* expoſitas adſequeretur; Maris Hadriatici littora, & regiones, quas Atheſis Paduſque adluunt, ut *Anguillarae*, & *Bocconis* coniecturas probaret, late peragravit. Quid quod ſaltuoſam Germaniam per varios tractus, neglectis incommodis & periculis, luſtravit, quo plantas a *Tabernemontano*, a *Camerario*, a *Thalio*, a *Trago*, deſcriptas aut commemoratas inveniret? Quo vero contendere ipſe per ſe non poterat, ab earum regionum incolis, quoſcumque amicos habebat, plantas indigenas ſibi mitti poſcebat: & illud in primis notandum eſt, quod *Eugenium a Sabaudia*, Principem belli gloria clariſſimum, ut ſecum plantarum a *Cluſio* obſervatarum ſceleta communicaret, rogavit: quod quidem ille humaniſſime praeſtitit. Adde, quod in Aegyptum proficiſci meditabatur, ut libros *Theophraſti* de plantis penitus intelligeret, memorataſque ab eo herbas, ut ſperabat, offenderet? Immo & Montempeſſulanum cogitabat, ut eius agrum & oram maritimam veſtigaret, herbaſque, quas Scriptores, recentiorum primi & illuſtriores, dum in ea urbe verſarentur, ibidem inventas *vulgares* adpellaverant; & deinde, veluti *vulgarium* canones ab aliis Scriptoribus habitae ſunt, conferret cum illis plantis, quas alii pariter *vulgares* vocaverant; ſed quae, quum plerumque ſpecie inter ſe maxime diſſiderent, in herbariae rei ſcientiam non mediocrem confuſionem invexerant. Quod quidem argumento eſſe poteſt, quanto *Michaelius* ingenii acumine in critica rei herbariae exercenda praeſtaret. Hac igitur ſedulitate & dili-

 gen-

gentia id adſequutus eſt *Michaelius*, ut in novis plantarum generibus detegendis ceteros omnes Botanicos longo intervallo ſuperaverit, & ad quater mille herbas antea ignotas primus oſtenderit; tantamque rei herbariae peritiam & ſcientiam nanſciſceretur, ut ſua gloria contentus, nec alienae indigus, nemini detraheret, & iniuſta cenſura vexatos Scriptores Botanicos, & praecipue *Matthiolum*, ſponte defenderet. At non novarum tantum herbarum numerus revelatus ingentem *Michaelio* gloriam conciliavit; verum etiam plantae illae cognitae, quarum naturam, formam, cenſum non ſatis alii deprehenderant. Ipſe enim omnium primus veram floris herbarum graminifoliarum ſtructuram invenit & declaravit; ipſe earum, quas, ob exilitatem vitamque breviſſimam, Botanici imperfectas vocaverant, & ex alterius corporis putreſcentis corruptione ortum ducere arbitrati fuerant, & florem, & ſemen, & conſtantem certa lege generationem demonſtravit; ipſe plurium marinarum plantarum, pelagi profunda ingenio ſcrutatus, organicam ſtructuram, ſitum, formam, flores, fructus, pariter oſtendit, quaque ratione illarum ſemen funditur, & germinat, mirabilis inveſtigator edocuit; earumque numerum adeo ampliavit, ut quum exactiores peritioreſque Botanici earum genera circiter viginti recenſerent, ipſe circiter ſexaginta diſtinxerit; ſub quibus fere ſexcentas marinas herbas, antea, ut videtur, ignotas auſu felici digeſſit. Sed & ſi ad haec animum advertere nolimus, & ordinem tantum, & facilem utilemque rationem, qua her-

herbas in certas diſtinctaſque claſſes diſtribuendas, plenius ac melius, quam alii feciſſent, docuit, conſiderare lubeat; vel ex hoc uno invento *Michaelius* multiplici laude ferendus eſt. Huius novae claraeque methodi praeſidio in abſolutam cuiuſque plantae cognitionem primore adſpectu deveniebat, qua cum memoratis inventis coniuncta ingentem Botanicis illuſtrioribus herbarum alias incognitarum copiam ſuppeditavit, ut apud *Vaillantium*, *Boherhaavum*, *Montium*, *Tillium*, *Sherardum*, videre eſt. Nam quaecumque ipſe propria commentatione didicerat, facile cum aliis lubenterque communicabat; quare, quum amicorum quorumdam coetui intereſſe conſueviſſet, & de re herbaria, ſuiſque repertis ſaepe diſſereret, talem in iis illius facultatis amorem excitavit, ut exiguum hortum ſelectarum plantarum cultui deſtinaverit; quo quidem a Principe intellecto, & eorum ſtudium probavit, & publicum Florentinum hortum iis colendum cuſtodiendumque anno MDCCXVIII. conceſſit, quum biennio ante huiuſmodi ſtudioſorum numerus in publicam Botanicae ſocietatis ſpeciem coiſſet. Huius igitur inſtitutio *Michaelio* debetur, qui naturae contemplationis amore, incredibiliter incenſus magnam naturalium cimeliorum vim congeſſit, & Muſeum copioſiſſimum dedicavit; quod poſt eius obitum a *Io. Targionio*, Medico, & in Botanica Cathedra, illius ſucceſſore, comparatum eſt. Nam quum *Michaelius* huiuſmodi facultate excellens iure merito haberetur, publicus in Florentino Atheneo profeſſor renunciatus fuerat; in quo

 exer-

exercitio Aſtronomiae etiam, atque humani corporis anatomes amantiſſimum ſe eſſe praeſerebat. Quamquam vero humanis litteris minime vacaverat, tamen eam Latinarum litterarum cognitionem adſidua lectione conſequutus fuerat, ut Latinos ſuae artis Scriptores probe intelligeret; atque amicorum quorumdam cenſura fretus ita Latine ſcriberet, ut dictionis barbariem quam maxime in ſua ſcriptione refugeret. Etſi vero tanta ingenii perſpicacitate polleret, tantumque animum in univerſitatis rerum contemplatione defigeret homo vere philoſophus, & totus ex huiuſmodi curis coagmentatus, non ita tamen ſe auſterum, moroſum, aſperumque praebebat, ut voluptates interdum, graviorum ſtudiorum intercapedinem remiſſionemque, non ſectaretur; hominem ſe eſſe, & non tam ex animo, quam ex corpore, coaluiſſe vel hoc ipſo documento profeſſus. Hinc delicias ſuas memor grata largitione remuneratus eſt, ubi poſt peregrinationem in montem *Baldum*, plantas, alioſque mirabiles naturae effectus ſpeculandi gratia, ſuſceptam, Florentiae vitam cum morte commutavit anno MDCCXXXVII. IV. Non. Ianuar. omnibus aeque propter eximiam doctrinam, conceptam ulteriorum eius progreſſuum ſpem, morum facilitatem, honeſtatem vitae, immaturum eius obitum querentibus; & in *D. Margaritae Albericorum* humatus eſt: titulo vero, marmorea protome, & inſequenti epitaphio, quod *Ant. Cocchius*, qui & eius elogium, ſeu funebrem orationem deinde recitavit, amico dilecto compoſuit, in *Sanctae Crucis*, quo eius oſſa transferenda fuerant, honeſtatus.

PE-

PETRVS ANTONIVS MICHELIVS VIXIT ANNOS LVII. DIES XXII. IN TENVI RE BEATVS OMNIS HISTORIAE NATVRALIS PERITISSIMVS MAGNORVM ETRVRIAE DVCVM HERBARIVS INVENTIS ET SCRIPTIS VBIQVE NOTVS ET PROPTER SAPIENTIAM SVAVITATEM PVDOREM OPTIMIS QVIBVSQVE AETATIS SVAE EGREGIE CARVS OBIIT IV. NONAS IANVARIAS MDCCXXXVII. AMICI AERE CONLATO TITVLVM POSVERE.

Eius Scripta ſunt quae ſequuntur:

De Orobanche Diſſertatio, Italico Sermone. Florentiae.

Nova Plantarum genera, Volumen Primum. Florentiae.

Nova Plantarum genera, Volumen Secundum, quod imperfectum reliquit, & quod Io. Targionius *perficit, typis excudendum curaturus.*

Catalogus Plantarum agri Florentini MS.

Adnotationes in Caeſalpinum de plantis, quibus elaborandis Herbario ipſo, ſeu Horto ſicco, ab ipſo Caeſalpino concinnato, & Florentiae reperto, uſus eſt.

Index duorum circiter millium plantarum Horti Florentini Regii, qui quidem ſub prelo eſt.

Obſervationes Itinerariae non ad Botanicam tantum ſpectantes, ſed ad hiſtoriam etiam animalium & foſſilium, cum figuris quibuſdam, & catalogo teſtaceorum terreſtrium & fluvialium, piſcium, & ſerpentium, Etruriae indigenarum, cum fodinarum Tuſcarum, earumque foſſilium, enume-

ratione, *atque alia id genus Miſcellanea*, *quae* Io. Targionii *cura tranſcripta in quinquaginta fere volumina excreverunt*.

Io. Lamius in viri amici obitum Eclogam, quae ſequitur, compoſuit & legit.

Lycidas, Tityrus, Palaemon.

Lyc. T*ityre*, *tam ſubitis caelum quae cauſſa ſerenum*
Nubibus obduxit ? rapidis qui turbo procellis
Saeviit, *& laetas decuſſit ab arbore frondes*,
Ramoſque, *& varium nemorum populatus honorem ?*
Adſpice : non ripae gemmantia rore recenti
Gramina, *purpureos non prata virentia flores*
Submittunt ; horrent colles, *neglectaque maerent*
Nativis late viduata coloribus arva.
Tityr. *Ipſe quoque*, *o Lycida*, *tacitus mirabar*, *& alte*
Sollicito inſolitum verſabam pectore caſum.
Scilicet huc illuc, *bibulas qua pontus arenas*
Egerit, *errabam*, *ſimae dumeta capellae*
Tondebant circum, *triſtis quum forte Neaera*
Occurrens dixit, *niveas in littore baccas*,
Conchaſque, *& crebris perplexa coralia ramis*,
Lecturam & nitidos fruſtra veniſſe lapillos,
Vnda reſorbuerat refluo nemore omnia curſu,
Et velut indignans Nereus ſua dona negabat.
Spongia non ſcopulis ſtetit his latebroſa diebus,
Oſtreave, *Vrticaeve*, *aut Stellae iure ferentes*
Nomina, *quas dudum fuerat formoſa puella*
Colligere, *& gremium praedis onerare marinis*.
Ipſae pallebant demiſſo vertice Myrti,
Algae ipſae aruerant, *Iuncique*, *Vlvaeque paluſtres*.

Ly-

Lycid. Non tenui ſolitum modulantur gutture carmen
Adſuetae ſilvis volucres, non aura ſuſurros
Iucundos laſciva ciet, nec vallibus imis
Grata ſonant raptim properantis murmura rivi;
Sive ſupercilio clivoſi tramitis ille
Deſilit, urgetve offendens obſtantia ſaxa.
Ipſa cavis habitans ſpecubus reſonabilis Echo
Aut ſilet, aut maeſtas imitatur voce querelas.
Iam non capripedes Satyri, facileſque Napaeae
Praeſentes plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Tityr. Crediderim? vigilem mea me nec lumina fallunt?
Non procul a pelago, lapidoſi culmina montis,
Rupibus adſurgunt, immenſiſque horrida ſaxis:
Hac ego diſperſas, rara & virgulta ſequentes,
Dum pecudes paſco, atque oculis circum omnia luſtro,
Ecce mihi extemplo fluidis manantia guttis
Marmora, quae teneras vincunt candore pruinas;
Quaeque ferunt longis nivibus concreta gelari
Cryſtalla in lacrimas tractim reſoluta liquentes
Teſtari luctum manifeſto imitamine fletus.

Lycid. At ſubſiſte: ſenem reſpecto Palaemona tardo
Greſſu incedentem, & baculo veſtigia longo
Firmantem: nimis hic ſagax, rerumque peritus
Multarum, poterit cauſſas aperire latentes.

Tit. Huc ades, o nemorum decus, o laus incluta ruris,
Opportunus ades nobis, venerande Palaemon.

Palaem. Si vos attonuit, geliduſque per ima cucurrit

Oſſa

Oſſa pavor, iuvenes (namque id color indicat oris)
Haud equidem temere certae rationis egeſtas
Nunc vos ingenti luctu maerere coegit.
Ipſae etiam Pinus, ipſae flevere Myricae,
Ipſi etiam colles, luſtra ac ſpelaea ferarum,
Flevere extinctum crudeli funere Daphnin.
Ille amor arvorum fuerat, gregis ille voluptas,
Gloria paſtorum. Quales ſunt vitibus uvae,
Arboribus frondes, pratis roſa, gramina ripis,
Roſcida mella favis, & apes florentibus hortis,
Talis erat nobis Daphnis. Sed fata tulerunt
Immeritum poſtquam, thyaſos inducere Bacchus,
Viſere nec ſilvas flavus dignatur Apollo;
Atque Pales agros, oleaſque Minerva virentes
Oblitae, immenſo doluere & rura dolore.

Lyc. *Nil igitur mirum ſi ſe caligine coelum*
Involvit: periit, roſei qui lumina Solis,
Et varium Lunae vultum, atque orientia dixit
Sidera, facundus referans quid ſingula monſtrent.
Nil mirum picti viridi ſi in margine flores
Langueſcunt, frondeſque cadunt, atque alta comanti
Vertice ſilva caret, nec habet ſua gramina campus.
Occubuit nam qui illorum formaſque, coloreſque,
Atque uſus varios, virtutes, nomina, cultus,
Edocuit, cunctas deſcribens gentibus herbas.
Saepe illum vidi, ſtupefactas voce, ſequentes
Vmbriferas quercus, & acuto vertice Pinus,
Et patulas Fagos, & torno raſile Buxum,
Lauruſque, Platanoſque, & coniferas Cypariſſos.
Non aberant hederae errantes, gravidaeque racemis

La-

Labruſcae, & ſalices ſaturae fluvialibus undis,
Et cum puniceis humilis Saiunca roſetis;
Non Caſiae, & Cilicum flores, & olentia late
Serpilla, & Cythiſi, nec flexile vimen Anethi,
Et quae laeta bibunt riguos violaria fontes.
Quin mihi montanos legeret dum ſedula fungos
Theſtilis, acceſſu narrabat Da nidos olim
Se vidiſſe ſolo ſalientes ſurgere paſſim
Boletos, ultro penitaſque recludere fibras,
Atque omnes aperire ſinus, ſpeciemque latentis
Seminis ignotam iuveni monſtrare, volentes.

Tityr. *Iure & arenoſo nullas in littore baccas,*
Oſtreaque, & conchas, mollis reperire Neaera
Debueras: & iure negat ſua munera pontus
Egregii iuvenis fatum indignatus acerbum.
Scilicet hic miras variantem Protea formas,
Divinum licet, atque ſenem, armentique potentem
Squamoſi, dictis perſaepe laceſſere ſuevit,
Plenius ac melius tumidis natura ſub undis
Quid creet enarrans, qua quodque ab origine ſurgat,
Quique maris valeat tractus habitare profundos.
Vidi olim ſcopulo reſidentem, & multa loquentem
Admiranda, Deos circum exſultare marinos,
Ludereque in numerum, laetaſque agitare choreas,
Amphitheon niveam, Oceanitidaque Amphitriten,
Drymoque, Xanthoque, & Spio, Cymodocenque,
Atque ſenem Glaucum, turbam quoque Phorcyos omnem,
Tritonaſque citos; adplaudenteſque ferire
Commiſſarum utero caudarum verbere fluctus.
Non ita pellexit curvos Delphinas Arion
Rite animans celeri blandus cava nablia pulſu.

Lycid. *Nunc ſcio cur maerens gratum Philomela canorem*

De-

Dedidicit, reſonantque aſpri nec Acanthida dumi,
Littoraque Alcyonem: Daphnis volucreſque feraſque
Dulcibus illecebris, facundoque ore, trahebat,
Dum varios habitus deſcriberet, atque colores
Plumarum, & ſtudia, & mores, queis quaeque vigeret.
Vix ita Threicius cantu teſtudinis Orpheus
Flumina dum traberet, ſilvas, rupeſque ſequaces,
Leniit indomitas Tigres, rabidoſque Leones,
Et volucrum celeres ſubſpendit in aere pennas.
Tityr. *Nunc ſcio cur durae ſilices, & levia fletum*
Marmora fundebant: tepido cur viſa fluore
Subiectum liquefacta ſolum cryſtalla rigare,
Atque feri inſolitum ſcopuli ſentire dolorem.
Daphnis enim ſilices ipſas, & marmora ſuerat
Ducere blanditiis, dum panderet ordine cunctas
Naturas lapidum, vires, diſcrimina, formas.
Omnia nam ſcrutans animo interiora ſubibat
Viſcera inexhauſtis terrae generoſa metallis.
Non ita Thebanum, dum pectine pulſat eburno
Aurea fila lyrae, cinxere Amphiona cautes
Auritae, docileſque ſequi quocumque vocaret.
Lycid. *Daphnidos aeterno procerae in cortice cedri*
Inſcribam nomen, nec iam fera fata timebit.
Tityr. *Daphnidos excelſae praeduro in marmore rupis*
Incidam nomen, quod longa haud deleat aetas.
Lycid. *Ad caelum exibit ramis felicibus arbos*
Alta olim, dignumque feret ſuper aethera nomen.
Tityr. *Inſcriptum exciſae iam rupis in aequore nomen*
Quiſque leget, gentique olim memorabitur omni.
Palaem. *Non haec, o iuvenes, poſcit ſibi munera Daphnis.*

Illius Eoos nomen penetravit ad Indos,
Arctoaſque plagas, diviſoſque orbe Britannos,
Barcaeoſque vagos, atque extremos Garamantas;
Quique adverſa premunt pedibus veſtigia noſtris
Illius iam famae auram excepere perennis.
Hoc hortor (quoniam ad ſuperos dum vita manebat
Egregium medico Daphnin coluiſtis honore,
Vitam ſtipe brevem parca tolerare coactum,
Stramineiſque humilis tuguri ſuccedere tectis)
Ut manes placet, ſupremaque ſolvere iuſta
Quiſque velit; lacrimis cauſſam quoque conſe-
cret aras
Caeruleis maeſtas vittis, atraque cupreſſo;
Purpureos ſpargat flores, animamque ſepulti
His ſaltem accumulans donis fungatur inani
Munere: nullius ne vos haud Numinis ira
Exercens tanto ſumat de crimine poenas.
Ite citi, & vobis ea digna piacula ſunto.

SEBASTIANUS BLANCUS.

SEbaſtianus Blancus Florentiae parentibus honeſtis, & Mediolano originem ducentibus, ortus eſt anno MDCLXII. Quum cognoſcendae antiquitatis amore, patris maiorumque ſuorum, qui omnes Medicei Cimeliarchii cuſtodes fuerunt, exemplo, teneretur, in veteribus numis, gemmiſque inſignibus, aliiſque eruditis id genus monumentis conſiderandis, diiudicandis, explicandiſque, iunior adhuc maxime occupabatur. Hoc laudabili ſtudio a *Coſma* III. Magno Etruriae Duce intellecto, eum Bononiam primum, ubi in re antiquaria *Ioſeph. Magnavaccam* praeceptorem anno

anno MDCLXXXV. habuit; deinde Romam, ubi viris antiquitatis conſultiſſimis *Bellorio*, *Camelio*, *Fabrettio*, & *Vaillantio* tunc peregrinante, familiariter uſus eſt, exactioris ampliorisque cognitionis adquirendae gratia, Princeps munificentiſſimus miſit. Anno MDCLXXXVI. quum Roma Florentiam reverſus ſuorum in litteris & eruditione progreſſuum ſpecimen Principi illi praebuiſſet, ab eodem Lutetiam Pariſiorum anno inſequenti miſſus, cum reduci *Vaillantio*, *Spanhemio*, *Morellio*, aliisque celebribus antiquitatis interpretibus congreſſus eſt. Non multum tamen Lutetiae ſubſtitit, ſed eodem anno Mediolano, ubi *Mediobarbum*; Patavio, ubi *Patinum*; Venetiis, ubi *Donum*, convenit, tranſiens in patriam iterum ſe recepit. Heic Princeps ſuae Gazae in eo, quod ad veteres numos, gemmaſque caelatas adtinet, illum praefecit; quo quidem munere fungens, quum praeter innumeram cimeliorum rariſſimorum copiam, quae diurna nocturnaque manu verſabat, frequentes etiam doctorum eruditorumque peregrinorum acceſſus, colloquia, diſputationes, continenter admitteret, adeo iam comparatam antiquariae rei ſcientiam abſolvit, ut in ea tractanda obſervator diligens, & eruditus iuſtuſque cenſor, haberetur. Sed mirum, quantum ei in explicanda antiquitate, *Philippi Bonarotii*, Senatoris Florentini, familiaritas profuit. Quum enim is antiquariae eruditionis cenſu praecelleret, multiiugem variamque litteraturam, quae in *Blanco* paullo contractior erat, de ſui ingenii penu large liberaliterque ſufficiebat. Nam *Blancus* tan-

tantum Latinam linguam, Graecamque callebat, & in veterum recentiorumque Scriptorum lectione verſatus erat, quantum ſuo muneri cum laude & adprobatione obeundo ſufficeret. Quod quidem adſiduae numorum ipſorum, & lapillorum; ſtatuarum, & anaglyphorum; inſcriptionum, aliorumque monumentorum tractationi atque uſui, acrique perſpicentiae, caſtigatoque iudicio, accedens, hominem prope admirandum, & Antiquarium peritiſſimum ac famigeratum effecerat. Hinc paſſim eius laudes in doctorum hominum ſcriptis occurrunt, quibus eum ſaepe in rebus arduis, difficilibuſque conſulere moris erat. Hinc eius cum viris eminentiſſimis *Noriſio*, *Spanhemio*, *Morellio*, *Cupero*, *Vaillantio*, *Mediobarbo*, *Bandurio*, aliiſque, quorum litterae a *Franciſco Blanco* fratre ſervantur, epiſtolare adſiduumque commercium. Eius quodammodo auditores, *Ant. Franc. Gorius*, tot de re antiquaria voluminibus editis celebris; & *Io. Lamius*, diverſi ut plurimum argumenti libris haud obſcurus, dicendi ſunt, utpote qui frequenter eum, quoad vixit, conveniebant, in antiquitatis ſtudio ducem fidum, & facilem comitem, & iudicem acrem peſpicacemque adſectantes. Nullum quidem opus a ſe elaboratum atque perfectum *Blancus* in vulgus prodidit; prodere tamen in animo habuit. Nam luculentam exactamque Medicei Cimeliarchii, quod ipſe omnium primus in elegantem concinnumque ordinem, numoſque praecipue, ex indigeſta confuſione adſeruerat, & ut Muſeo Andreiniano augeretur fuerat in cauſſa, deſcriptionem mature compoſuerat,

qua

qua immenſas & ſingulares regiae illius Gazae opes Lectoribus exponebat, multa corrigens ſuppleuſque, quae in negligentium plerumque Viatorum commentariis, temere ac perperam narrata deprehenduntur. Aſt anno MDCCXXXVIII. Non. Ianuarii ἀποπλήξει, cui obnoxius eſſe iam ſenex coeperat, percuſſus, morte praeripitur; quare lucubratio illa perutilis, & luce digniſſima, adhuc inedita deliteſcit. Silentio quoque praetereundum non eſt, *Etruriae Regalis*, Syntagmatis a *Thom. Dempſtero* conſcripti, editioni ſymbolam *Blancum* contuliſſe, cum Etruſca monumenta, quorum imaginibus inſtruitur, e regio Muſeo ſuppeditans, tum *Philippo Bonarotio* Diſſertationem eruditam, Appendicis loco, adtexenti, multa diſſerendo contribuens. Quin, quum *Ioſeph. Nicolinius*, Patricius Florentinus, aureorum numiſmatum, quae in ſuo locuplete Muſeo adſervabat, catalogum publici iuris facere animum induxiſſet, in iis digerendis explicandiſque *Blanci* opera uſum in primis fuiſſe conſtat. Sed quod pluris faciendum eſſe videtur, *Blancus* idem nonnullis civibus nobilibus Florentinis auctor fuit, ut aere ſimul conlato *Muſei Florentini*, operis ampliſſimi, & ſumtuoſi, editionem ſuſciperent: quod quidem conſilium ſub manus ſucceſſit, quum illud illuſtrandi provincia *Ant. Franc. Gorio* demandata fuiſſet, & quatuor iam immania volumina prodierint; quae omnia non ſine *Sebaſtian. Blanci* opera, cura, directione, hactenus perfecta ſunt, ut in iis *Gorius* ipſe ingenue profitetur.

CLE-

CLEMENS XI. PONT. MAX.

Clemens XI., *Ioannes Franciſcus Albanus*, priuſquam Pont. Max. renunciaretur, adpellatus, Vrbinas, *Carolo Albano*, & *Helena Muſca* Piſaurienſi, parentibus genere opibuſque praeſtantibus, anno MDCXLIX. ortus eſt. Patruum habuit *Hannibalem*, qui ab ineunte aetate litterarum ſtudiis adprime deditus, & diſciplinis probe inſtructus, ab *Vrbano VIII.* Pont. Max. Vaticanae Bibliothecae praefectus eſt; quo in munere Oecumenica Catholicae Eccleſiae Concilia illuſtranda ſuſcepit; & opus perutile ad umbiculum deduxiſſet, niſi anno MDCL., quinctum & quadrageſimum annum agens, mortem oppetiiſſet. Alius quoque eius patruus *Malateſta* fuit, qui militiae iuxta ac litteris operam navavit, ingeniumque, quod promtum & acre a natura acceperat, omnibus fere liberalibus diſciplinis excoluit; quare ſaepe illum *Clemens* cum laude, prout ſeſe dabat occaſio, commemorare conſueverat. Domeſticis igitur exemplis *Ioannes Franciſcus* excitatus, litterarum ſtudiis, quae primum puer averſabatur, poſtea ſe totum addixit, eaque pietatis cultui copulavit; adeo ut, quum anno MDCLX. in Vrbem cum patre profectus eſſet, & in Romano Collegio ſe exerceret, amoenioribus diſciplinis, Latinarumque litterarum peritiae, Graecae etiam linguae cognitionem adiunxerit, & tredecim tantum annos natus Graecam Epiſtolam *Petro Poſſino* Ieſuitae, eleganter ornateque conſcripſerit. Anno MDCLXVI. Meno-

logii vetuſti partem alteram, non ita pridem in Monaſterio Cryptae Ferratae a ſe repertam, Latine vertit, & eximium ſacrae hiſtoriae monumentum, quod veluti amiſſum Viri eruditi defleverant, cum *Io. Bollandi* ſociis communicavit. Sub idem tempus & *Sophronii* Ieroſolymorum Epiſcopi Homiliam; & Encomium Sancti Marci Evangeliſtae, auctore *Procopio* Diacono & Chartophylace, Latine pariter reddidit. Ad nobiliores autem facultates gradum faciens, Philoſophiam, & Theologiam in memorato Collegio, Iuris prudentiam in Romano Archigymnaſio, ita perdidicit, ut omnium harum doctrinarum Theſes magna cum laude publice propugnaverit; quumque Romae per id tempus eruditorum coetus, qui *Humoriſtarum Academia* dicebatur, ſtatis diebus celebraretur, eique inter alios politioribus litteris, & eruditione clari viri, *Auguſtinus Favoritus*, & *Io. Carolus Cartarius* intereſſent, in eo *Albanus* tam docte, diſerte, concinneque diſſerebat, ut confluentem ad eum audiendum doctorum hominum multitudinem peramplae aulae vix caperent. Quin ſaepenumero de rebus gravibus dicebat ex tempore; & eamdem rem porſa expreſſam vincta numeris oratione ita accurate cogitateque reddebat, vel ex Italo ſermone in Latinum, ac ex Latino in Graecum vertebat, ut ad nobilium Philologorum laudem perveniret. Hoc praeconio facile notus viris doctis, qui per id aetatis urbem ornabant, paullatim in exterorum quoque amicitiam ſe penitus inſinuavit, mutuumque epiſtolarum commercium exercuit. Interea

rea

rea anno MDCLXVIII. Vrbinum reverſus, Magiſterii inſignibus magna celebritate donatus eſt; & haud multo poſt Romam repetens, illuſtrium Iuriſconſultorum, & doctiſſimorum virorum contubernia & conſeſſus frequentare coepit, & *Caſparis Carpinei* Cardinalis in primis, & *Alexandri Rondinini* Romanae Rotae, ut vocant, XII. Viri, nec non *Ioannis Baptiſtae de Luca* poſtea Cardinalis, doctrina & vulgatis forenſibus lucubrationibus conſpicui, quo cum arctiſſima conſuetudo interceſſit. *Marcello* item *Rondinino* Patrono cauſſarum celebri, & *Franciſco Maria Suareſio* Epiſcopo Vaſionenſi, tunc Romae agente, familiariſſime uſus eſt. Hi, quum lecta doctrina & eruditione praeſtarent, *Albano* ad utramque comparandam acres ſtimulos adiecere. Itaque exactae Iuris notitiae, diligentem quoque veterum cum profanorum, tum Eccleſiaſticorum Scriptorum lectionem addidit, & peramplum multiiugis eruditionis cenſum ſibi feliciter comparavit; ſimulque in divinarum litterarum, Eccleſiaſticae hiſtoriae, pariterque dogmaticae ac polemicae Theologiae, quas ante neglexerat, ſtudio mirabiliter progreſſus eſt. Hinc harum omnium facultatum felicia ſaepe praebuit experimenta, & in illuſtribus Academiis Capitolina, Collegii Vrbani de Fide propaganda, praeclaro ipſius opera incremento auctis; & in ea nobiliſſima, quae in aedibus ſuis a *Chriſtina Alexandra* Suecorum, Vandalorumque Regina inſtituta fuerat, laudem & adprobationem iure optimo reportavit. Quamobrem *Chriſtina* laudata, virique graves, doctrina vel di-

dignitate conſpicui, praecipua in *Ioannem Franciſcum* benevolentia adfecti ſunt; & plurimi eum in primis fecit *Franciſcus Barberinus* Cardinalis eruditiſſimus, ut non minus honorifica, quam celeri liberalitate teſtatus eſt, eum viceſimum aetatis annum vix attingentem Baſilicae Sancti Laurentii in Damaſo Canonicatu primum augens; & annuam perpetuamque penſionem vita decedens deinde relinquens. Hic igitur Cardinalis quum tanti *Albanum* faceret, Sublacenſem Dioeceſin anno MDCLXXII. inviſurus, graviſſimi muneris adiutorem illum adſumſit; qui quidem Acta direxit, dictavitque, ſtili elegantia perſpicuaque methodo a viris doctis probata vehementer. In Synodicis quoque Conſtitutionibus eiuſdem Dioeceſeos, itemque Farfenſis, quae annis proxime ſequenti, & MDCLXXXV. promulgatae, typiſque deſcriptae ſunt, conſcribendis primas eum tuliſſe exploratae fidei eſt. Anno MDCLXXVII., patris & conſanguineorum ſuaſionibus, Praeſulum ordini Romanae urbis adſcriptus eſt, ac deinde ab *Innocentio XI.* Pont. Max. Reatis, Sabinorum, Vrbis veteris, Praeſes diverſis temporibus renunciatus; quo in munere eius iuſtitiae amor, liberalitas in pauperes, comitas erga omnes, maxime eminuit; in urbemque reverſus anno MDCLXXXIII. a *Carolo Barberino* Cardinali Vaticanae Baſilicae, cuius is erat Archipreſbyter, Vicarius & Iudex delectus eſt. At dum *Albanus* gravioribus multiplicibuſque negotiis Romae implicatur, non ita iis tamen diſtinetur, ut Regiam *Chriſtinae* Academiam de more non frequentet, in qua inſequenti an-

no

no geſtam a Comite *Caſtelmainio*, *Iacobi II.* Anglorum Regis nomine, apud Pontificem Maximum legationem, adornata oratione Reginae iuſſu laudavit; quam quidem illa formis excuſam publici iuris fieri voluit, utpote ex qua docta & acri iudicio praedita femina multum ceperat oblectamenti. Aſt digniora ſuis virtutibus praemia *Albanus* accepturus, quum anno MDCLXXXVII. *Ioannes Gualterius Sluſius* Cardinalis naturae conceſſiſſet, qui ab Apoſtolicis Diplomatibus fuerat, eius in munere illo ſucceſſor a Pont. Max. declaratur; quam electionem omnes quidem probarunt, Regina autem *Chriſtina* pronunciavit, ſe non tam ei nobile munus, quam tantum virum nobili muneri gratulari. Hoc autem munere ſapientiſſime fungentem *Alexander* VIII. Pont. Max. in purpuratorum Patrum Collegium anno MDCXC. ingenti cum omnium plauſu prudenter adſcivit. Interea pluribus in Vrbe magiſtratibus decoratur, & ab *Innocentio XII.* praeſertim, qui *Alexandro* anno inſequenti in Pontificatu ſucceſſerat; quos omnes laudabiliter obit, Romanae Eccleſiae iura tuens, donis ſe incorruptum praeſtans, & univerſos beneficiis cumulans, literatoſque homines in primis, ut iure aetatis ſuae Maecenas audiret, multorumque inſignium Poetarum carminibus, & nuncupatis ſibi eruditorum virorum libris, celebraretur. Largitionibus enim eos, & officiis iuvit; quaeque *Vitali Iordano* praeſtanti Mathematico, *Laureto Matthaeio*, *Alexandro Guido*, *Benedicto Menzinio*, & *Michaeli Brugueres*, Poetica facultate laudatis contulit; quaeque ab *Innocentio XII.* ipſiſ-

Digitized by Google

ipſiſmet impetravit, omnium ore feruntur. Plures quoque alios nota eruditione & doctrina viros, vel fortunae bonis deſtitutos, vel aere alieno preſſos, erogata pecuniae vi congruenti levavit. Liberalibus item artibus & inſtitutis illuſtres pari beneficentia & patrocinio fovit, pictura & architectura praecipue delectatus; & clariores utriuſque cultores in pretio habuit. Eo nomine *Carolus Maratta*, & *Dominicus Guidus*, potiſſime commendantur; quorum alter Pictor, alter Scalptor longe celeberrimus fuit. Tamdem, quum anno MDCC. *Innocentius XII.* humanis rebus exemtus fuiſſet, Cardinalis *Albanus* Pontifex Max. renunciatus eſt, qui diu tamen repugnavit, conlatum Principatum accipere detrectans, donec aliorum omnium precibus & ſuaſionibus indulgendum eſſe cognovit, & *Clementis* nomen adſumſit. Tanta autem ab omnibus adprobatione eius electionis nuncius acceptus eſt, ut gentes ipſae Chriſtianis infenſae, ut Turcae Aegyptii & Aſiani, Reipub. Chriſtianae eam inviderent; & Romanae Eccleſiae inimici, ut Noribergenſes haeretici, numiſma in eius honorem cuderent, & virtutem, doctrinam, ſapientiam novi Pontificis perſpicuo argumento commendarent, atque ſubſpicerent. Itaque Pontificatus curis detentus *Clemens*, quum ſacras caeremonias rite perageret, rem Chriſtianam ſolicite moderaretur, magiſtratus Romae in officio contineret, abuſus e medio tolleret, licentiam vitiorum coerceret, in facinoroſos homines animadverteret, Principes Chriſtianos pacificare ſtuderet, & il-

& illud nobis maxime memorandum fecit, ut quae praemia equis Numidicis curſus pernicitate praeſtantibus tribui conſueverant, utiliori conſilio iuvenibus Picturae, Sculpturae, atque Architecturae, in Academia Capitolina ab ſe inſtituta operam navantibus, conferri voluerit, Bacchanalibus & huiuſmodi ludis interdictis. In ea quoque voluit ut artes illas egregias viri doctiſſimi habitis quotannis orationibus laudarent; & quum interiecto tempore Bacchanalia ludoſque reſtituiſſet, ne quid Academiae de priſtina dignitate decederet, aureos mille annuos dotem perpetuam illi conſtituit. Quin *Carolum Marattam* laudatum, Equitem creavit, ut acriores Academicis ad imitationem ſtimulos inderet. Sed quantum bonas artes & litteras promoverit, oſtendent, quae ex Libro VI. eius prolixioris Vitae huc transferimus. *Perſpicua ſane ſunt monumenta Clementinae beneficentiae in illuſtres diſciplinis, atque doctrina viros, quos in omni dignitatum gradu liberaliter fovit; opibuſque pro merito, & honoribus auxit. Qui novas artes in Pontificias provincias invexerunt, perpetuis ſunt honeſtati cenſibus & privilegiis. Ne Romae deeſſent, qui aulaea, univerſas ac diſcolores referentia formas, ex lino, goſſypio, auroque contexerent, magno pretio e longinquis regionibus in hoſpitium Sancti Michaelis Archangeli praeſtantes evocavit opifices. Ampliorem exhibuit largitatem, ut peritiſſimis aliarum peregrinarum artium magiſtris ſubiecti populi uterentur. Statuaria, pictura, architectura eodem Pontifice ſuſceperunt incrementum. Vrgens vero ille profectum, annuo duorum millium aureorum conſtituto reditu, Capi-*

tolinam Academiam fundavit dotavitque: in qua iuvenes alterutram profitentes artem ad certamen & aemulationem accenſi, iuxta operum praeſtantiam publice quotannis dona caperent. Nec deeſſe voluit cuiuſque facultatis ſoluta, & vincta numeris oratione ab Oratoribus & Poetis diſerta praeconia. Adoleſcentibus, qui litterariis diſciplinis in Collegio Romano navabant operam, vehementiores ſtimulos indidit, frequentibuſque praemiis diſcendi ardorem amplificavit. Novis item conatibus divinorum ſcientiam provehens in Archigymnaſio Theologicam Academiam, dogmata & controverſias adverſus haereticos pertractantem, inſtituit: regulas iuſſu ſuo a Thoma Maria Cardinali Ferrario Ordinis Praedicatorum, doctrina, eruditione, & vita ſpectatiſſimo dictatas, praecipuo diplomate comprobavit, multiſque privilegiis fulſit Academicos. Botanicae Lectorem propriis impenſis eodem conduxit, & quoad vixit Medicinae ſtudentium emolumentum cavit. Conſtruendae parandaeque Bibliothecae Philoſophicae ac Medicae Lanciſianae in aedibus Sancti Spiritus duo aureorum millia tribuit. Quatuor millia eſt largitus, ut libri ſelectiſſimi coemerentur. Longe vero plures praeſtantia & raritate ſpectandos donavit, partim e privata Bibliotheca depromtos, partim in Galliis comparatos, & Anglia. Literariae beneficentiae honorem ac pretium in literatos, & doctos homines addidit, illorumque plures variis muneribus in Pontificiam familiam adſcivit, atque honeſto apud ſe loco habuit: ſingulari in viros doctrina praeſtantes munificentia & patrocinio, ingens, nec uno nomine, politioribus litteris, multiplici eruditioni, naturali ſcientiae, ſacris denique ac profanis rebus

ſplen-

ſplendor & lumen acceſſit: quod abſolutiſſimis latitantium ad eos dies veterum Scriptorum editionibus, eruditis commentariis, & dignis cedro ſcriptionibus egregie eſt auctum. Ipſe plura tenebris obruta illuſtrium virorum opera inveſtigavit, detexit; tum liberali beneficentia ab interitu vindicata, publica luce donari curavit. Nullam opportunitatem praeterire viſus, qua non conſiliis, opibus, communi provehendo litterarum bono conſuleret, vel ſtimulis vehementiſſimis eos, quibus facultas erat, ad litterarios labores inflammaret. Ampliori inſuper, ac peregrina librorum copia litteratorum conatibus opitulaturus, Bibliothecam Vaticanam inſigni Graecorum voluminum numero, quae olim domeſticae Pii II. Romani Pontificis Bibliothecae erat addicta, & beneficio nobiliſſimae feminae Conſtantiae Piccolomineae ab Aragonia, Amalphitanorum Ducis, in Clericorum Regularium, quos Theatinos vocamus, poteſtatem pervenerant, auxit. Adiecit & antiquos Codices variarum linguarum Petri de Valle Romani, quos idem Pontifex ab Octavio Marchione de Bubalo dono acceperat. Ratus deinde abſolutiſſimum delectum manuſcriptorum librorum nationum Orientalium magno incremento fore ad controverſias dirimendas, quae de ipſarum religione ritibus moribuſque in dies ſingulos Romae inſtituuntur, qua via & cura potuit, praeſtantiſſimos comparavit. Non ſemel praeterea viros eruditos, ac gentium callentes linguas in Syriam & Aegyptum miſit, ut quos multorum teſtimonio acceperat, ibidem ſervari vetuſtiſſimos ac nobiliſſimos, codices conquirerent; pretioque, auctoritate, & officiis adepti in urbem conveherent. Multos Graeco ſermone exaratos libros ex

Aegypto

Aegypto redux attulit Abraham Maſſard nobilis Maronita; longe autem plures Elias, eiuſque patruelis Ioſeph Simonius Aſſemanus, atque Andreas Scandar, item Maronitae, quorum primus anno huius ſaeculi octavo, alter decimoſeptimo, tertius denique viceſimo primo, felici terminatam exitu expeditionem ſuſcepere. Collecta e longinquis regionibus egregia volumina Clemens illuſtri munificentia in eamdem Bibliothecam inferri mandavit. Vt autem lectiſſimae, nec ſine maturo iudicio paratae mercis pretium innoteſceret, idem Aſſemanus linguarum praeſertim Syriacae, Arabicae, Graecae peritia, & ſacra eruditione praeſtans, univerſos antiquorum Scriptorum exaratos manu codices Syriacos, Arabicos, Perſicos, Turcicos, Ebraicos, Samaritanos, Armenios, Aethiopicos, Graecos, Aegyptios, Ibericos, & Malabaricos, ex Aegypto, aliiſque regionibus avectos, & Apoſtolicae Bibliothecae addictos, exacto atque perſpicuo catalogo recenſuit, digeſſit, excerpſit. Germana ſcripta ſtudioſo labore a ſuppoſitis ſecrevit, ac ſingulorum aeſtimationem ab auctorum conditione, quorum vitam attexuit, opportune apsruit. Singulares item locos, atque hiſtoricos nodos, praecipuis animadverſionibus diſſolvit: quibus expediendis ſola Graecorum, ac Latinorum monimenta lucem dubiam ſuppeditabant, aut nullam. Opus Auctor, Bibliothecam Orientalem Clementino-Vaticanam *inſcripſit, pluribus diffuſum voluminibus, quorum tria Romanis excuſa typis prodierunt. Vno hoc Clementis beneficio res Theologica novis ſubſidiis, Eccleſiaſtica hiſtoria multis ſynchronis, ac locupletiſſimis teſtibus eſt inſtructa: veterum Patrum libri adaucti: uberior denique viris doctis omnis*

gene-

generis, & variae aetatis Orientalium Scriptorum parta ſupellex . . . . *Ne quid ex praeſtantibus operibus deperiret, quod rei litterariae ac bonis artibus prodeſſet, picturas veteres Romanarum cryptarum & ſepulcrorum, multorum ſtudio quondam collectas, & in domeſtica Albanorum Bibliotheca ſervatas, eleganter, iuxta archetypa, aeneis tabulis exprimi iuſſit, & illuſtrari. Par beneficium & ſacris nondum vulgatis tribuiſſet, ni coeptum opus abrupiſſet interitus. Statuas, picturas, ſcalptos eleganti artificio lapides alio ex urbe transferri; opera anaglypha & marmorata; vermiculata demum ad effigiem rerum & animalium cruſta; inſcriptiones & cuiuſvis generis antiqua monumenta in Pontificiae ditionis fundis reperta, dirui vel amoveri vetuit, inaudito Cardinali Camerario: ſeu non conſultis peritis hominibus eorumdem operum inſpectoribus delectis. Nullo item non pretio a privatis redemit, quod poſſet urbem ornare, illuſtrare vetera, & ingenuis artibus vel eruditioni prodeſſe*. Hactenus quidem ille auctor. Adde, quod doctos viros, quoſcumque Romae eſſe aut verſari intelligeret, ad ſe frequenter & comiter admittebat, familiariterque utebatur, mediocribus etiam minime contentis, ut *Philippo Stoſchio*, quem, etſi nulla Graeca vel Latina eruditione cenſendum (nam in antiquas Gemmas, quas ſuo nomine edidit, alter commentatus eſt), tamen quod longo uſu, & manuali tractatione vetera monumenta internoſcere & penſare didiciſſet, haud ſemel ſuis colloquiis dignatus eſt. Duo tamen in re litteraria, poſtquam Pontifex Maximus electus eſt, iure impro-

probaviſſe videatur, & ulteriorem Satirarum *Q. Sectani* ſcriptionem, cuius privatus conſcius fuiſſe creditur; & liberum de cultu Sanctorum ignotorum ab *Io. Mabillonio* prolatum iudicium: cui tamen ipſe auctor fuerat ut criticam illam Diſſertationem elucubraret. Quamquam vero ita de litteris, diſciplinis, boniſque artibus *Clemens* optime merebatur, quanto ardentiori nihilominus ſervandae propagandaeque religionis deſiderio incenderetur, ex eo maxime patuit, quod Orthodoxos per Thraciam, Armeniam, Syriam conſtitutos, & a Muhammedanis indigna & extrema perpetientes omnimodis iuvit ac ſublevavit; ultraque progreſſus & in Perſidem Africamque ſuas curas tranſtulit, & Indos novae doctrinae fraude ſeductos non ſine opportuno praeſidio reliquit. Nam anno MDCCII. *Carolum Thomam Maillardum Tournonium* Taurinenſem ad Sinas aliaque finitima Indiae regna cum poteſtate Legati de latere miſit, qui gliſcentibus Ieſuitarum erroribus, eos radicitus exſtirpaturus, occurreret. Anno inſequenti, *Clemente* probante, a *Franciſco Blanchinio* Veronenſi, & *Philippo Maraldo*, Mathematicis, inſignis Gnomon Aſtronomicus ad Calendarii uſum Romae conſtructus eſt. Interim dum Ianſenianis in Gallia, & Batavia obſtat, haereticos in Germania Pontifex ſapientiſſimus impugnat; Eccleſiaſticam ubique immunitatem tuetur; bella in dies increbreſcentia ſedare ſatagit, aut queritur aſperari; profanum Sinenſium rituum abuſum a Ieſuitis invectum & propugnatum, pronunciata ſententia damnat atque improbat. Annus tunc MDCCIV. ver-

tebat,

tebat, Pontificiſque ſolicitudo etiam ad alias Orientis partes ſe extendebat, quum anno in ſequenti edita Conſtitutione Ianſenianis auſis reſiſtit; & anno MDCCVI. res Palaeſtinae paternum eius animum cruciant minus proſpere principio cedentes; & Armeniae quoque, novum Martyrem in magna Eccleſiae perſequutione parientes, *Coſmam* Armenum Sacerdotem; cuius acta diligenter perquiri, & litteris mandari Pontifex iuſſit. Porro hoc eodem anno numerum etiam Cardinalium auxit, inter quos & *Gabrielem Philippuccium* renunciavit, memoratu digniſſimum, quod inſolito modeſti animi exemplo eam dignitatem, cui alii adeo inhiant, acceptare conſtantiſſime recuſaverit. Sequenti vero anno in eumdem Purpuratorum ordinem & *Carolum Thomam Tournonium* memoratum, virum de re Chriſtiana, & orthodoxa religione optime meritum, adhuc inter Sinas verſantem, cooptavit; qui tamen anno MDCCX. naturae conceſſit iniuriis hypocritarum adflictus, & infandis aerumnis divexatus; felix, quod inter alia diſertiſſimum ſuarum virtutum laudatorem, meritorumque praeconem, ipſum Pontificem Maximum in Cardinalium conſeſſu habere meruerit. Non huius tantum Cardinalis ſanctiſſimi iactura Pontificium animum dolore adfecit; ſed anno MDCCXII. rebus humanis pariter ereptum fuiſſe *Ioſeph. Mar. Thomaſium*, Cardinalem doctiſſimum, aegre tulit, quem tamquam verum ſanctioris diſciplinae veteris exemplar ſubſpicere conſueverat. Biennio poſt Conſtitutionem *Vnigenitus*, ut vocant, edidit, uberem Pontificiarum ſolicitudinum fontem, & novam Gallicanae

Eccleſiae turbarum cauſſam, quae ob *Ludovici* XIV. mortem, quae anno inſequenti contigit, vehementer invaluerunt. Earum tamen adlevatum aliquatenus faſtidium eſt, bello Germanorum adverſus Turcas ſub manus ſuccedente, etſi Venetis Peloponneſus univerſa erepta fuerit. Quamquam vero & de Hiſpanico contra Sardos, Siculoſque bello Pontifex quereretur; & Ianſeniani in Gallia curis eum moleſtiſſimis angerent;& res turbulentae undiquaque ſolicitarent: animum tamen ad res Sinicas in primis advertebat, eaſque componere, Ethnicoſque ritus, iam *Tournonii* opera labefactatos, penitus ex illa Eccleſia delere, vehementer optabat. Hinc anno MDCCXIX. *Carolum Ambroſium Mediobarbum* Ticinenſem cum poteſtate Legati de latere *Viſitatorem Apoſtolicum* illuc miſit: qui tamen re infecta reverti coactus eſt, laboribus multis periculiſque fruſtra defunctus; quo anno & Cardinalium numerus valde auctus eſt. Tamdem, quum Eccleſiam difficillimis temporibus rexiſſet, anno MDCCXXI. *Clemens* pie mortuus eſt, atque in Baſilica Vaticana ſepultus. Statura ei procera, & apta membrorum diſpoſitione ſpectabilis; par corpori caput, ſed longum; vultus maieſtate decorus; color albicans magis quam rubeſcens; frons alta & ſpatioſa; oculi nigreſcentes; ſupercilia venuſte protenta; aures elatae; naſus rectus; labra depreſſa; mentum amplum. Mente ſublimi praeſtitit; memoria tenaci & fidiſſima viguit: perhumanus & facilis univerſis: vir candidus & ingenuus, & Eccleſiaſtico Imperio digniſſimus.

Opera

Opera eius ſunt quae ſequuntur:

Epiſtola Graeca ad Petrum Poſſinum S. I.

Homilia Sophronii Ieroſolymorum Epiſcopi in Apoſtolos Petrum & Paulum, Latine verſa, & Romae edita, cui Praefationem adtexuit, qua duobus patefactis Sophroniis, cui potiſſime ſermo tribuendus eſſet, aperuit.

Encomium S. Marci Evangeliſtae, Auctore Procopio Diacono & Chartophylace, Latine pariter converſum, & a Bollandianis, Poſſinoque vulgatum.

Oratio de legatione Comitis Caſtelmainii, Iacobi II. Anglorum Regis apud Pont. Max. oratoris, & aliae Orationes.

Homiliae, quarum nonnullas Io. Marius Creſcimbenius *in Italicum ſermonem convertit.*

Epiſtolae, quarum Selectarum duo ingentia Volumina Romae typis excuſa ſunt.

Romae pariter eius Bullarium excuſum eſt.

ANTONIVS MARIA SALVINIVS.

INgens Florentiae decus & ornamentum *Antonius Maria Salvinius* fuit, qui *Petro Maria Salvinio*, & *Eleonora Dua*, nobilibus parentibus anno MDCLIII. Prid. id. Ianuar. ortus, univerſum vitae ſuae ſpatium Muſis, & litteris conſecravit. Quum enim puer domi *Franciſcum Mariam Bonfrizerium* magiſtrum habuiſſet, & adoleſcens in Ieſuitarum ſcholis ſub *Vincentio Glarea*, praeceptore non optimo, litteris humanioribus vacaviſſet; adeo in illis profecit, ut non condiſcipulos tantum,

(& qui-

(& quidem laudatos deinde viros, *Bened. Averanium*, *Io. Baptiſt. Ptolemaeium* Cardinalem, *Bonaventuram de Gherardeſca* Florentinum Archiepiſcopum, & Romanum Praeſulem *Anſaldum Anſaldium*, habuit) ſed magiſtrum etiam ipſum eruditione & eloquentia facile anteiverit; & *Leopoldi* ab Etruria Cardinalis eo nomine benevolentiam meruerit. Ab ineunte aetate magno Graecarum literarum amore captus eſt, quas, *Benedicto Averanio* opem ferente, perfecte didicit: ideoque eum ſemper plurimi fecit, & funebri tamdem laudatione celebravit. Piſas autem ſexdecim annos natus profectus, ut in perilluſtri illo Atheneo liberalibus diſciplinis, boniſque artibus operam daret, ſub *Donato Roſſettio* Liburnenſi Philoſophiam & Mathematicen didicit, cuius tamen cognitionem antea ſub *Vincentio Vivianio* feliciter hauſerat; in Iuriſprudentiam autem ſub *Bartholomaeo Cheſio* inter alios incubuit; qua quidem tralatitie delibata, utpote ſtudiis amoenioribus deditus, & *Pet. Hadriani Vandebroeck* humaniorum litterarum Profeſſoris familiaris, Magiſterii inſignibus anno MDCLXXII. honeſtatus eſt, & iuvenis magnae ſpei, atque omnigena doctrina cenſendus, Florentiam rediit. Heic, quum iniucundo Iuriſprudentiae ſtudio remiſſo, cui ſoli a a Patre ſe deſtinatum fuiſſe adeo indignabatur, ut melancholia correptus furioſus per aliquod tempus evaſerit, varia ingenii ſui, ſcientiaeque incredibilis ſpecimina praebuiſſet; & praeter doctrinas, plures etiam linguas, ut Ebraicam, Chaldaicam, Grecam, Latinam, Gallicam, Provincialem veterem, Germanicam, Hiſpanicam, Angli-

glicam, aliaſque calleret, *Carolo Datio*, in Atheneo Florentino Graecarum litterarum Profeſſori, vita functo, anno MDCLXXVI. viginti tres tantum annos natus, Coſmo III. Magno Duce iuſto meritorum aeſtimatore eligente, ſucceſſit; nam apud Florentinos adhuc moris erat ex patricia gente aliquem ad illius Cathedrae dignitatem ſemper evehere. Hoc autem munus obiens, & non tam Graecas litteras, quam Latinas, & Tuſcanicas excolens, eruditos Florentinorum coetus, quos vulgo Academias vocant, & eam praecipue, quae a *Cruſca* nomen habet, & in quam anno inſequenti cooptatus fuit, ita frequentavit, ut in iis eruditas cuiuſcumque argumenti diſſertationes, non ſine audientium admiratione, ſaepenumero legerit. In eo enim & dictionis nitorem, & ſententiarum gravitatem, & eruditionis copiam, & facilem orationis volubilitatem, quacumque lingua ſcriberet, quocumque dicendi genere & forma commentaretur, ſubſpiciebant. Novi tunc coetus eruditi ſpecies ſurgebat, qui deinde in Academiam, ut vocant, *Apathiſtarum* coaluit, & in aedibus *Auguſtini Cultellinii*, viri, ut ea tempora ferebant, non indocti, & poetae non contemnendi, congregabatur; nam ipſe auctor huiuſmodi congreſſum ſtatis diebus inſtituerat; quare tamquam memoratae Academiae conditorem Apathiſtae omnes ſubſpiciunt ac venerantur, eumque *Salvinius*, quum anno MDCVIIC. occubuiſſet, grata & luculenta oratione laudavit. Ad eas igitur aedes frequenter *Salvinius*, uſque ab anno MDCLXVIII,

D illi

illi coetui adſcriptus, ſe conferebat, & diſſertationem aliquam, quam αὐτοχεδιάζων elaboraverat, ſuper argumento in congreſſu praecedenti propoſito, fere ſemper recitabat; quem morem ſervavit etiam, quum coetus ille ex privatis Cultellinianis in publicas Athenei Florentini aedes, anno MDCVIC. Principis indulgentia translatus eſt. Quin, quum in hoc coetu feſtiva quaedam oraculi ſpecies, quam Sibyllam vocant, animi remittendi gratia inſtituta eſſet, & inſubidum temerariumque reſponſum, quod unica ad pueri Sibyllam agentis libidinem effuſa dictione interrogantibus redditur, a duobus interpretibus ad id deſtinatis ad congruam dubitationis explicationem aptandum, detorquendumque ſit; *Salvinius* interpretis vice fungens, praeſentia ingenii, eruditionis adfluentia, & feſtivi ſermonis elegantiis populum mirabiliter oblectabat. Dum haec *Salvinius* ageret, nec minus Academias, Florentinam, quae antiquiſſima eſt; & eam, quae vulgo a *Cruſca* nuncupatur, doctis lucubrationibus cum proſa, tum vorſa oratione, celebraret; Florentiam *Ioannes Mabillonius*, Monachus praeſtantiſſimus advenit, annuſque vertebat MDCLXXXVI. Doctiſſimus *Mabillonius* igitur, quum *Salvinium* cognoviſſet, intellexiſſetque quam multa, dum tot conciones habet, commentatus eſſet; eum hortatus eſt ut lucubrationes ſuas, quaſcumque ſcripſerat, aut legerat, typis excuſas publici iuris faceret, neque id in ſenectutem differret; ea potiſſimum ratione, quod iuvenes, & ſi minus exactas perfectaſque commentationes primum ediderint, aliis de-

in-

inde abſolutioribus vulgatis, famae iacturam facile reparare poſſint; ſenibus vero iam aetate confectis, & laborum frequentia perdomitis, id amplius integrum non ſit. *Salvinius* igitur tanti viri ſuaſionibus motus quaedam diſſertationum, & orationum ſuarum volumina in vulgus prodidit; & primum quidem *Franc. Redio*, familiari ſuo, nuncupavit; quem etiam anno MDCIIIC. mortuum funebri oratione in Academiâ *de la Cruſca* laudavit. Hae quidem diſſertationes adprobationem paſſim meruerunt, quum argumenta illa in iis tractentur, quibus vulgus per ea tempora maxime ducebatur, congeſtam locorum Auctorum celebrium ſeriem, conglobatamque teſtimoniorum copiam demirari & ſubſpicere ſolitum; id, quod *Benedicto Averanio* fraudi fuit, ut decoctas illas ſuas, dilutaſque lucubrationes commentaretur. Ita ſuae aetatis genio *Salvinius* obſequebatur, ſed non adeo acris ingenii iudicio, caſtigataeque eruditionis cenſu, deſtitutus erat; ut, quod utilius ſane, praeſtabiliuſque eſt, Scriptorum ſcilicet corruptorum emendationem, locorumque luxatorum reſtitutionem negligeret, aut parvi faceret; nec nova idemtidem in lucem produceret. Quamquam enim id ex eius ſcriptis editis non omnino elucet atque eminet, tamen quum adſiduae lectioni incumberet, & nullus fere Auctor eſſet antiquior, ſeu Graecus, ſeu Latinus, ſeu Tuſcus, quem ipſe non legiſſet perlegiſſetque; ſi eos ipſos Auctores in manus ſumſeris, eas animadverſiones, ea ſcholia, ea loca ſimilia, eas caſtigationes in ora libri crebro, ſed extempore adſcriptas in-

invenies, quibus utique meliores feliciorefque ne a *Salmaſio* quidem, vel *Caſaubono*, vel *Stephano*, vel *Meurſio*, aliiſque huiuſmodi ſummatibus ſapientiae viris, ſperare eſſet. Illud autem miraculi inſtar eſt, quod ſaepe in locis Auctorum corrigendis non alia nota uſus eſt, quam puncto, vel virgula, adſcripta ſive ſubſcripta; quibus quidem ſignis conſpectis, ſtatim in ſubſpicionem venire eſt, locum eſſe depravatum, adeoque emendandum; quod quanto uſui lectoribus ſit, ipſe quidem horum memorabilium auctor reipſa expertus haud ſemel fui. Libri illi, qui inſtructiſſimam *Ant. Mariae Salvinii* Bibliothecam conſtituebant, ita illius manu ſcripti & illuſtrati, in privatam *Gabriel. Riccardii*, Marchionis & Canonici Florentini, Bibliothecam, opportune comparati, translati ſunt, in qua conſulendi admirandique omnibus proſtant. At in ſuis quoque familiaribus colloquiis tantam perutilium obſervationum copiam adſidue fundebat, ut viri doctiſſimi eas memoriae commendarent, ac deinde tempeſtive exſcriberent; quemadmodum *Henric. Brecmannus* Batavus fecit, qui in Hiſtoria Pandectarum Florentinarum *Salvinium* ducem ſuum fidum, ſociumque laborum adſiduum, ingenue ac ſincere vocavit. Hinc facile intelligere datur, opera multo maiora utilioraque, quam fecerit, *Salvinium* moliri potuiſſe; quod quidem quoſdam eruditos viros exegiſſe ille aegre ferebat; nam, ut ipſe dicebat, quaecumque commentabatur, ſuae voluptati conſulens, proprioque genio indulgens perficiebat; nec unquam iis ambitionis ſtimulis, homo vere philoſophus

phus, actus fuerat, ut ſe tamdem in Gloriae & Immortalitatis templo dedicare pertenderet. Ceterum quicumque cum eo colloquebantur, ſive conterranei, ſive exteri, ſtatim ex eius ſermonibus percipiebant, divitem omnigenae eruditionis penum eius pectore contineri; ampliorique ſcientia praeditum eſſe, quam ex eius ſcriptis, quae per manus omnium circumferuntur, colligi poſſit. Hinc, qui ſemel cum eo congreſſi fuerant, tantam de ipſo opinionem concipiebant, ut plurimi eum facerent, & ubique celebrarent; quod quidem feciſſe etiam aiunt *Bernard. Montfalconium*, doctiſſimum Monachum, & nuper vita functum, quum anno MDCCI. Florentiam venit, & eius incredibilem Graecarum litterarum peritiam inter colloquendum ſubſpexit. Verum & qui eum non convenerant, nec umquam viderant, lecta aliqua illarum brevium emendationum, quas in ora librorum adſcribere conſueverat, tanti deinde *Salvinium* fecerunt, ut, etſi ſui opinione tumidi eſſent, ſibi eum comparare facile lubenterque voluerint; inter quos *Ioannes Clericus* ille famigeratus, viſa loci Philemonis, quem, ipſe dum edebat, non intellexerat, reſtitutione, a *Salvinio* feliciter aeque ac mirabiliter facta. Quam vero laudabilis & utilis *Salvinii* opera fuit, dum una cum *Franc. Maria Duccio* integrum triennium Catalogo Codicum MSS. qui in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana exſtant, contexendo, quem deinde edidit *Monsfalconius* laudatus, impendit? Quum vero ita famam ingentem, nomenque celeberrimum, apud Britannos, Gallos, Germanos, ſuoſque Italos,

Salvinius ſibi merito comparaſſet; innumeri prope ſunt harum gentium Scriptores, qui eius cum laude meminerunt, ut *Dacerius*, *Mabillonius*, *Monsfalconius*, *Regnerus*, *Vandembroek*, *Io. Clericus*, *Henr. Nevvtonus*, *Renaudotus*, *Spanhemius*, *Relandus*, *Io. Alb. Fabricius*, *VVeſtenius*, *Iac. Baſnagius*, aliique; ut Italos ſilentio praeteream, *Noriſium*, *Redium*, *Menzinium*, *Creſcimbenium*, *Segnium*, *Bellinium*, *Magalottium*, *Averanium*, *Maffeium*: quum praecipue aliis praeter memoratas lucubrationibus laudem inclitam gloriamque immortalem quaeſiviſſet. Nam, & dum eruditos coetus frequentare non deſinit; & Graecas litteras, variamque eruditionem, auditores docet; & doctos Viros undecumque ad ſe confluentes perhumaniter excipit, inſtruitque: variorum Graecorum, Latinorumque Auctorum interpretationi inceſſanter vacat, & *Homeri*, *Nonni Panopolitani*, *Oppiani*, *Theocriti*, *Anacreontis*, *Heſiodi*, *Ariſtophanis*, *Callimachi*, *Theognidis*, *Procli*, *Orphei*, *Perſii*, *Virgilii*, *Ovidii*, *Horatii*, aliorumque claſſicorum Scriptorum opera ad aures Italicas transfert, poeticae quidem ſuavitatis ſecurus ut plurimum; ſed de penito & vero, quod fidi interpretis munus eſt, verborum ſenſu & intellectu ſolicitus. Id qui non animadvertit, imprudens eius interpretationes contemnit, & iniquus cenſor vellicat atque perſtringit; quod quidem *Anton. Magliabechium*, noſtrae aetatis Cynicum, feciſſe ferunt, dum ridendo adfirmabat ſe doctis exteris quibuſdam, memoratos Auctores verſibus Italicis, non pedeſtri oratione, a *Salvinio* verſos fuiſſe, per-

perſuadere nulla ratione potuiſſe. Quamquam vero *Magliabechius* ita de more *Salvinio* interdum illuſerit, is tamen eius amarulentae dicacitatis laudabiliter oblitus, ubi ille anno MDCCXIV. diem ſupremum obiit, laudes pro maledicentia rependens, luculentam copioſamque de eo, & eius doctrina, orationem in Academia Florentina habuit, & digna iuſta cum univerſo illo coetu perſolvit. At non Poetas tantum Graecos *Salvinius* Italice vertit; vertit etiam, qui ſoluta oratione ſcripſerant, nonnullos, ut *Epictetum*, *Laertium*, *Plotinum*, ex parte ſaltem, & quaecumque *Xenophontis* Epheſii ſupererant. Sic non Etruſca tantum poeſi pollebat ille, qua Epigrammata etiam innumera aut compoſuit, aut fudit; verum etiam Latina carmina perfecte eleganterque condebat; & Graecos verſus adeo facile meditabatur, ut ſemeſtri ſpatio *Catulli*, *Tibulli*, & *Propertii* carmina maxima ex parte Graece, eodem metri genere, & ſervato ſaepe verbis aequivalentibus loco, reddiderit. *Phaedri* etiam fabulas in Graecos verſus convertere adgreſſus eſt, ſed opus ad umbilicum non deduxit, vel aliis curis praepeditus, vel morte ipſa praeventus. Nihil de iis interpretationibus dicam, quas primus ex antiqua Provinciali lingua, aut ex Gallica, Anglicaque elucubravit; quae omnes ingenium, ſolertiam, & eruditionem Salvinianam abunde teſtantur. Qui vero adeo eloquentia, & poeſi Etruſca praeſtabat, Etruſcae quoque linguae ſolicitam curam habebat, eique priſtinum ſplendorem aut ſervare, vel reſtituere; aut novis vocabulis apte inventis compoſi-

tiſque augere ; aut faciliorem luculentioremque reddere, ſatagebat. Hinc Dictionario Academicorum *de la Cruſca* componendo, elaborandoque una cum aliis eruditis viris ſedulo incubuit; hinc Grammaticas linguae Italicae Inſtitutiones a *Benedicto Bonmatthaeio* compoſitas ſcholiis & animadverſionibus inſtruxit; hinc *Lud. Antonii Muratorii* de perfecta Italica poeſi ſyntagma obſervationibus perutilibus auxit; hinc celebres clarioreſque Italicae linguae Scriptores, ut *Dantem*, *Petrarcham*, *Boccaccium*, alioſque, defendit paſſim & illuſtravit; hinc nominum etymologias acute ſubtiliterque perveſtigavit; hinc tamdem antiqua exemplaria manuſcripta adſidue evolvebat, legebatque, etſi verbis utiliora, quam ſententia, plerumque eſſent. Quin & ita de recta linguae Etruſcae pronunciatione anxius erat, ut quum quae vocales ore, modo latiore, ſtrictiore modo, efferendae ſint, internoſcere iis, qui extra Tuſciam orti ſunt; difficillimum eſſe perciperet, quibuſdam ſignis adpoſitis in ſua *Oppiani* interpretatione illas omnes diſtinxerit, viam, ut ipſe aiebat, monſtrans, qua quis alias nationes Tuſco ſermone exacte loqui cupientes adiutum iret. Parum tamen profuit exemplum; quum eius nemo, non ſecus ac *Triſſini* idem molientis, deinde veſtigiis inſtiterit. Quum igitur *Salvinius* tanta, ac tam multiplici doctrina excellere dignoſceretur; ei ut plurimum onus imponebatur, & publicas laudationes componendi, & epigrammata & epitaphia ſcribendi, & cuncta ferme alia, quae cum publice, tum privatim erudita commen-

men-

mentatione exſequi neceſſe erat. Hinc praeter memoratas orationes, alias etiam in funeribus *Victoriae Roboreae* Magnae Etruriae Ducis, *Horatii Oricellarii*, *Vincentii Capponii*, *Dominici Melanii* φιλοξενοτάτου, & *Petri Andreae Forzonii Accoltii*, per diverſos temporum tractus Rhetor eloquentiſſimus habuit. His quidem praeſidiis & operibus *Salvinius* in magnam omnium, ut diximus, opinionem venit, at non prorſus illaeſam; nam adverſarios quoſdam habuit, qui cum eo in re litteraria certarent; inter quos eſſe auditorem ſuum quemdam ipſe quidem putabat; eumque aequo animo ferre non poterat, deque illo ſaepe querebatur, indignabaturque talem ſibi antagoniſten contigiſſe, iure vel iniuria modo non quaero. Sed nec *Iuſtus Fontaninius Salvinio* aequus fuiſſe videtur, quem poſt obitum etiam inſectari non deſtitit. Nec minus moleſti *Salvinii* famae Ieſuitae quidam fuerunt; cauſſam vero haud facile expiſcari eſt, niſi ex eo forte quod *Thomae Cevae* Poema, *Philoſophia vetus & nova* inſcriptum, non admodum probaviſſet: vel *Brigae* Ieſuitae in Profeſſores Piſanos auſa damnaſſet; vel quod *Dominici Lazarinii* Patavini Profeſſoris, Ieſuitis inviſi, amicus fuiſſet. Illud tamen certum exploratumque eſt a *L. Sectano* in Satiris eum tamquam famam adulationibus aucupantem traductum fuiſſe, ſed immerito; quum vir per omnem Europam virtute & doctrina ſua celeberrimus, huiuſmodi aurae captatione non indigeret. Sunt autem qui putent recentioris *Sectani* in *Salvinium* odium, antiqui odii, quod in eumdem *Hieronymus Lilius* Senenſis exercuit, traducem eſ-

ſe

ſe : ſed haec curioſius perquirere noſtra parum intereſt. Nos quidem ſcimus & *Salvinium* amabilem fuiſſe, & facilibus moribus praeditum. Quin ad hilaritatem proclivis fuit, & largiore vini hauſtu, & comeſſationibus, lubenter vires laboribus fractas reparare gaudebat, voluptates etiam non omnino aſpernatus. Hinc paſſim a civitatis primoribus, & ab exteris nobilioribus invitabatur, lautiſque excipiebatur conviviis; quum omnes eius modeſtia, & eruditione incredibiliter caperentur. Naturae conceſſit anno MDCCXXIX. XVI. Kal. Iun. & in Coenobio Sancti Spiritus ſepultus eſt; cui *Salvinus* frater, Florentinus Canonicus, inſequens Epitaphium paravit.

D. O. M.

ANTONIO MARIAE SALVINIO. ANDREAE F. PATRIC. FLOR. PHILOSOPHO. ORATORI. POETAE PRAESTANTISSIMO. REI LITERARIAE BONO PROMOVENDO VNICE NATO. GRAECARVM LITERARVM IN PATRIO ATHENEO ANNIS LIII. INTERPRETI. ET RESTAVRATORI. ETRVSCI SERMONIS AMPLIFICATORI. COMPLVRIVM LINGVARVM PERITIA AC EARVM SCRIPTORVM VERSIONE. ERVDITIONIS COPIA LVBENTISSIME HVMANISSIMEQVE IN OMNES EFFVSA. INGENII SVI MONVMENTIS EDITIS. ALIORVMQVE ILLVSTRATIS. EMENDATISQVE. PIETATE IN DEVM. MORVM SVAVITATE. VITAE INNOCENTIA. IN CIVES AMORE. IN EXTE-

TEROS DOCTOS HOMINES BENEVOLENTIA. TOTO ORBE CELEBERRIMO. VIX. ANN. LXXV. M. IIII. D. IIII. OBIIT XVI. KAL. IVN. SALVINVS SALVINIVS CANONICVS FLORENTINVS FRATRI DESIDERATISSIMO MOESTISSIMVS P.

Homo fuit contractiori ſtatura, corpulentus, rubore ſuffuſus, recalvaſter, humanus, affabilis, & qui procul ab invidia quaecumque noverat cum aliis facillime communicabat. Tribus orationibus funebribus laudatus eſt in Academia *de la Cruſca*, a *Marco Antonio Mozzio*; in Florentina, a *Bindo Simone Perutio*; in Apathiſtarum, a *Bindo Io. Philippo* itidem *Perutio*; variiſque odis, & epigrammatis cum Latinis, tum Italicis; vir numquam ſatis celebrandus, & cui parem Florentia non alium protulit, nec forte in poſterum proferet. Eius diſcipulos *Angel. Maria Riccius*, qui pariter eius auditor fuit, & deinde in cathedra ſucceſſor, quum talis iam *Salvinio* vivente & aequo animo ferente deſignatus fuiſſet, accurate recenſet; & ex eo ſequentes memoramus: *Angelum Mariam Quirinum* Venetum Cardinalem, S. R. E. Bibliothecarium, & Epiſcopum Brixianum; *Franciſcum Montanium* Comitem Piſaurienſem; *Franciſcum Mariam Ottierum* Marchionem Senenſem; *Marium Guarnaccium* Volaterranum, nunc Romanum Praeſulem; *Iulium Accettam* Rhegienſem Auguſtinianum; *Thomam Derbeamum* Equitem Britannum; *Camillum Antonium Buccaferreum* Comitem, & Senatorem Bononienſem;

An-

Anſelmum Bandurium Epidaurienſem Monachum; *Stephanum Trentam* Monachum Lucenſem; *Stephanum Farſium; Henricum Noriſium*, ut videtur, Cardinalem; *Iacobum Lanfredinium* Cardinalem, Epiſcopum Auximianum; *Franciſcum Gondium*, & *Iulium Oricellarium*, Senatores Florentinos; *Io. Caietanum Bottarium* Praeſulem; *Petrum Franciſcum Tocium*; *Ant. Dominicum Gottium*; *Bindum Simonem Perutium*; *Ioſephum Blanchinium*; *Nicolaum Bargiacchium*; *Caietanum Moneliam*; *Franciſcum Pictoreggium*; *Innocentium Montinium*; *Iacobum Magnanium*; *Io. Laurentium Bertium* Auguſtinianum; *Carolum Mariam Bindium*; *Sebaſtianum Caſalium*; *Camillum Plumbantium*; *Angelum Vallium*; *Caietanum Caninium*; *Antonium Franciſcum Monaldium*; *Antonium Cocchium*; *Ioannem Lamium*; *Ant. Franciſcum Gorium*; *Salvinum Salvinium* fratrem; *Franciſcum Nerlium*, & *Alamannum Salviatum*, Cardinales; *Franciſcum Mariam Arrighium*; *Laurentium Panciaticum*; *Thomam Bonaventurium*; *Antonium*, & *Iacobum Rillios*; *Io. Bapt. Cerretanium* Senatorem Florentinum; *Marcum Martellium*; *Franciſcum Memmium*; *Angelum Mariam Riccium*; *Franciſcum Forzonium Accoltum*; *Io. Baptiſtam Balaſſium*; *Philippum Meium*; *Sebaſtianum Blancum*; *Stephanum*, & *Laurentium Laurenzinios*; *Io. Philippum Scalettium*; *Dominicum Stecchium*; *Ant. Franc. Gallettium*; *Petr. Salvat. Palchettium*; *Thom. Galeſtruzium*; *Caeſarem Ricaſolium*; *Io. Mariam Luchinium*; *Leopoldum Andream Guadagnium*; *Benedictum Breſcianium*; *Hyacinthum Toſium*; *Ioſephum Mariam*

Me-

Mecattium; quos quidem omnes tumultuario ordine, ut fere *Riccius* fecit, recenſuimus.

Salvinii Opera ſunt quae ſequuntur.

Homerus Italicis verſibus expreſſus, atque editus

Heſiodus.)
Nonnus Panopolitanus)
Ariſtophanes)
Callimachus)
Nicander)
Theognis) *Italice & μετρικῶς converſi, ſed inediti.*
Proclus)
Orpheus)
Virgilius)
Ovidius)
Horatius)

Theocritus)
Oppianus)
Anacreon) *Italice & μετρικῶς verſi atque editi.*
Perſius)

Epictetus)
Laertius ex parte) *Italice verſi, atque editi.*
Plotinus ex parte)
Xenophon Epheſius)

Cato Tragoedia Addiſſonii, ex lingua Britannica in Etruſcam translata, & edita, ſicuti eiuſdem Poetae alia

Vita D. Franciſci Saleſii Gallice ſcripta, & Italice reddita & edita.

Diſſertationum Academicarum lingua Italica Volumina tria.

Diſſertationum Tuſcanicarum Tomi II. editi.

Orationes Sacrae Italica lingua editae.

Sho-

Scholia in Euſtathii Expoſitiones Homericas, edita
Obſervationes in Inſcriptionum Etruſcarum Part. I. ab Ant. Franc. Gorio *editam*
Scholia in Boccaccii Praelectiones in Dantem edita
Scholia in Laurentii Lippii Malmantilem edita
Scholia in Mich. Angeli Bonarotii Comoedias, quae Nundinae *&* Tancia *inſcribuntur.*
Scholia in Grammaticam Italicam Benedicti Bonmatthaeii
Scholia in Librum Lud. Ant. Muratorii *de Perfecta Poeſi Italica*
Scholia in Epigrammata Italica Iuſti de Comitibus.
Praelectiones in Graecos Auctores Latinae ineditae.
Scholia in Hecubam Euripidis a Mar. Guarnaccio *verſam.*
Epiſtola Latina de Pictura, & Pictorum quorumdam vita, aliiſque.
Catulli)
Tibulli)
Propertii) *in Graecos verſus interpretatio inedita*
Phaedri)
Libanii Epiſtolae plures Latine redditae, & excuſae cum textu Graeco
Epigrammatum Italicorum Volumen editum.
Epigrammata pluria Italica in variis carminum miſcellaneorum editionibus publici iuris facta.
Epigrammata eiuſmodi pluria inedita.
Dictionarii Italici, & aliis doctis Viris communis, lucubratio
Multae lucubrationes ineditae, & obſervationes, & ſcholia

Corrige *pag.* 47. ubi dicitur *Petro Maria Salvinio*, & lege, *Andrea Salvinio*.

BE-

BENEDICTVS BRESCIANIVS.

FLorentinus quoque *Benedictus Breſcianius* fuit, anno MDCLVIII. natus, litteris Latinis a *Vincentio Glarea* Ieſuita eruditus, & ab *Ant. Mar. Salvinio* Graecas edoctus. Poeſi primum delectatus eſt, ſed primarium eius ſtudium Mathematicae fuit, cuius cognitione quidem excelluit. Muſicen ita animo comprehendit, ut egregios de ea Scriptores, cum veteres tum recentiores, acri cum iudicio legerit expenderitque; & Omnichordum, Muſicum *Franciſci Nigetti* Florentini inventum, ſolicite comparaverit. De hoc inſtrumento tractationem elucubravit, in qua ſtructura eius, diverſique uſus, docte dilucideque exponuntur: non enim Muſicae operam navavit tantum, verum etiam ſcripſit ac commentatus eſt, Syntagma de Muſica veterum adgreſſus, quod imperfectum reliquit. Medicae quoque artis, & humani corporis ſtructurae, atque Anatomes, peritiam non exiguam habuit. In coetum, quem Furfureorum, ſeu *de la Cruſca* vocant, cooptatus, eius Vocabulario abſolvendo multum ſuo ſtudio & obſervationibus contulit. Apathiſtarum quoque Academiam Praeſes rexit; & in utraque eruditas diſſertationes recitavit. Hinc, quum multa eruditione & egregiis diſciplinis praeſtantiſſimus haberetur, *Io. Gaſtoni* Principi Mediceo, deinde Magno Etruriae Duci, qui iis illum inſtitueret, praeceptor datus eſt; cum quo pariter in Germaniam, ubi diu ſubſtitit, & in Principum doctorumque homi-

mi-

minum amicitiam ſe inſinuavit, profectus eſt. Vbi ex Germania, plurium linguarum notitiam adeptus, cum Principe illo rediit, *Antonio Magliabechio* vita functo, Bibliothecae Palatinae praefectus eſt. Praeceptor quoque Epheborum honorariorum a Principe renunciatus eſt, ut eos Geometriam diſciplinaſque doceret. Eruditiſſimorum per ea tempora virorum *Laurentii Magalottii*, *Laurentii Bellinii*, *Averaniorum* fratrum, *Salvinii* laudati, *Pandulfi Pandulfinii* Senatoris, a quo etiam marmorea protome in domeſtico Muſeo collocata honeſtatus eſt, *Franciſci Redii*, & *Ioſephi de Papa*, familiaris admodum fuit. Aereo quoque numiſmate ab amicis merito decoratus eſt, qui talem ac tantam doctrinam habuit, ut, quum ad Faeſulas ruſticaretur, Agricola quidam, *Philippus Manganius* nomine, ex eius colloquiis Geometra non ſpernendus evaſerit. Naturae conceſſit *Benedictus* anno MDCCXL. atque in *D. Frigidiani* ſepultus eſt. Homo fuit ſtatura modica, membris craſſioribus, tardo inceſſu, habitu incomto, animo modeſto, & qui erga omnes ſe reverenter haberet. Opera eius MSS.

De Syſtemate harmonico Tractatus, quo Inſtrumentum omnichordum, & varii eius uſus, explicantur.

Tractatus brevis De Sphaera.

In corporis humani muſculos, & nervos Obſervationes.

Libellus de Muſica veterum imperfectus.

Praelectiones quaedam Academicae.

Carmina Italica nonnulla edita.

CLE-

CLEMENS XII. PONT. MAX.

PRincipum, qui litteras bonaſque artes favore proſequuti ſunt, & foverunt omnimodis, memoriam aeternare decet, ut dignae apud poſteros laudis illecebra ad doctrinas, diſciplinaſque promovendas regnatores populorum ſuperſtites venturique excitentur. Eapropter heic *Clementis* XII. Pont. Max. opportuna commemoratione praeconia & laudes adteximus, qui Florentiae nobili *Corſiniorum* gente anno MDCLII. *Bartholomaeo Corſinio*, & *Eliſabetha Stroctia* parentibus progenitus, & *Laurentius* nominatus, quum litteris in patria vacaviſſet, atque in varios Eruditorum coetus cooptatus, Piſis tamdem, ubi egregiis artibus, liberalibuſque diſciplinis operam dederat, Iuris Conſultus more maiorum declaratus fuiſſet, Romam ſuae virtutis praemia accepturus ſe contulit. Ibi quum publica munera diverſis temporibus laudabiliter obiviſſet, in Purpuratorum ordinem a *Clemente* XI. anno MDCCVI. adſcitus eſt; qua dignitate decoratus in ſuis aedibus inſtructiſſimam Bibliothecam dedicavit, cui *Malachiam Dinguimbertum*, virum eruditione ſcriptiſque celebrem praefecit; & litteratorum quorumdam hominum, quibus *Quirinis* nomen dedit, conventum litterariae exercitationis gratia inſtituit, & ſtatis temporibus convocavit. Quum anno MDCCXXX. Pontifex Maximus renunciatus fuiſſet, primumque nomen *Clemente* mutaſſet, ſuum in diſciplinas liberaleſque

artes amorem & propenſionem magis atque magis aperuit, doctiſſimum Virum, *Angelum Mariam Quirinum* Venetum, Cardinalem, Sanctae Romanae Eccleſiae Bibliothecarium prudentiſſime creans, eique ſubiectum Vaticanae Bibliothecae Cuſtodem *Ioſephum Simonium Aſſemanum* Maronitam, Orientalis litteraturae periſſimum, adiungens; cuius tandem ſocium *Ioannem Bottarium* Florentinum, & ipſum multiplici eruditione cenſendum, iure merito declaravit. Porro Cardinalis *Quirinus*, *Clementis* auſpiciis ſpendidam illam operum D. *Ephraemi* Syri, triplici lingua, Syriaca, Graeca, Latina, editionem ſuſcepit, laudati *Aſſemani*, & *Petri Ambaraci* itidem Maronitae, Ieſuitaeque cultiſſimi, opera uſus; *Ioannes* autem *Bottarius* eiuſdem *Clementis* iuſſu veterum Chriſtianorumque monumentorum imagines, quas *Boſii Aringhiique Roma ſubterranea* exhibet, illuſtrare utiliter adgreſſus eſt, aeneis earum tabulis, quae priori editioni inſervierant, forte fortuna repertis; primumque tanti operis volumen anno MDCCXXXVII. in vulgus proditum fuit. Interim, quum praeter barbarae nationis morem, typographia Conſtantinopoli inſtituta fuiſſent, variique libri Turcica lingua excuſi; *Clemens* illuc animum ſuum curamque convertit, & ingentem huiuſmodi Codicum vim pretio comparatam ex illa urbe Romam tranſuehendam curavit; iiſque, hiſtoriam regnorum Aſiae magna ex parte continentibus, Bibliothecam ſuam ornatiſſimam auxit ac locupletavit. Vaticanam autem Bibliothecam, aedificio adſtructo, am-

plia-

pliavit, & in eam cum Orientales codices, tam antiqua numiſmata maximi, ut vocant, moduli, quae *Alexander Albanus*, Cardinalis eruditiſſimus, diſtraxerat, & *Rodulphinus Venutus*, Cortonenſis, doctis commentariis explicaverat, tranſtulit; ibique inſuper magnam Etruſcorum vaſorum, varias picturas, rerumque imagines, referentium copiam, non tam eruditae antiquitatis, quam ſui erga litteras, & diſciplinas amoris monumenta, collocavit. Splendidum vero ſummi Principis exemplum imitatus *Quirinus* eminentiſſimus in eamdem Bibliothecam eximiam raramque ſuorum librorum ſupellectilem intulit, ut quanto illius Bibliothecae bono & incremento eum *Clemens* primarium Praefectum iuſſiſſet, non tam ſcientia ſingulari, & egregiis commentationibus editis, quam memorabili & laudatiſſima munificentia demonſtraret. Sed & Vaticanae typographiae Pontifex, in religionis amplificationem, & Reip. litterariae utilitatem vigilantiſſimus, minime oblitus eſt, eamque reſtituens, videndi in ea Orientales codices formis deſcriptos magnam in eruditis exſpectationem excitavit. Quid quod peramplas aedes porticumque magnificam in Capitolio aedificavit, ut Muſeum omni veterum reliquiarum ſpecie, ſtatuis, anaglyphis, ſarcophagis, epitaphiis, epigrammatis, & id genus aliis, inſtructiſſimum Romae exſtaret, aeternumque monumentum *Clementis* virtutem, praeſtitumque bonis artibus, & diſciplinis favorem, luculenter & ſplendide adteſtaretur? In harum

rum aedium xyſto ſequens Inſcriptio legitur: *Clemens XII. Pont. Max. illatis in has aedes antiquis ſtatuis monumentiſque ad bonarum artium incrementum fonteque exornato priſtinam Capitolio magnificentiam reſtituendam curavit. A. S. MDCCXXXIV. Pont. V.* Si noſtrum propoſitum pateretur, quot novis aedificiis Romam exornaverit, Romanamque ditionem auxerit & inſtauraverit, lubenter alacriterque commemoraremus; ſed quum nobis id prope exorbitare eſſet, aliique exacte diligenterque exſequuti fuerint, huiuſmodi narratione ſuperſedemus. Mortuus eſt *Clemens* anno MDCCXL. VIII. Id. Februar. quum Cardinales XXX. & quod excurrit, creaviſſet, inter quos doctrina & eruditione praeſtantes *Iacobum Lanfredinium* Florentinum, *Dominicum Rivieram* Vrbinatem, & *Dominicum Paſſioneum* Foroſempronienſem, alioſque. Homo fuit iuſta ſtatura, iuſtiſque membris, vultu gravi, colore ſubalbicanti, naſo ad aquilinum vergente, viſu infirmo; animo autem forti, munifico, & qui comitatem cum maieſtate coniungeret.

FRIDERICVS IANNETTIVS.

FRidericum *Iannettium* ea nobis regio dedit, quae ab vetuſta urbe Luna, iam deleta, nomen habet, Albiani honeſtis parentibus ortum anno MDCXLV. Eius ingenii vi a genitoribus, & multo magis a *Dominico Parteguelſio* avunculo, cognita atque perſpecta, ab hoc, qui Florentiae ſacerdotium obtinebat, in florentiſſimam urbem ducitur, ut litteris,

ris, boniſque artibus, inſtitueretur. Itaque humanis litteris in Ieſuitarum ſcholis vacavit, & brevi tales progreſſus fecit, ut facultate poetica pollens Apathiſtarum coetum frequentaret, & in eum cooptaretur; pietatique deditus Ieſuitarum familiae nomen dare animum induxerat, quod tamen ſaniori conſilio exſequutus non eſt. Hinc Philoſophiae Peripateticae, quae per ea tempora primas obtinebat, operam dedit, & Iuriſprudentiam edidicit; in Theologiam vero totus incubuit, quum iam in Clerum adſcitus fuiſſet. Huius igitur ſtudio mirabiliter captus Theologi inſignibus decorari voluit, & in Florentino Theologorum Collegio anno MDCLXXI. admodum adoleſcens Magiſterii titulo auctus eſt. Non ita tamen diſciplinarum, doctrinarumque ſtudiis ſe totum devovit, ut perutilem variarum linguarum cognitionem neglexerit; nam & Graecae, & Ebraicae, & Gallicae, & Hiſpanicae, praeter Latinam, & patriam, eruditus fuiſſe perhibetur. His igitur praeſidiis inſtructus, optimam ſui opinionem collegit, & ſacris myſteriis initiatus, Divi *Ruffilli* ſacerdotium obtinuit; moxque a *Coſma* III. Principe Canonicus Eccleſiae Divi *Laurentii* renunciatus eſt. Hinc, eius virtute & doctrina cognita, audiendis ſacrarum Virginum confeſſionibus non uno in Parthenone praeficitur, quorum in primis memorabilis eſt ille, qui Divae *Catharinae*, in via Rotarum, nomine inſignis per ſolidos XXVI. annos optime a *Friderico* inſtitutus & procuratus fuit, eximiis legibus & conſtitutionibus eidem praeſcriptis. Illud autem ſilentio praetere-

undum non eſt, tantam illum ab omnibus ob egregiam doctrinam, & oratoriam facultatem, exiſtimationem meruiſſe, ut quum in illius Coenobii Eccleſia privatas conciones haberet, & divinis monitis ac documentis, ſtatis anni temporibus, Sanctimoniales erudiret, voxque eius alta ac ſonora murorum clauſtra pervaderet, ingens populi concurſus in adiacenti platea fieret, quo viri ſcientiam incredibilem, & facilem volubilemque orationem mirarentur. Et profecto orator admirabilis ille fuit, qui re fere numquam praeviſa, & αὐτοσχεδιάζων, tales ſemper ad populum conciones habebat, ut non doctrinae cenſus, non ſermonis ordo concinnus, non verborum delectus ornatuſque, in diſertiſſimo Viro deſideraretur. Hinc non Florentinos tantum, ſed Venetos etiam, ſtupore perculſit; & in *Clemente* XI. Pont. Max. ardens ſui deſiderium excitavit, ab eo ideo invitatus ut coram ſe ſacras orationes haberet; quam tamen provinciam modeſte *Fridericus* recuſavit. At non hiſce tantum ille occupabatur; vir enim indefeſſus, & alienae utilitatis incredibiliter adpetens, Philoſophiam Theologiamque privatim quoſcumque docebat, & publicos quoſdam conventus interdum agebat, in quibus innumeram cultorum hominum multitudinem de rebus graviſſimis diſſerendo amplius inſtruebat; donec *Coſmas* III. Magnus Etruriae Dux publicam Theologiae Moralis in Atheneo Florentino Cathedram ei contulit. Hoc quidem munus ita obivit *Iannettius*, ut eius fama magis atque magis in dies increbreſcente, & infinita pro-

pemo-

pemodum auditorum copia circumflueretur, & in quaeſtionibus controverſiiſque Theologicis ab omnibus, non tam conterraneis, quam exteris, conſuleretur tamquam oraculum; unde tot conſulta & reſponſa Moralia partim publici iuris facta, partim manu exarata, & adhuc apud quoſdam deliteſcentia, ex eius foecundo calamo profluxerunt. Quibus quidem conſcribendis quum adeo occuparetur, mirari ſubit, quomodo tot alias etiam lucubrationes commentatus fuerit, quot ad nos ſeu typis excuſae, ſeu manu ſcriptae pervenerunt. Quamobrem virorum etiam Principum aeſtimatione cenſebatur, & praeter indicata exempla, quum Florentiam Cardinalis *Sfondratus* adveniſſet, cum eo congredi voluit, & eius doctrinam ſapientiamque probavit atque ſubſpexit. Quid de *Ferdinando* III. Iuventutis Principe dicam, qui litteratorum hominum, egregiarumque artium, fautor munificentiſſimus, tanti *Iannettium* faciebat, ut quum Veneti eum apud ſe retinere deliberaviſſent, repetiverit ipſe, & Florentiam revocaverit, & in clientelam receperit? At ſi principibus viris placuiſſe non ultima laus eſt; iis diſplicuiſſe ingens profecto periculum, extremumque exitium eſſet, niſi mens recti conſcia, & criminis pura, probos iuſtoſque viros de adverſa fortuna triumphatores efficeret. Quum enim *Fridericus* a *Francisco Benevenutio*, qui Eccleſiae D. *Pauli* Carteianenſi praeerat, rogatus libellum *De fraterna correctione* iuxta Chriſtianae ſapientiae leges exſequenda ſcripſiſſet, prodidiſſetque in vulgus, cum *Io. Baptiſta Freſcobaldius* Eccleſiae D. *Laurentii* Antiſtes, tum

Princeps ipſe Sereniſſimus *Coſmas* III. ſe commentatione illa a *Iannettio* perſtringi crediderunt; quare is gravem Principis, *Freſcobaldium* in primis probantis, indignationem incurrit, & ab illo poenam exigente, publico magiſterio privatus eſt: quod quidem infortunium *Fridericus*, ut ille, qui res omnes fluxas flocci faciebat, virtutemque unam, peramplam & inaeſtimabilem poſſeſſionem eſſe arbitrabatur, aequo animo tulit, contentus tantum egregiam Apologiam ſcribere, quae per multorum manus, licet formis minime vulgata, circumfertur. Interim anno MDCCV. Eccleſiae Sexti Plebanus, ut vocant, eligitur, quo munere per triennium magna cum laude functus eſt, cum myſteria adminiſtrans & Evangelium praedicans; tum multos adoleſcentes, quos in contubernium adſciverat, litteris & diſciplinis erudiens, ut ii deinde Clero decori & ornamento eſſe poſſent. Tamdem quum annus MDCCVIII. verteret, iniquam hypocritarum, quorum ſemper acer inſectator fuerat, perſequutionem, diu quidem, ſed mira animi tranquillitate, *Fridericus* expertus in morbum incidit, qui deinde in aquam intercutem erupit, & humanis rebus virum inſignem intercepit, anno aetatis LXIII. VI. Id. Septembris, & in ſua Eccleſia ſepultus eſt. Vir certe fuit *Iannettius* capaci vividoque ingenio, & doctrina, ut diximus, multiplici praeditus, quique nemini ſua aetate in Etruria Theologicae eruditionis palmam concederet; major tamen futurus ſi in poſteriora tempora incidiſſet, quibus ſtudia utiliora & exactiora florent, Scho-

laſti-

laſticis iam quiſquiliis, & ſterilibus diſputationibus, eiectis atque exculcatis. Pius, modeſtuſque fuit, & in pauperes liberalis, corpore pingui & humiliori, vultu rubeſcenti atque ilari, ſcintillantibus oculis. Auditorum praecipuum *Ioſeph. Mariam Brocchium*, commentationibus editis clarum, *Iannettius* habuit, qui eius nomen ampliavit opera quaedam poſtuma vulgans. Inſuper, quum XXX. annis elapſis *Antonius Corſius* Florentinus, Calactiae regulus, qui Philoſophiam a *Iannettio* doctus fuerat, eum nullo titulo iacere indignatus, epitaphium inſcribi voluiſſet, *Brocchius* illud compoſuit, atque ita habet:

D. O. M.

FRIDERICO GIANNETTIO POLYDORI FILIO FLORENTIAE LIBERALISSIME EDVCATO PROTONOT. APOST. S. TH. D. PAROECIAE S. RVFILLI PRIMVM RECTORI AMBROSIANAE DEIN. FLORENTINAE BASILICAE CANONICO HVIVS DEMVM ECCLESIAE ANTISTITI ELOQVENTIAE PHILOSOPHIAE THEOLOGIAE PROFESSORI CLARISSIMO SACRO ORATORI CELEBERRIMO RELIGIONE IVSTITIA MODERATIONE INTEGRITATE CONSPICVO PAVPERVM PATRI MVNIFICENTISSIMO VITIORVM ACERRIMO INSECTATORI INVIDIAE CONTEMTORI MAGNANIMO VERITATIS IMPERTERRITO ADSERTORI VITA MORTALI FVNCTO ET IMMORTALI DONATO A. S. MDCCVIII. VI. IDVS SEPTEMBRIS AETATIS SVAE LXIII.

AN-

ANTONIVS CORSIVS CALACTIAE MARCHIO AETERNVM GRATI ANIMI MONVMENTVM PRAECEPTORI DE SE OPTIMO MERITO ANNO AB EIVS OBITV TRIGESIMO.

Iannettii opera ſunt quae ſequuntur:

Coſmus Philoſophicus, ſeu Ariſtotelicae Philoſophiae explanatio, opus in quinque Tomos in 12. *diſtributum.*

Synopſis Theologica de ieiunio Feriae VI. & Sabbati in ordine ad eos, qui legitime & abſolute ab obſervantia Quadrageſimali diſpenſantur.

Alexipharmacum ad Tonellianam Apologiam ſalubriter leniendam.

Methodus correctionis paternae ex quibuſdam Friderici Iannettii reſponſis extracta a Franciſco Beneventutio Priore S. Pauli Carteianenſis, Italice ſcripta.

Sermo Apologeticus, ſeu Reſponſio Conſultationi cuiuſdam Advocati, qui probare pertendit irritum eſſe baptiſmum, infantibus uſu rationis adhuc carentibus, invitis parentibus infidelibus, conlatum, etſi moribundi illi, ſervorumque filii ſint, Italice.

Speculum veritatis revelatum laicis hominibus, qui ius praeſentandi ad Parochialia Beneficia habent, Italice.

Theologiae moralis generalia principia, quibus adnectuntur opuſcula de fide, ſpe, & caritate, iuramento, blaſphemia, voto, & fama, ex doctrina celebris tam doctoris Friderici Giannetti, ad publicam utilitatem eruta, ordinata, & aucta ab

ab Ioſepho Maria Brocchio Sacerdote Florentino, in alma eiuſdem Vuniverſitate Sacr. Theologiae Doctore.

Haec quidem *Iannettii* opera ſunt, quae typis excuſa prodierunt; quae vero ſubiiciuntur, manu tantum exarata exſtant.

Deus optimus, etiam erga reprobos abundantiſſime bonus, Paraeneſis Theologica, in qua oſtenditur omnibus omnino adultis, uſu rationis pollentibus, dari miſericorditer a Deo copioſa gratiae ſupernaturalis auxilia, quibus ſi velint ſalvi eſſe, facile poſſint. Poſt hunc Tractatum duo exſtant Diſſertationes, in quarum prima probat, *Fidelium praedeſtinatorum numerum maiorem eſſe multitudine reproborum*; in altera, *Conſultiſſimum eſſe, doctrinam de divina Gratia & Praedeſtinatione tanta ſuavitate proponere, ut fideles in ſpem & probabilem aeternae ſalutis credulitatem erigantur.*

Paraeneſis ad Tonellianae Apologiae furorem ſalubriter leniendum.

Brevis ad Moralem Theologiam manuductio.

De Sacramento Poenitentiae.

Caſus varii de Poenitentia & Matrimonio.

Tractatus de Matrimonio.

Caſus varii de reſtitutione, de Baptiſmo, Euchariſtia, & de primo & ſecundo praecepto Decalogi.

Collectanea variorum conſcientiae caſuum in Friderici Giannetti Academia diſcuſſorum, Tomi II.

De arte Rhetorica.

In univerſam Theologiam.

In quatuor Magiſtri ſententiarum libros Diſputationes Thologicae, Tom. V.

Flo-

Floſculi caſuum conſcientiae.

Defenſio methodi correctionis paternae, Italice.

De contritione, & eius facilitate, cum aliis caſibus ad hoc ſpectantibus, Italice.

Relatio de matrimonio Equitis Ruperti Acciaiuoli, & Eliſabethae Mormorariae, viduae uxoris Petri Iulii Berardi, cum variis deciſionibus ad illud ſpectantibus, a Giannetto, aliiſque elucubratis.

Miſcellanea caſuum conſcientiae.

Praelectiones, ſeu caſus extempore reſoluti.

Examen ad animarum curam ſuſcipiendam.

Examen Confeſſariorum ſimplicium.

Methodus facilis confeſſionis, & curae animarum, aliorumque, quae Parochis omnino neceſſaria ſunt, ut ſuo munere bene fungantur.

Miſcellanea Conſultationum Legalium, & Theologicarum, Tomi II.

Epiſtolae Aſceticae, Tomi III.

Geneſeos Enarratio.

IO. BAPT. CASOTTIVS.

Ioſeph. Blanchinio auctore, & Matthaeo Roſatio interprete.

IN praeclariſſimis viris, qui, magna litterarum laude florentes, Etruriam memoria noſtra exornarunt, honeſtiſſimum locum habuit *Ioannes Baptiſta Caſottius*, e gente patricia, qui Prati, urbe Etruriae, natus XII. Cal. Nov. anno MDCLXIX. vel ab ineunte aetate acerrimi ingenii clariſſima ſpecimi-

cimina dedit, magnamque de ſe exſpectationem excitavit. A parentibus proinde Florentiam miſſus, ut ibi commodius operam ſtudiis daret, ſeque eruditione, doctrinaque locupletaret, ea literarium curſum alacritate ſuſcepit; adeo ſtudiis incubuit, publicaſque Academias frequentavit; adeoque cum eruditiſſimis quibuſque litteratis, qui tunc temporis Florentiae erant, adſiduus fuit, ut brevi magnum ſibi eruditionis, ac politioris litteraturae cenſum comparaverit. Hinc, etſi vix adoleſcentiae annos egreſſus eſſet, tanta doctrinae illius fama percrebuerat, ut Lutetiam Pariſiorum miſſus fuerit, quo publico nomine a ſecretis *Bettino Ricaſolio*, Baroni, ut vocant, & Magni Etruriae Ducis apud Galliarum Regem oratori, ibi eſſet. Complures annos in aula illa verſatus, ſuamque optime Spartam ornans, in multorum amicitiam litteratorum inſinuare ſe ſtuduit, praecipueque uſus eſt familiariſſime *Aegidio Menagio*, & *Franciſco Seraphino Regnierio Deſmareſio*. In Italiam reverſus, non ſolum a Clericali inſtituto, cui puer ſe addixerat, non diſceſſit; ſed ſacris etiam eſt initiatus, & ad ſacerdotis dignitatem evectus. Florentiae ſuam ſedem poſuit, ibique in Academia nobilium, Praeſidis, nec non Profeſſoris Philoſophiae Moralis, & Geographiae, honeſto munere functus eſt. Quamdiu Florentiae fuit, non modo ſibi bonorum omnium amorem facilitate & comitate morum conciliavit; ſed oculos quoque omnium admirationemque, doctrinae, multiplicisque eruditionis ſuae praeſtantia in ſe convertit, cum qua ſemper miram

vitae

vitae morumque integritatem coniungebat. Quum anno MDCCXI. celeberrima miraculis Imprunetana *Mariae* ſemper virginis imago Florentiam advecta fuiſſet, librum vernaculo idiomate compoſuit, ediditque, quem *Monumenta Hiſtorica de Imagine miraculis inſigni Imprunetana* inſcripſit, opus quidem multa laude digniſſimum, quum in illud non ſine improbo labore plurima diſerte congeſſerit, quae ad ſequioris aevi hiſtoriam pertinent, in qua verſatiſſimus erat. Deinde, quo tempore in Florentino Lyceo ſacram, & profanam hiſtoriam publice profitebatur, (nam & hac Cathedra donatus fuerat) quum Florentiam veniſſet Princeps Saxoniae *Fridericus Auguſtus*, qui eiuſdem Saxoniae in praeſens Elector eſt, & Poloniae Rex, iuſſus fuit *Caſottius* operam ſuam Principi illi praeſtare, ipſumque hiſtoria praeſertim Sacra, & Eccleſiaſtica erudire, quo inſtructior, paratiorque, & alacrior ad Catholicam religionem amplectendam fieret. In partibus eius muneris implendis, quam de ſe *Caſottius* ſpem excitaverat, ei egregie reſpondit; adeoque illius opera eidem Principi accepta fuit, ut eum perhonorifico Comitis titulo honeſtaverit; deindeque quum *Caſottius* Romae eſſet, *Clementis* XI. pedes oſculatum admiſſus, ſe ſe a magno illo Pontifice de Catholica religione benemeritum vocari audiverit. Magna etiam apud ſuos Sereniſſimos Principes in aeſtimatione fuit, maxime vero apud *Coſmum* III. qui ſaepius literaria in re illo utebatur. Anno circiter MDCCXX. in Eccleſia Cathe-

dra-

drali Pratenſi ſacerdotium ſeu Canonicatum obtinuit, ibique ad annum MDCCXXVI. permanſit, non ſine magno pietatis, & Eccleſiaſticae diſciplinae incremento, quas toto illo tempore prudenter, acriter, ſtudioſeque promovere nunquam intermiſit. Plebanus deinde, ut aiunt, renunciatus ad regendam antiquam, inſignemque D. *Mariae* Imprunetanam Eccleſiam in dioeceſi Florentina tranſivit, cuius hiſtoriam egregie, pleneque iam ſcripſerat. Quum in eius Eccleſiae regimine partes omnes optimi Paſtoris undecim annos impleſſet, bene, ſanctéque, ut vixerat, obiit anno MDCCXXXVII. Rem omnem ſuam, libroſque Capitulo Pratenſi teſtamento reliquit ea lege, ut in Cathedrali Eccleſia Canonicatus exomologeticus inſtitueretur. Iuſta ſtatura fuit, habitu macer, vel in iuventute canus, acerrima indole, mente lucida & alacri, ſtudii amicus, laboris vel improbi patiens. Iuſte, recteque de rebus literariis iudicabat; lectiſſima, & abſtruſiſſima quaeque in doctrinis cum ſacris, tum profanis callebat; in barbarae vero hiſtoriae eximia cognitione paucos quidem pares habebat. Cum amicis adfabilis, lepiduſque miram comitatem, & alacritatem cum amabili ſemper ſuavique gravitate coniunxit. Amicitiae foedus cum plurimis litteratis viris cum Italis, tum exteris iniit, quam, nunquam intermiſſo litterarum commercio, colere, & fovere pertendit. In multos eruditorum conventus, quos Academias adpellant, relatus eſt, de quibus ſatis habebo Academiam Apathiſtarum; Florentinam; praecla-

clariſſimam *Della Cruſca*; & Arcadum Romanam, dumtaxat nominare. Complures eruditi viri ſuis in operibus de *Caſottio*, eiuſque elegantiſſimis ſcriptis cum laude meminerunt. Optimus denique Eccleſiaſticus, & optimus litteratus multa edidit opera, quorum hic catalogum adtexui, & ex quibus, ſi non quidquid perfecte ſciebat, at magna ex parte ſaltem doctrinam, pietatemque illius arguere licebit.

Memorabilia Imaginis Deiparae, miraculis celeberrimae, Imprunetanae. In 4. Florentiae MDCCXIV.

Notitiae hiſtoricae de vita, & nova editione operum Ioannis de Caſa, quae primo eorumdem operum Volumini praefixae ſunt. Florentiae MDCCVII.

Vita Benedicti Bonmatthaei praefixa eius Syntagmati de Lingua Tuſcanica. Florentiae MDCCXIV.

*De conſtructione Regii Monaſterii D. Franciſci de Scarionibus Neapolis. Florentiae M-*DCCXXII.

Praefatio, & Adnotationes in Carmina, & Sermones utriuſque Bonaccurſi a Montemagno. Florentiae MDCCXVIII.

Pratenſes olim Praepoſiti, nunc Epiſcopi, lucubratio inſerta Tomo III. Italiae Sacrae Ferd. Vghellii.

De origine, progreſſu, & praeſenti ſtatu Urbis Prati. MDCCXX. In Opuſculis Philologicis P. Calogerà.

Pia

Pia aſceſis in D. Mariae Magdalenae Pactiae honorem. Florentiae MDCCXXV.

Vita Henrici Barillonii Praeſulis, ex Gallica lingua in Italicam converſa. Florentiae MDCIIIC.

De diligendo Ieſu, & qui id fieri poſſit, opuſculum ex Gallica lingua translatum. Florentiae MDCCXVIII.

Et haec quidem omnia Italice ſcripta ſunt, editaque; reliquit autem inedita,

Vitam P. Armandi Ioannis Buthilierii de Ransè Abbatis, Congregationis Trappae reformatoris.

Praecepta Chriſtiana & Moralia laudati Abbatis, ex Gallico idiomate verſa.

Variarum Diſſertationum cum Latinarum, tum Etruſcarum Collectionem.

Tractatum de Sphaera, & Iſagogen in Geographiam.

Genealogica quaedam.

De variis praeterea literariis rebus complures lucubrationes ſuas celeberrimae Bibliothecae Stroctianae reliquit.

BENEDICTVS AVERANIVS.

B*Enedictus Averanius* honeſtis parentibus natus eſt Florentiae XIV. Kal. Aug. anno MDCXLV. Mira in puero virtutis indoles, & praecox ingenium; & multa acute dicta, argutaque reſponſa, magnam de eo concitabant exſpectationem. Vt primum litteras didicit, nullo ſuaſore,

Poetas Epicos Etruſcos lectitare coepit; nondum enim Latinam linguam attigerat. Saepe etiam numerorum naturam & proprietates ſecum ipſe meditabatur; quare abditas eorum virtutes etiam provecta aetate lubentiſſime perſcrutatus eſt. Elementa Grammaticae domi fere didicit; in arte Rhetorica praeceptorem habuit *Vincentium Glaream* Ieſuitam, qui comem quidem facilemque ſe praebebat auditoribus; at Poeticae addictus Oratoriam artem paullo negligentius tractabat: quamquam & in carminibus condendis horridus, aſper, obſcurus, diſſolutuſque fuit, quum ea potius fundere, quam caſtigare & politius limare curaret. Oportuit igitur ut adoleſcens, ſui ipſe dux & magiſter, longe aliam viam ingrederetur, nec praeceptoris veſtigiis inſiſteret, quum lenitatem & venuſtatem carminis iam tum ſtudioſe ſectaretur, quas *Vergilium*, & reliquos veteres Poetas diurna nocturnaque manu verſando facile adſequutus eſt. *Αὐτοδίδακτος* pariter in eloquentiae & artis Oratoriae ſtudiis adeo profecit, ut Magiſter tantos progreſſus, quos brevi fecerat, admiratus, praeceptorem ſuum illum adpellare, & reliquos diſcipulos, ut ab ipſo peterent exemplum eloquentiae, idemtidem admonere conſueverit. A Rhetorum ſpatiis ad Philoſophorum campos traductus, ipſos doctrinarum omnium fontes, *Platonem*, & *Ariſtotelem*, non rivulos, conſectabatur. Veteres etiam *Ariſtotelis* interpretes avide volutabat, quod eos Philoſophi mentem adſequutos ad veritatem propius acceſ-

ſiſſe

ſiſſe exiſtimaret. Quamvis autem permagno aeſtimaret *Ariſtotelem*, tamen *Platonem* ſemper in deliciis habuit; illum enim non ſolum intelligendi, ſed etiam dicendi principem ſemper admiratus eſt. Hinc dicere ſolebat, omnes, qui in aliqua doctrina principatum tenuerunt, Platonicos fuiſſe; in quorum numero praeter alios recenſebat *Vergilium* Poetarum facile principem, Oratorum *M. Tullium*, Sanctorum Patrum D. *Auguſtinum*: quod quam vere dictum ſit, alii viderint. Ex hiſce fontibus, quos ſua ſibi induſtria recluſerat, hauſit *Benedictus* illam, qua praeſtitit, amplitudinem, ubertatemque dicendi. Neque enim Philoſophiae ſtudiis addictus abiecit eloquentiae curam: nam iuſſu patris poema condidit D. *Thomae* Aquinatis, trecentorum verſuum, elegans, & numeroſum, quod biduo perfecit. Abdita item & retruſa religionis noſtrae myſteria, & inexplicabile Divinae Trinitatis arcanum, diſtincte & illuminate verſibus explicavit, licet Theologiae operam non dediſſet. Hoc tamen poema, ut multa alia, periit auctoris incuria, qui a gloria aucupanda alienus res ſuas negligentius adſervabat. Id temporis ſuſcepto iam legum ſtudio ſcripſit longiſſimam Epiſtolam elegiaco carmine ad *Antonium Rillium* ruſticantem, & in ea quibus ſtudiis detineretur his verſibus indicat:

Si quaeret quas docta mihi dent otia curas,
Tunc haec dicta memor, ceu loquar ipſe, dabis.

Me iuvat ingenio Mundi percurrere molem,
Icario quamvis ardua more petam:
Me rapit attonitum rerum pulcerrimus ordo,
Aurea me nitidis uritis, aſtra, globis.
Cur ferus accendat bellorum incendia Mavors,
Quaerimus, & placido cur micet igne Venus.
Cur immortali torpentes frigore flammas
Aequoreo nunquam proluat Vrſa vado;
Agmina nimborum praeceps effundat Orion,
Pleiades, atque Hyades, Oleniumque iubar;
Non exauditos cieant revoluta ſonores,
An tacitos ducant ſidera muta choros.
Cur ſeptemgeminos Mundi ſeptemplicis ignes
Obverſos Coeli vis rapientis agat.
Horreat infauſti cur flamma cruenta cometae,
Quae vis fulmineas flammet, agatque faces.
Cur lapidum effundat violentus Iuppiter imbres,
Grandine cur nubes verna flagellet humum.
Vnde ſacros fontes magnae dent ubera matris,
Et fluat alterno Thetyos unda ſalo.
Nec vitae normam, documentaque diſcere morum,
Non animo dulcis, dignaque cura meo eſt.
Vt beet intactam culpae Sapientia mentem;
Fortunam virtus ut domet una feram;
Quaenam meta boni, num dulci praeſtet honeſtum,
Quis ſit amicitiae, quis pietatis amor.
Quae mea mens haurit tranquillae gaudia venae,
Admirata ſuum quum videt ipſa decus!
Quum ſummi pulcram ſe cernit imagine Patris
Perpetuum aeterna mente vigere ſatam;
Regnatricem animae ſe verticis arce ſedentem
Cogitat, ut regno iura det aequa ſuo;
Poſſit & irati flammas compeſcere cordis,
Et quas accendit foeda cupido faces.

Inde

Inde vetuſtatis memores evolvere faſtos,
Helladis, & Latii nos monumenta, iuvat.
Nec non Mantoi meditamur carmina vatis,
Barbiton & Calabri, Pindaricamque Lyram,
Candida quae culti modulatur Muſa Tibulli,
Quaeque tenebroſo Perſius ore canit.

Paullo poſt, quum Piſis ſtudiorum cauſſa verſaretur, compoſuit aliam elegiam in Amoris contemtum elegantiſſimam, in qua ſui animi pudicitiam, caſtoſques mores, intelligendos dat illis verſibus:

Me numquam vinces, numquam, puer improbe, coges
Fortia materno ſubdere colla iugo.
Namque tuis mea mens non eſt obnoxia telis,
Quae Cypriae numen ridet inulta Deae.
Nec mihi ſunt duro circumdata pectora ferro,
Nec mihi Sithonio corda ſepulta gelu;
Me mea Calliope, curiſque Minerva pudicis,
Non ſinit invitum ſuccubuiſſe tibi.

Quamquam vero haec inibi de ſe, ſuaque continentia iactaverit, Amoris olim igne teliſque non intactum fuiſſe forte ſubiudicare videretur in eximia Graeca Elegia, quae κόρης ἔπαινος, ſeu *Puellae laus*, inſcribitur, in qua, anno MDCLXXIII. compoſita, & *Ferranti Capponio*, *Farſettio*, *Ricciardio*, aliiſque eruditiſſimis viris recitata, quum divinam puellae formam, egregiaſque dotes deſcripſiſſet, ita eam adloquitur:

Τί χρὴ μακρολογεῖν; πάντες θεοὶ οὐρανίωνες
  Κάλλεσιν εἰδομένην θῆκαν ἐπουρανίοις,
Ἔξοχα καὶ φρόνιμον, καὶ κόσμιον ἦθος ἔχουσαν,
  Ἥδιστόν τ' ἄλγος, καὶ γλυκὺ πῆμα νέοις.
Ὥσπερ γάρ ποτε Πανδώρην θεοὶ αἰὲν ἐόντες
  Τοῖς δώροις αὐτῶν οὐλομένην ἔθεσαν,
Οὕτω καί σε θεοὶ δώροις μεγάλοισι ποίησαν
  Ἔμμεναι οὐκ ἀγαθὴν ἀνδράσιν, ἀλλὰ κακήν.
Πλὴν σὺ κακ' οὐκ ἀφίεις ἐκ τοῦ χρυσοῖο πίθοιο,
  Ἀλλ' ἐξ ὀφθαλμῶν, ἔκτε καλοῦ στόματος.
Εἰς σε βλέπων γὰρ ἀνὴρ, ἢ ἀκούων ἡδὺ λαλούσης
  Ἄγριον ἐξαίφνης ἕλκος ἔρωτος ἔχει.
Δὴ τότε δυστήνου πῦρ τ' ἄσπετον ἔμπεσε θυμῷ,
  Καὶ πόθος ἀργαλέος τόνδ' ἐδάμασσε φρένας,

Quos quidem verſus ita idem *Averanius* Latine reddidit:

Singula quid memorem? formam tibi numina Divum
  Coelicolum formis cuncta dedere parem;
Et fecere piam, fecerunt pectoris alti
  Praeſtantem egregiis, ingeniique bonis.
Hinc omnes uris, cunctorum hinc cauſa malorum es,
  Quae parit, & nobis nutrit acerbus Amor.
Nam velut humano generi Pandora ſuperbis
  Muneribus Divum perniciosa fuit;
Sic tibi, quae faciles tribuerunt munera Divi,
  Ah miſeris luctum, perniciemque ferunt.
Illa ſed emiſit damnoſo e vaſe malorum
  Agmina, tu pulchris candida luminibus.
Nam quicumque tuos adverſus ſpectat ocellos,
  Ah crudele miſer vulnus amoris habet,

Illius

Illius & mollis populatur flamma medullas;
Et deſiderio pectora victa gravi.

Se Amori, inquam, tamdem obnoxium fuiſſe ſubindicare videretur, niſi *Vincentio Aullae*, idem opinanti, anno MDCLXXXV. reſcribens, ab hac nota ſe purgaviſſet, multa erudite in ſui defenſionem proferens, ſeque *Steſichorum* imitari voluiſſe adfirmans, & feſtive potius, quem amatorie, pro Elegia in Amoris contemtum quondam ſcripta, παλινῳδίαν huiuſmodi ceciniſſe. Et haec quidem, non tam ut *Benedicti* ſtudia ac mores ſignantius indicaremus, quam ut eius culti ingenii & Poeticae elegantiae ſpecimina ornatiſſima praeberemus, verbis ipſiſſimis de ſcripto recitatis in medium adtulimus. Confecto vero in ſcholis Philoſophiae curriculo, in quo per biennium elaboravit, ad Piſanam Academiam a patre miſſus eſt, ut in iure civili erudiretur; ubi, etſi nihil ab eo praetermiſſum eſt, quod a ſtudioſa legum iuventute ſolet uſurpari, tamen, quidquid ſupererat otii, Philoſophiae & eloquentiae ſtudiis impendit. Quum vero Mathematicas diſciplinas, ut *Xenocrates* aiebat, anſas eſſe Philoſophiae animadvertiſſet, his animum vehementer adiunxit; & ipſe per ſe ſuopte ingenio, nullo auctore, nullo duce, aut praeceptore, celerrime comprehendit. Non minore cura atque animi contentione adripuit eam Philoſophiae partem, quae ad rationis normam hominum actiones, moreſque conformat; nec eam leviter attigit, ſed omnes Philoſophorum ſen-

tentias, quae ab illo capite ac fonte *Socrate* profluxerunt, accurate perveſtigavit. At doctrinam *Platonis* maxime ſubſpexit, quare Platonicos Scriptores adſidue lectitabat. Studioſorum conventibus frequens aderat, in quibus fere ſemper aliquid recitabat; *Apathiſtarumque* Princeps olim creatus de rebus graviſſimis ſupra aetatem diſſeruit. Quamobrem, quamvis ipſe domi ut plurimum maneret incluſus, nec ſe populo venditaret, tamen eius ingenii, doctrinaeque fama manabat. Hinc *Leopoldus* Cardinalis *Mediceus*, Piſani Athenei patronus, & bonarum artium columen, eius ingenii fama commotus, provinciam publice profitendi ſtudia humanitatis iam tum ipſi deſtinavit. Poſtmodum in utroque iure doctor renunciatus amplius ſe totum litteris abdidit; perſpicienſque omnem eruditionem mancam eſſe ſine acceſſione Graecarum litterarum, ſuo marte nullius praeceptis inſtructus, ſex menſium labore linguam Graecam edidicit: quam ut animo familiarius adfigeret, *Salluſtium*, & *Cornelium Celſum* Graece vertit. In componendis etiam Graecis verſibus ſe exercuit, ut vidimus, duaeque eius elegiae Graecae venuſtiſſimae adhuc ſuperſunt. Mirum autem illud in *Averanio* fuit, quod quum Graecam linguam, & eruditionem omnem penitus animo comprehendiſſet, minutiarum, ut ſibi videbantur, negligens, numquam ſpiritus, & accentus Graecis dictionibus adnotare didicerit, ſeu rei moleſtia & difficultate deterritus, ut *Ant. Mar. Salvinius* exiſtimabat, ſeu quod eos iam non omnino ne-

neceſſarios arbitraretur: cuius ſententiam & exemplum alii eruditi recentiores lubenter amplexi ſunt. Adeo autem percrebuerat nomen eius, ut quum publico decreto exſequiarum iuſta magnifice ſolvenda eſſent *Claudiae* Auguſtae, ac deinceps *Leopoldo* Cardinali *Mediceo*, ipſi ſoli admodum adoleſcenti munus iniunctum fuerit ſcribendi verſus, qui adpendi debebant in templo ad memoriam, laudeſque defunctorum Principum celebrandas. Eodem fere tempore ſcripſit Epigrammata; quae inſcripta fuerunt tabulis in celebri D. *Mariae* Virginis templo adpenſis, glorioſa D. *Philippi Benitii* facta repraeſentantibus; ac deinde *Victoriae* quoque *Roboreae* Magnae Etruriae Ducis exſequias ſuis Epigrammatis cohoneſtavit: & multa alia deinceps vitae ſuae decurſu carmina concinne ſuaviterque meditatus eſt. Quamvis vero, ut diximus, Theologiae accuratam operam non impendiſſet, tamen legendis Sanctis Patribus tantam rerum divinarum cognitionem nactus eſt, ut cum Theologis ſaepe de rebus graviſſimis acute diſputaret. Nec eius partis erat ignarus, quam quod arcana ſit, & intelligentiae vulgi ſubducta, myſticam vocant. Medicae quoque artis, & Anatomes non erat imperitus: *Hippocratem* enim, & *Galenum* lectitabat, & in altero excellentem doctrinam, in altero ſingularem eloquentiam admirabatur; *Celſum* inſuper Graece verterat, & recentiores quoque Scriptores non indiligenter evolverat. Minores etiam artes non neglexit, architecturam, ſculpturam, pictu-

pictūram; & excellentium artificum operibus mirifice delectabatur. Anno MDCLXXVI. *Averanius* Graecas litteras Piſis profiteri coepit; eodemque anno adgreſſus eſt explicare Anthologiam; cuius explicationem proſequutus eſt etiam anno ſubſequenti; ſcripſitque Diſſertationes LXXXVI. Deinceps *Euripidis* Tragoedias ediſſerere coepit, ac poſtremo *Thucydidem*; in illum ſcripſit Diſſertationes ſex & viginti, in hunc octo & quinquaginta. Dicebat autem iiſdem verbis, quibus ſcripſerat, in magna auditorum frequentia: nulluſque fere dies erat, quin doctiſſimus vir *Henricus Noriſius* cum aliis, qui ad eum audiendum confluebant, aut ſcholam, aut domum eius ventitaret. Per haec tempora, quum *Benedictus* animadvertiſſet pleroſque omnes magnam *Ptolemaei* Conſtructionem, ſive *Almageſtum*, attingere non conari, recondita doctrina, & rerum obſcuritate deterritos; *Ptolemaei* libros in Latinum vertere conſtituerat; quod minus plane ac perſpicue a *Trapezuntio* factum eſt, propter imperitiam Aſtronomiae; tum autem *Theonis* Commentarios, qui ſolum Graece editi fuerant a *Beſſarione*. Hoſce autem commentarios incaſtigatos & mutilos ſupplere deliberaverat, ex optimo ac ſingulari *Theonis* Codice, qui in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana adſervatur. Hoc quidem ingenti & laborioſo opere, quod alacri & promto animo fuerat adgreſſus, de litteraria rep. optime meritus fuiſſet, niſi *Vincentius Vivianius*, ut videtur, Mathematicus celeberrimus; *Theonis* Commentarios a *Theophilo*

quo-

quodam Vrbinate Latine verſos ei oſtendiſſet, & mox amico in Galliam revertenti tradidiſſet, ut eos ederet. Paucis poſt annis Principis beneficentia ad altiorem gradum evectus humaniores litteras coepit profiteri; & primum ſuſcepit explicandum *T. Livium*, mox *Vergilium*, ac denique *Ciceronem de Oratore*. In *Livium* unam & triginta, in *Vergilium* quadraginta quinque, in *Ciceronem* duas ſupra nonaginta, ſcripſit Diſſertationes. Quotannis in ſolenni inſtauratione ſtudiorum ad inflammandos amore ſapientiae animos adoleſcentium luculentiſſimam habebat orationem. Scripſit & Etruſco ſermone decem Diſſertationes in quartum *Petrarcae* Etruſcum Epigramma; verſuſque pariter Etruſcos condidit, non multos quidem, ſed concinnos & elegantes. Et Poetis quidem adprime delectabatur; atque ex Graecis *Homerum* & *Pindarum*, ex Latinis *Vergilium* & *Tibullum*, prae ceteris adamavit; quorum carmina in eius memoria penitus inſederant. Amicorum precibus adductus primum orationum ſuarum librum edendum curavit, quum nec famam, nec auram popularem adfectaret; hae tamen fugientem inſequebantur, & cum eo multi viri Principes, & R. E. Cardinales amicitiam inſtituere ſolicite curarunt. Quin Academiae Patavinae moderatores mortuo doctiſſimo *Ferrario* ipſum ad profitendas litteras humanas acciverunt, & honorificentiſſimis ſtipendiis ſolicitarunt; ac poſtmodum Pontifex Maximus *Innocentius*, eius nominis undecimus, Romam ampliſſimis

prae-

praemiſis invitavit: non tamen uberrimis promiſſis, nec maxima ſpe propoſita potuit adduci, ut patriae ſuae, ſuoque Principi exteros anteponeret. Etſi vero tanta eſſet *Benedictus* apud omnes dignitate & exiſtimatione, non ſolum vulgi opinione, ſed etiam intelligentium, probatiſſimus; tantumque ſcientiae, doctrinae, & cognitionum cenſum adſidua lectione comparaſſet, ut nihil amplius in legendo novum, aut incognitum, & non ante perſpectum occurreret, quemadmodum aliquando amico ſuo coniunctiſſimo dixit; tamen eius commentationes, atque opera, non eam utilitatem, & emolumentum litteratis hominibus adferre viſa ſunt, quanta ab homine hoc diſertiſſimo & eruditiſſimo exſpectanda fuerant. Fida enim magis, & tenaciſſima memoria, quam acri, quo tamen pollebat, iudicio usus, & aetatis ſuae ſonantia & numeroſa verba, atque eruditionem facunde concinneque expoſitam, inutiliter captantis vitio abreptus, non nova excogitare & proferre, non auctores caſtigare, non exercere cenſuram, quod in re litteraria utiliſſimum experimur, quidquam penſi habuit; ſed quantum legiſſet, & in memoriae theſauro collocaſſet, blando elaboratae phalerataeque orationis adparatu oſtentare, auditorumque aures ſuaviter titillare, ſategit. Id quidem minus ſtudioſis hominibus proficuum, erudito cuilibet obvium ac facile eſt, qui huiuſmodi Polyantheas multa lectione contexendo tempus & operam perdere amet. Quare operam & oleum etiam perdidit frater eius *Ioſephus*,
dum

oum *Benedicti* famam ab huiuſmodi iuſtiſſimis cenſuris vindicare adgreſſus eſt, verboſa illa praefatione, quam fraternarum commentationum editioni praemiſit, iis dictis uſus, quae animi pendeo an magis fraternam cauſſam deſertam indicent, an propriae eius ἀκρισίας argumentum ſint. *Neque enim ille*, inquit, *ut erat ingenio profundo, vaſtoque animo, exilia, minuta, arida, ieiuna, ſpinoſa perſequebatur; ut non pauci faciunt hoc tempore, qui in verbi controverſia, & litterae mutatione, vel traiectione ſyllabae, veram, germanamque ſapientiam putant eſſe collocatam. Quidam enim ubi veterem aliquem Scriptorem exſuccis quibuſdam notis correxerint ne, an depravarint, nihil refert, & ſingulas eius ſyllabas excuſſerint, & inanes verborum quaeſtiunculas excitarint, ſerio triumphant, & tumidi, faſtuque pleni ſe magnifice circumſpiciunt, & ſummum litteraturae, doctrinaeque apicem ſe putant attigiſſe*. Non me quidem latet *Ioſephum* ita ſua dicta moderari, ut & illa pronunciet: *Neque vero eorum diligentiam, & induſtriam reprehendo, dum ipſi non contemnant eos, qui ſolidam doctrinam benedicendi, recteque faciendi magiſtram conſectantur*. Nemo hercle, nemo eruditior veram eloquentiam, ſolidamque doctrinam contemſerit; ſed an hae in Averanianis illis centonibus reperiantur iure dubitaverit. Quin, ſi quam laudem eiuſmodi ſcriptis, qualiacumque illa ſint, meruit; non tanta tamen eſt, ut conditio illa extorqueri a recte ſentientibus poſſit, ſi veſtra vituperari non vultis, noſtra laudibus ferte: inter utrumque enim magnum diſcrimen inter-

tercedit. Non autem haec dicimus, quod *Averanium* pro merito non ſubſpiciamus, ſed ne vitium aetatis potius, quam auctoris, adoleſcentibus propter eius celebre nomen fraudi ſit, & melioribus, quae nunc invaleſcunt, ſtudiis obicem, moramque obponere valeat. Itaque, ut ad propoſitum revertamur, aſſiduis laboribus, & acerrima contentione animi labefactatae vires morbos frequentes ac diuturnos magis, quam graves ac periculoſos, *Benedicto*, quamvis natura robuſtus eſſet, & corpore beni compacto, adferebant. Quare anno MDCCVII. Vere capitis ac pectoris morbis diu conflictatus, quum non bene ceſſiſſet curatio, numquam e morbo valetudinem confirmavit. Tamdem menſe Septembri apoplexia correptus eſt, & Decembri, quum Piſas iam conceſſiſſet, febricula excitata V. Kal. Ianuar. naturae conceſſit, quum hoc eodem anno Diſſertationes X. in Italicum *Petrarcae* Epigramma typis excudi curaviſſet, & *Henr. Newtonio* Britannici Regis ad Magnum Etruriae Ducem legato nuncupaſſet. Poſtero die elatum eſt cadaver, tumulatumque in ſepulcreto, quod *Campum Sanctum* vocant, in ſepulcro familiae *Pontaderiae*, quod hereditario iure obvenerat *Vincent. Aullae* Equiti, olim diſcipulo eius amantiſſimo & coniunctiſſimo, ut *Averanii* carmina & epiſtolae luculente demonſtrant. Hic igitur Praeceptorem ſuum proprio ſepulcro condi voluit, ibique ſtatuam eius marmoream collocavit, ſequenti Epitaphio ſubiecto:

D.

D. O. M.

BENEDICTO AVERANIO FLORENTINO, INGENII, DOCTRINAE, ELOQVENTIAE PRINCIPI. QVI MAGNARVM RERVM, ATQVE ARTIVM NIHIL IGNORAVIT, NIHIL AB ALIIS DIDICIT. NVLLO DOCTORE DOCTRINIS OMNIBVS INSTRVCTISSIMVS. IN PATRIA GRAECAS LITTERAS ADOLESCENTVLVS AB INTERITV VINDICAVIT. LATINI SERMONIS INTEGRITATEM, ET ROMANAE ELOQVENTIAE MAIESTATEM RESTITVIT. ETRVSCAE LINGVAE SPLENDOREM, AC DECVS ATTVLIT. IN GEOMETRIA, ASTRONOMIA, ET OMNIVM ARTIVM OPTIMARVM SCIENTIA PLANE PERFECTVS. CVNCTIS PHILOSOPHORVM DISCIPLINIS ERVDITVS IN ALTISSIMAM PLATONIS DOCTRINAM PROFVNDA MENTE SE INGVRGITAVIT. DIVINI PHILOSOPHI SAPIENTIAM NON TAM INTELLIGENDI, QVAM BENE VIVENDI DISCIPLINA, ET EXCELLENTIA VIRTVTIS EXPRESSIT. GRAECAS, LATINASQVE LITTERAS XXX. ET AMPLIVS ANNOS PROFESSVS, SVMMVS ORATOR, POETA SVMMVS PISANAM ACADEMIAM INGENII LVCE, ET NOMINIS CELEBRITATE NOBILITAVIT. ELOQVENTISSIMIS ORATIONIBVS, DOCTISSIMIS PRAELECTIONIBVS, QVIBVS THVCYDIDEM, EVRIPIDEM, ANTHOLOGIAM, VERGILIVM, CICERONEM, LIVIVM ILLVSTRAVIT, EIVS DIGNITATEM, ET GLORIAM AMPLIFICAVIT. EQVES VINCENTIVS AVLLA PRAECEPTORI OPTIMO, ET AMICO INCOMPARABILI,

BILI, QVEM EXCEPIT HEREDITARIO SEPVLCRO, MAESTISSIMVS POSVIT. OBIIT V. KALEND. IANVAR. ANNO SALVT. MDCCVII. AETAT. LXIII.

Non multo poſt amici in D. *Frigidiani* ei parentarunt, diſertiſſimamque de eius laudibus orationem *Laurent. Giannius* patricius Florentinus habuit; & elogium pro foribus templi adpenſum compoſuit *Ant. Mar. Salvinius*, qui etiam ſubſequenti Autumno Florentiae in Academia Etruſcae linguae elegantiſſimam & ornatiſſimam laudationem funebrem dixit. Statura fuit coactiori, vultu gravi, ſedatis oculis, ſermone raro, animo ad iram proclivi, ſed conſtanti, modeſto, ſimplici, candido. Patriae amantiſſimus amicitias ſtabiles coluit; voluptatibus abſtinuit, in victu parcus, in veſtitu paullo negligentior.

Eius Opera ſunt:

Orationes Latinae XXX.
Diſſertationes in Anthologiam LXXVI.
Diſſertationes in Thucydidem LVIII.
Diſſertationes in Euripidem XXVI.
Diſſertationes in Livium XXXI.
Diſſertationes in Vergilium XLV.
Diſſertationes in Ciceronem XCII.
Epiſtolae familiares.
Carmina Latina, & Greca.
Diſſertationes X. in Italicum Petrarcae Epigramma, Italice.
Carmina quaedam Italica inedita.

FER-

FERDINANDVS ETRVRIAE PRINCEPS.

SI ullum unquam fautorem ſummum, & patronum munificentiſſimum, litterae & bonae artes habuerunt, is certe fuit *Ferdinandus Medices*, *Coſmae III.* Magni Etruriae Ducis, & *Margaritae Aloiſiae* Aurelianenſis Ducis F. regiae uxoris, filius, qui anno MCCLXIII. in lucem editus, vel a tenera aetate dignam maioribus inclitis, dignam parentibus tantis, dignam ſe in purpura & ſublimibus honoribus ad imperium olim, ſi fata ſiviſſent, capeſſendum orto, indolem praetulit, & quantus heros futurus eſſet oſtendit. Ingenium praecox, mentem vividam & ſagacem, animum iam tum magna agitantem, & annos anteeuntem virtutem atque ſapientiam in Principe adoleſcente ſubſpiciens idoneus iudex *Benedictus Averanius*, nihil adulationi, ut exitus demonſtravit indulgens, ſed omnia veritati conſona tamquam de tripode effundens, de eo cecinit:

Qualis erat, quum Regna puer Latonia Phoebus
Viſeret, aut fontes, Aonis ora, tuos;
Quem circum Nymphas, circumque Heliconides omnes
Duxerunt agiles per iuga laeta choros,
Blandaque divino cecinerunt carmina plectro,
Carmina quae rapidos detinuere Notos.
Talis adeſt Princeps; hilares mihi ludite Muſae;
En venit, & tenero pulcrius ore micat.
Nunc vos arguto voces inflectere cantu;
Nunc decet Aoniae tangere fila lyrae.

Veſtris ille choris, & dulci carmine gaudet;
Gaudeat, & facili combibat aure modos,
Vt quondam ingentum proavorum exempla ſequutus
Ornet Apollineas, & tueatur, opes.
Illum Pieridumque chorus colat omnis, & omnis
Vatum Phoebaeis turba verenda ſacris.
Vera cano, veneiande Puer; tibi Caſtalis unda
Serviet, & Pindi non leve Numen eris.
Otia tu placidis facies tranquilla Camoenis;
Vatibus ingenium, materiamque, dabis.
Te, quicumque bibent Cirrhae felicius amnes,
Non humili cupient concinuiſſe lyra:

Et profecto, quum ſub *Luca Albitio* educatore, & *Bernardo Beneventutio*, Sacerdote Empulenſi, praeceptore, moreſque formaſſet, & prima elementa didiciſſet, hauſiſſetque a *Iacobo Antonio Morigia*, Barnabita, ut vocant, Mediolanenſi, litteras humaniores, & Poetices atque Oratoriae artis ſpatia decurriſſet; diſciplinas ſub *Vincentio Viviano*, Mathematico celeberrimo, duobuſque fratribus, *Stephano*, & *Laurentio*, *Laurenziniis*; ſub *Franciſco Redio*, naturae illo ſcrutatore, Phyſicen; Ethicen autem ſub Saxone *Bondnauſenio*, penitus animo comprehendit. Non tamen ita hiſce limitibus honeſta ac laudabilia Muſarum dona atque oblectamenta concludi arbitratus eſt, ut animum ad alias etiam, ſed Muſis aeque, ac generoſo animo dignas, artes non aliquando converteret, &, graviora negotia prudenter intermittens, ſtudiis ſeſe amoenioribus recrearet. Hinc *Petrum Salvettium* Opticés cognitione,

ne, & muſicorum inſtrumentorum quorumdam iucundiſſima pulſatione praeſtantem, iis facultatibus perdiſcendis auctorem & ducem habuit; ſicuti in Muſice exacte percipienda, organorumque ſpiritalium ſonitu docta manu excitando, *Ioannem Mariam Paliardium* Sacerdotem Genuatem, Magiſtrum praeeuntem elegit. Quum vero ſemel ea, quam Muſice parit, voluptate mirabiliter captus fuiſſet, ſcientiam illam toto ſuae vitae decurſu praecipue dilexit, ac favore proſequutus eſt; & quotidie fere in ſuis aedibus egregiorum cantorum, citharoedorum, auletarumque, praeſtantiſſimorum, atque id genus aliorum Muſicas artes profitentium, conventum habebat, ex eorum peritia oblectamentum laudatiſſimum quaerens; illoſque etiam in theatris frequenter audire maximopere gaudebat; quorum multos ne poſt ſuum obitum quidem ſine ſolito ſtipendio vitam tranſigere, ſupremo cavens elogio, paſſus eſt. Sulptura autem adeo delectatus eſt, ut quum ligna, atque ebur, aliaſque raſiles materias, torno adfabre laborare a *Philippo Senghero* Germano didiciſſet, *Daedalus, Theodoruſque* alter, litteras, humanas facies, ſtatuaſque, & anaglypha operoſa ac difficillima, torno ipſo exprimeret atque perficeret; quorum quidem mirabilium operum quaedam & adhuc in Mediceo Muſeo, eius incredibilis induſtriae monumenta, adſervantur; & *Vincentius Vivianius* in ſuis ſcriptis digna & luculenta laudatione commendavit. Omnes pariter Picturae partes penitus ille cognovit, tantaque egregiae artis intelligentia praecelluit, ut &

 Pi-

Pictores eximios apud ſe riteneret adſidue, & cum iis de pulcra adeo ſcientia & opificio acute multa, ac prolixe, curioſeque, diſſereret. Hinc ardens ille amor ac deſiderium tabulas omnes inſignes, & potiores artificum labores atque opera, quaecumque poſſet, colligendi; iiſque aedes ſuas regificas, & praetoria, ac villas inſtruendi; ut undique & ubique oculos animumque abſolutiſſimis rerum imaginibus paſceret, & honeſtiſſima voluptate perfunderet. Quin & eo proceſſit huiuſmodi picturas obtinendi cupiditas, ut e templis ipſis tabulas admirandas extraxerit, non profano auſu, ſed conſilio laudabili, & quo mirificorum operum conſervationi diligenti conſuleret; templaque illa indecora, ut plurimum, ac neglecta, magno ſumtu reſtaurandi, ampliandi, exornandi opportunam occaſionem adriperet, & iacturam facilem ingenti divini cultus & honoris foenore compenſaret. Adeo vero praeſtantibus hiſce Pictorum clariſſimorum operibus, innumero numero quaeſitis, Princeps praeſtantiſſimus gloriatus eſt, ut eorum notitiam & admirationem univerſis communem effecturus, *Laurenzinio* cuidam, Franciſcanae familiae cucullato, & *Theodoro*, Germanae gentis homini, Sculptoribus praecellentibus, honeſto ſalario conductis, delineatas tabularum illarum omnium imagines aere incidere, & prelo excuſas vulgare, mandaverit. Quid de antiquitatis eruditae, admirandarumque rerum ſtudio dixerim, quod in tanto Principe eminebat, quoque celatas gemmas, numiſmata varia, libros egregios, arma

ma rara & inſolita, & omnigenae curioſitatis cimelia comparavit: quaeque in eius ſcriniis & peculiari ſupellectili poſt obitum inventa, divinam Herois mentem, & ſcientiam rerum perfectiſſimam, fuiſſe abunde ac luculenter teſtata ſunt? Quantum vero Architecturam diligeret, argumento eſſe poſſunt tot ampla, magnifica, ac ſplendidiſſima aedificia, quae in ſuburbano agro, dum villas excitat aut inſtaurat, ut *Podium Caianum*, *Podium Imperiale*, & *Pratolinum*, conſtruxit. Quare, quum *Coſmas* III. anno MDCLXXXII. Liburni portum, qui probabiliter cum vetuſto Labrone confundi poteſt, inſtaurare, ac munire amplius vellet, id exſequendi provinciam *Ferdinando* Principi mandavit, eius animi granditate, prudentia, ac rerum huiuſmodi peritia, recte ſapienterque confiſus, ut exitus ipſe demonſtravit. Quum igitur hiſce ſtudiis laudatiſſimis animum *Ferdinandus* excoleret, & virtutem paſſim ſuam, admirandaſque dotes exſereret, anno MDCLXXXVI. *Ioannes Mabillonius*, Monachus Gallus praeſtantiſſimus, Florentiam advenit, qui a *Ferdinando* perhumaniter ad colloquium admiſſus, ob doctrinae laudem plurimi ab eo factus eſt, & adiutus omnimodis. Anno vero MDCLXXXVIII. Venetias cum magno comitatu *Ferdinandus* contendit, ubi magnifico adparatu, ſummiſque honoribus, a Principibus illis civibus, exceptus eſt; & iis ludis, ac ſpectaculis ſuaviter iucundeque detentus, quae litteris deſcripta commendari, & excuſis imaginibus exhiberi, meruerunt. Eodem anno ex illa urbe reverſus menſe Novem-

 bri

bri *Violantem Beatricem*, *Ferdinandi Mariae* Bavariae Ducis filiam, feminam, ſive genus, ſive indolem, ſive virtutem, ſive doctrinam ſpectes, tanto viro digniſſimam, uxorem duxit; quas quidem nuptias *Bened. Averanius* luculenta oratione Piſis habita celebravit; eaque occaſione Princeps peramplum Pratolini theatrum excitavit, in quo uſque ad annum MDCCX. fabulae magno cum populi concurſu & plauſu actae ſunt. Quum vero annus MDCLXXXIX. verteret, & litteris, diſciplinis, boniſque artibus, quas vehementer ardebat, in patria promovendis, mirum in modum *Ferdinandus* invigilaret, coetum quemdam nobilium iuvenum inſtituit, quo identidem convocato, ab idoneis praeceptoribus in liberalibus diſciplinis, egregiis artibus, militaribuſque ſtudiis, & equeſtri ordine dignis, illi exercerentur, eumque *Nobilium Academiam* adpellavit; ad quam & ipſe ſe conferebat ſaepemunero, & aliis ſuo exemplo praeibat. Vt primum nobilis ille coetus congregatus eſt, ei Princeps ipſe praeſedit, & coram illo orationem luculentiſſimam *Coſmas Gualteroctus Bardius*, e Vernii Comitibus, habuit; qui quidem conventus, ſeu Academia, ſub D. *Ioannis Gualberti* tutela ac patrocinio, uſque ad annum MDCCXL. celebrari conſuevit; quo tamdem in Regiam Nancianam Academiam a Sereniſſimo Magno Duce *Franciſco* Lotharingo translata eſt. Et quidem equeſtribus exercitiis, certaminibus, pugnarumque ſimulacris Princeps ille iuventutis ſummopere gaudebat, & ludum, in quo Herculeam cum Hydra pugnam

gnam imitatus eſt, magnificum & memorabilem quondam edidit, ligneo amphiteatro, more Romano, tanti ſpectaculi gratia conſtructo. Anno deinde MDCXCVI. Venetias iterum profectus eſt, ubi *Ioannes Godius* Patavinus fabulam, quae *Heraclea* inſcribitur, ei dedicavit; ſicuti triennio poſt *Apoſtolus Zenus*, Patricius Venetus, fabulam *Pharamundum* nuncupavit eidem, qui eam Florentiae anno inſequenti doceri voluit. At Veneti eruditi adeo *Ferdinandi* virtutem, ſcientiam, & munificentiam ſubſpexere, ut, quum Ephemeridas litterarias ſcribere anno MDCCX. ſubſcepiſſent, non melioribus auſpiciis eas prodire poſſe cenſuerunt, quam Etruſci magnanimi Principis, qui earum Scriptoribus in laudabili molimine favorem & praeſidium omnimodis praeſtitit. Quum vero idem Florentinam, Etruſcamque hiſtoriam, & nobilium Florentinarum familiarum notitiam exactam ac luculentam percipere vehementer optaret, *Bernardo Beneventutio*, olim Praeceptori ſuo, ac deinde Eccleſiae D. *Felicitatis* Antiſtiti, mandavit, ut ſeriem eorum, qui primariis civitatis magiſtratibus functi fuerant, gentium nominibus diſtinctam, veram & numeris omnibus abſolutam, contexeret; quod quidem laborioſum opus ille ſub tanto auſpice ſumtus ſuppeditante adgreſſus eſt, ſed morte praeventus ad umbilicum deducere non potuit; quare ejuſdem Principis iuſſu illud perfecit tamdem *Laurentius Marianius*, quem in *Beneventutii* locum ſubſtituerat, & ſuo ſecreto Archivo praefecerat. At ſi *Beneventutium*

benigne ſemper *Ferdinandus* reſpexit, gratus quoque *Iacobo Antonio Morigiae* eſſe voluit, & cum Patre conſpiravit, ut ſuae curae ac laborum in ſui inſtitutione exantlatorum praemium, Epiſcopatum primum Miniatenſem acciperet; deinde Eccleſiae Florentinae Archiepiſcopus praeeſſet; tamdemque in S. R. E. Cardinalium coetum cooptaretur, quod quidem anno MDCIIIC. contigiſſe deprehendimus. Porro viros omnes litteris & doctrina praeſtantes plurimi ſemper fecit, & eorum conſuetudine delectatus eſt, iisque multa benevolentiae & aeſtimationis argumenta iugiter praeſtitit, ut *Benedicto Averanio*, *Ant. Mariae Salvinio*, *Laurentio Bellinio*, *Henrico Noriſio*, *Vincentio Viviano*, *Laurentio Magalottio*, *Alexandro Marchettio*, & *Franciſco Redio*, cuius Italica Epigrammata anno MDCCII. magnificentiſſima editione vulganda curavit. Quanto favore *Io. Mabillonium* proſequutus ſit iam opportune indicavimus; quanta quoque benignitate amplexus eſt *Bernardum Montemfalconium*, eiuſdem gentis & inſtituti Monachum, ipſe *Monsfalconius* teſtatur, a quo pro innata humanitate nulla non benevolentiae ſignificatione ad colloquium admiſſum ſe fuiſſe ait, iuſſiſſeque illum omnia in palatio exhiberi, picturas ſcilicet, magnificamque totam ſupellectilem, quam ipſe ſummo ſtudio collegerat, atque in dies augebat. Poetas etiam quammaxime coluit, & Comicos, Tragicoſque in primis, ut *Ioannem Andream Monelium*, *Antonium Salvium*, *Silvium Stampiliam*, *Apoſtolum Zenum*; feſtivos facetoſ-

que

que etiam, ut *Ioannem Baptiſtam Faſeolium*, *Hippolytum Nerium* Empulenſem, qui heroi-comicum de bello inter Empulenſes & Miniatenſes Poema conſcripſerat, alioſque; & vates praeſertim, qui ſubita extemporales verſus fundendi facultate pollebant: diligebat vero ac ſubſpiciebat ſimul *Vincentium Filicariam*, & *Benedictum Menzinium*, Poetas ſummos atque graviſſimos, quorum alterum re domi auguſta laborantem principali ſaepe munificentia ſublevavit. Eximios autem Oratores, & eos, qui cum ſacra profanaque eruditione copiam ubertatemque dicendi coniungerent, adeo demiratus eſt, ut viros quoſque diſertiſſimos, & ſacra eloquentia praeſignes, ex univerſa Italia advocaret, ut in D. *Felicitatis* templo, in cuius paroecia regium palatium exſtat, coram ſe doctiſſimas aeque; ac elegantiſſimas conciones haberent. Hac etiam de cauſſa fortaſſis *Fridericum Iannettium*, Oratorem mirabilem, Venetiis, ubi reliquum vitae agitare ei Veneti ſuadebant, litteris urgentiſſimis revocavit, & perpetua protectione dignatus eſt. Quid autem de eo dixerim, quod doctorum virorum, qui iam naturae conceſſerant, memoriam aeternare dignis etiam honoribus cogitabat, quumque a *Vincentio Viviano* ſplendidum ſepulcrum, *Galilaeo* conſtruendum, legatum fuiſſe reſciſſet, ipſe eximium huiuſmodi mauſolei exemplar delineari voluit & ad gloriam tanti viri amplificandam conſenſit? Quum autem tanto amore ac beneficentia doctos eruditoſque homines Princeps hic cultiſſimus proſequeretur, nihil

hil mirum, ſi ad eum omnes tamquam ad Muſarum aſylum accurrerent, & eius patrocinium ambirent, ac ſuas ei lucubrationes atque opera conſecrarent, ut *Laurentius Laurenzinius*, *Ioannes Marius Creſcimbenius*, *Ioannes Vincentius Coppius*, *Car. Angelus Mazza* Franciſcanus, *Franciſcus Teglia*, *Alexander Marchettius Paullus Segnerius* Ieſuita, & quos iam memoravimus *Zenus*, & *Godius*, ut de eo veriſſime Bollandiani in Epiſtola nuncupatoria Tomi VI. Actorum Sanctorum menſis Maii pronunciaverint, illum eſſe Principem, *quem reſpicit Luſitania, ambit Gallia, amat Etruria*; quum in nulla prope Europae regione non aliquis reperiretur, qui eius praeſidium, munificentiamque expertus fuiſſet. At dum tam grandia, tam laudabilia, tam miranda molitur *Ferdinandus*, morbum immedicabilem contrahit, qui primum corpus inficit, & vires labefactat, tamdemque mentem illam perſpicientiſſimam hebetat. Quantum dolorem Regiis parentibus, auguſtaeque familiae, populoque univerſo, orbique ipſi, ut ita dicam, terrarum hoc Principis maximi infortunium adtulerit, ille fortaſſis aliquantiſper coniiciet, qui dolere bona fide conſueverit veneream luem, quae tot vappis ac nebulonibus parcit, heroum decus ac florem indigne ac ſaeviter populatam, eum anno MDCCXIII. rebus humanis intercepiſſe. Itaque eius cadaver ſolenni pompa elatum in D. *Laurentii*, in Maiorum Sereniſſimorum ſepulcreto, conditum eſt una cum ſequenti Inſcriptione, a *Thoma Bonaventurio* elucubrata, atque aere inciſa:

A.

A. P. R. M. FERDINANDVS MEDICES MAGNVS ETRVRIAE PRINCEPS COSMI III. MAGNI DVCIS ETRVRIAE, ET MARGARITAE ALOISIAE GASTONIS AVRELIANI DVCIS FILIAE INCLITVS FILIVS, FERDINANDI II. MAGNI DVCIS ETRVRIAE ILLVSTRIS NEPOS. VXOREM DVXIT VIOLANTEM BEATRICEM FERDINANDI MARIAE VINDELICORVM DVCIS, ET SACRI ROMANI IMPERII SEPTEMVIRI FILIAM QVAM MOESTISSIMAM RELIQVIT. EXIMIAM AVITAMQVE GENERIS CLARITATEM PRAECLARISSIMIS ANIMI SVI DOTIBVS SVPERAVIT. BONARVM ARTIVM PATRONVS, ET AESTIMATOR AEQVISSIMVS. PIETATE IN DEVM, IN AERVMNOSOS MISERICORDIA, ERGA OMNES HVMANITATE CONSPICVVS, AC PROPEMODVM SINGVLARIS. NATVS EST V. ID. SEXT. ANNO MDCLXIII. OBIIT SVMMO OMNIVM MOERORE III. KAL. NOV. ANNO MDCCXIII. VIXIT ANN. L. MENS. II. DIES XXI.

Ferdinandus mediocri ſtatura fuit, pinguioribus membris, ore prope renidenti, oculis vividis, prominentibus labiis; animo grandia agitante, ingenio promto ac perſpicaci, pius, clemens, munificus, adfabilis, & amorem omnium ſibi comitate concilians. In nobilium conventu laudatio funebris, ab *Ant. Maria Salvinio* compoſita, ab *Alfonſo Marſilio*, Patricio Senenſi, recitata eſt, qua Patroni incliti ac munificentis virtutes pro merito commendantur. Eius quoque manibus quo-

quodammodo parentavit coetus Academicorum *Igneorum*, ſeu *Infocatorum*, qui ludis ſcenicis exhibendis praeſidet, & concinnam Inſcriptionem a *Salvinio* pariter elaboratam propoſuit, quam etiam heic adducere haud iniucundum fore arbitror:

MAGNO ETRVRIAE PRINCIPI FERDINANDO MAGNI ETRVRIAE DVCIS COSMI III. FILIO. ARTIVM OMNIVM PRAECLARARVM ET PVBLICAE HILARITATIS AMANTI. SCENICAM PHILOSOPHIAM PER MVSICEN IN ANIMOS SVAVITER INFLVENTEM POPVLIQVE MORES FORMANTEM EGREGIE PROMOVENTI. ACADEMICVS INFOCATORVM COETVS MOERENS ET NOMINI EIVS DEVOTISSIMVS. PIIS EIVS MEMORIAM COLENS EXSEQVIIS PRINCIPI BENEMERENTI. PATRONO OPTIMO. GRATI ANIMI CAVSSA.

CA-

CAROLVS CONTIVS

Ioſeph. Blanchinio Auctore.

INter eos, qui non immerito aliquam apud poſteros memoriam ſui poſtulare videntur, non ultimum ſine dubio locum obtinet *Carolus Contius*, Prati in Etruria honeſtis ortus parentibus, ob ſingularem eruditionem, qua pollebat, & ob bene navatam operam in erudiendis adoleſcentibus, qui ipſo duce, & magiſtro, litteras illas, quae humaniores vocantur, percipere voluerunt. Is, ut primum per aetatem in hominum luce verſari coepit, tale de ſe ſpecimen praebuit, ut iam tum ex eo, adhuc adoleſcentulo, cives ſui qualis poſtea vir futurus eſſet, facile coniicere potuerint. Non ludos quaerebat, non iocos amabat, non voluptatibus delectabatur, quas illa aetas maxime ſolet adpetere; ſed probitati tantum, ac litteris operam dabat; & ea ingenii celeritate, quae a magiſtris tradebantur, excipiebat, cuſtodiebatque memoria; ut etiam aequalium ſuorum induſtriam antecederet. *Benedictus Menzinius* Poeta celeberrimus, qui tunc temporis Prati eloquentiam docebat, pueri ingenio mirabiliter eſt delectatus, & magnos eius in re litteraria progreſſus ſe praevidere libere faſſus eſt. Sed quum eſſet illius res domeſtica admodum anguſta, & primis virtutum conatibus obſtaret, ex iis anguſtiis emergendi facultas illi data fuit a *Simone Vaio*, Pratenſi, viro tunc Chri-

ſtiana pietate conſpicuo, qui primum propriis, poſtea etiam publicis patriae, ſumtibus eum Florentiae in Collegio Sancti Salvatoris, alendum curavit; atque ibidem *Iacobo Meſcolio*, integerrimae vitae Sacerdoti, ſumma doctrina, ac prudentia praedito, in diſciplinam tradidit. Adſpexit *Carolum Meſcolius*; & probavit; nam adeo egregiae indolis erat, ut eius ingenii docilitas, & acumen, in vultu, & ipſis oculis eluceſceret. Viri illius iudicium irritum non fuit: tanta enim cura, tanta exercitatione, & adſiduitate ad politiores litteras incubuit, ut inde brevi elegantiſſima carmina, & orationes diſertiſſimas dictaverit; quae non iuvenem, ſed virum emunctae naris redolebant. Eloquentiae deinde ſtudiis, ſapientiae ſtudia prudenti conſilio coniunxit, ſine quibus, quamvis puriſſimis conſcripta verbis, omnis elangueſcat oportet oratio, ac optimi iudicii hominum adprobatione ſit penitus indigna. Philoſophiae igitur, ac Theologiae operam dedit, non quantum ad eloquentiam ſit ſatis, ſed ita ac ſi facultatum illarum profeſſorem ſe efformare voluiſſet. Hiſce luminibus inſtructus, hac ornatus ditatuſque ſuppellectile, ab ipſo *Iacobo Meſcolio* ad docendas in eodem Collegio Sancti Salvatoris humanas litteras, adhuc iuvenis, fuit electus. Itaque ex domeſtica, atque umbratili exercitatione in pulverem, & ſolem eductus, munere ſuo, cum magna eloquentiae, & eruditionis functus eſt laude, adeo ut omnium in ſe ſtudia benevolentiamque converterit. Dum *Carolus* Florentiae properabat

in

in dies magis ad ſingularem litterati hominis exiſtimationem, & famam, evocatus fuit in patriam. Provincia illi docendi publice Rhetoricam demandata fuit; quamobrem eamdem illam cathedram adſcendit, quam olim *Menzinius* ipſe, aliique viri eloquentes, illuſtrarunt. Interea ſacris initiatus, & ſacerdos ordinatus, optime in omnibus reſpondit exſpectationi, quam de ipſo quiſque conceperat; nam ſanctitatem morum, atque integritatem, cum ſumma comitate, ac ſermonis venuſtate, coniungens, omne ſuum tempus & ſtudium, omnem ſuam operam & diligentiam, ad bene exſequendum contulit iniunctum officium: & quantae, docendo, inſtituendoque omnes, civibus ſuis, & exteris quoque, utilitati atque uſui fuerit, quamplurimi eruditi viri plane demonſtrant, qui ex illius gymnaſio prodierunt. Quum autem per id tempus *Octavius Ruſticius*, Epiſcopus Volaterranus, ſanctionibus Concilii Tridentini parere voluiſſet, & domum illam, quae Seminarium vocatur, in Dioeceſi ſua erigere, atque fundare, opera illius uti vehementer optavit; ſed quum id perfici non poſſet, niſi *Coſmi* III. Magni Ducis Etruriae regia auctoritas fuiſſet adhibita; ideo re propoſita, dummodo per triennium Prato abeſſe tantum ei licuiſſet, & alium, qui cathedram ſuam impleret, ſubſtitueret, clementer adnuit Princeps ille glorioſiſſimus, & qua erat in Deum, & res Eccleſiaſticas, pietate & ſtudio mire propenſus, Epiſcopi Volaterrani opus fovit, atque protexit, & *Carolum* prae-

miis

miis auxit, & honeſtavit. Rediit tamdem in Patriam, ubi priſtinum munus exercens, cum magno ſemper auditorum ſuorum profectu, poſt aliquos annos, religioſiſſime obiit, anno videlicet MDCCXXV. Edidit tantum quatuor elegantiſſimas Eclogas; ſed plurima alia reliquit carmina adhuc inedita, & praeſertim pulcerrimum Poema *De Deipara Virgine in coelum adſumta*, in quibus non minus Latini ſermonis puritas, quam poetica venuſtas elucet. Initium memorati Poematis eſt quod ſequitur:

Coelicolum citharas inter, laetaſque choreas,
Fulgoreſque novo radiantis lumine Olympi,
Et lacrimas inter, gemituſque Sionis, & aegri
Murmura Iordanis, Libani & ſuſpiria, tamdem
Sublatae terris, & coelo redditae amorem
Nazareae canimus, pia vota, & gaudia, Matris.
Divae, Caſtalides Divae, & tu maxime Pindi
Phoebe potens, veſtris ego ſi nunc transfuga regnis
Tendo procul, fonteſque ultro, ſacroſque receſſus
Deſero iam notos, mihi faſſo ignoſcite, veſtrae
Non opis eſſe reor noſtris ſuccurrere coeptis.
Ieſſaea de gente ſatum qui numine Regem
Divino implevit, dedit & ſuper aethera tolli,
Et coeli arcana inſpicere, & ſublimia poſſe
Moliri, & fidibus canere: ille idem mihi pectus
Inflammet, votiſque meis adſpiret, & adſit
Conanti magna: ille mei ſit carminis auſpex.
Denis exactis iam quarta acceſſerat aeſtas,
Ex quo Erebi, & mortis domitor, plaudentibus aſtris
Se Patri exſuviis ditem, laetumque triumphis
Reddiderat, nullum non regnaturus in aevum:

Quum

Quum votis incenſa piis, lacrimiſque decoris
Vda genas, carum dum animi ſubſpiria Natum
Ingeminant, divina Parens ſic ore loquuta eſt.
Nate Patris ſummi, cuius coeleſtia nomen
Agmina, mortaleſque hominum, ſtygiaeque cohortes
Demiſſis oculis, & flexo poplite adorant,
Si te nulla tuae cepere oblivia Matris,
Primus adhuc ſi regnat amor (quod credere certum eſt)
Heu me plorantem, & divortia noſtra dolentem,
Volventemque aegras curas, heu cerne, meique
Oratrix cordis ſit lacrima, & exoratrix,
Nate, tui, lacrimis quod cedere gaudet amantum.
Quae mora felicem, quae lenta perendinat horam,
Horam illam, aeterno qua te, mea ſola voluptas,
Complexu teneam? Quid adhuc prohibemur ab undis
Quas labra iamdudum ſitiunt? quas vulnera quaerunt?
Vulnera, quae nullus lenit Podalirius, omnem
Impendat licet artis opem: dumtaxat ab illo
Fonte optata ſalus manat, quem pectus anhelat.
Ah! Nate, ah! oculis ne te, ne ſubtrahe noſtris
Vlterius: mihi te, vel me tibi redde precantem &c.

MARCVS ANTONIVS MOZZIVS.

FLorentinus fuit, & *Iulii Mozzii*, Viri clariſſimi, ac *Mariae Franciſcae Bonaegulielmiae*, parentum nobiliſſimorum filius, *Marcus Antonius*, anno MDCLXXVIII. XVI. Kal. Ianuar. in vetuſtis ſuae gentis aedibus, *Gregorii* X. Pont. Max. aliorumque Principum, olim hoſpitio nobilitatis, Florentiae natus. In Ieſuitarum ſcholis, *Ferdi-*

dinando Zucconio praeceptore pereruditо, Rhetoricam & politiores litteras didicit; & ſub Clericis Regularibns Scholarum piarum doctrinis, diſciplinisque liberalibus operam dedit, & Theologiae praecipue, magiſtrum nactus publicum Athenei Florentini Profeſſorem *Andream a Sancto Sebaſtiano*, virum eximium, & qui ſupremus Praeſes univerſo ſuo ordini praefuit. In eodem Atheneo *Iacobum Rillium* iuris interpretem audivit, & in cuiuslibet facultatis curriculo mirifice progreſſus eſt; quamquam ſeriam gravioremque eiuſmodi ſtudiorum intentionem, ſuavi Muſices cognitione, pulſationeque fidium exacta, penitus animo comprebenſis, laxaret interdum atque remitteret. Ita enim huiuſmodi ſcientia praeſtitit, ut nulli alii citharoedo concederet; & *Ioannis Gaſtonis*, Medicei Principis, & Magni deinde Etruriae Ducis, in grato illo & iucundo exercitio, regium palatium frequentans, ſocius eſſe meruerit. Quum vero ſcientiae & eruditionis amore vehementer incenſus eſſet, litteratorum hominum amicitias perpetuo coluit, & *Antonii Mariae Salvinii* in primis, ad quem frequenter accedebat, ut multiiugem pulcerrimarum rerum cognitionem ab eo quaereret, abſolutamque Tuſcanicae linguae eruditionem compararet, qua deinde *Mozzius* adeo excelluit, ut ſoluta, & vincta numeris oratione eleganter, copioſe, & dilucide ſcriberet; tantam perfectionem *Salvinio*, morum integritate non minus, quam doctrina eminentiſſimo, ſe debere minime inficians; quem etiam vita functum in celebri

bri *Furfureorum*, ut vocant, conventu anno MDCCXXX. parentali oratione laudavit. Nam in *Apathiſtarum*, *Florentinorum*, *Furfureorumque* coetus eruditiſſimos ille tempeſtive cooptatus fuerat, ſingulisque Praefectus, & ſummus moderator praeſedit, multiſque orationibus habitis, & carminibus venuſtiſſimis recitatis, eos cohoneſtavit, adprobationemque ac laudem a confluente multitudine retulit. Anno MDCC. Sereniſſimo Principe tribuente, ſacerdotium, quod Canonicatum vocant, in Florentina Eccleſia adſequutus eſt, quum *Ioannes Antonius Guadagnius*, nunc Purpuratorum Eccleſiae Romanae Patrum unus, qui illud primum obtinebat, in Carmelitarum familiam tranſiiſſet. Triennio vero poſt, Capituli Florentini iuſſu, *Leonem Stroctium* Archiepiſcopum mortuum ſolenni laudatione celebravit; quum anno iam MDCCI. in exſequiis, iuſtiſque *Caroli* II. Hiſpaniae Regis manibus perſolutis, parem orationem habere a *Coſma* III. Magno Duce iuſſus eſſet, & multa cum laude oratoris munus obiviſſet. Hinc, ubi publica aliqua celebritas occurrebat, *Mozzii*, tamquam viri litteratiſſimi, ratio ſemper habebatur a Principe, & ab eo ſive orationes, ſive carmina, & utraque quidem lingua, Latina & Italica videlicet, exigebantur, ut in honorario *Leopoldi* Auguſti funere; in feſta *Pii* V. Pont. Max. apotheoſeos, quae anno MDCCXII. contigit, commemoratione, in qua eximias ſancti illius Pontificis virtutes, & res praeclare geſtas luculenta oratione laudibus tulit; & in *Coſmae* ipſius Principis

obitu. Quin etiam anno MDCCXXII. a ſuo Capitulo iterum delectus eſt, ut libellum, ſive epiſtolam, quam *Poſtulatoriam* adpellant, communi nomine ad Pontificem Maximum ſcriberet, & cultus antiquiſſimi, quo ſeptem Ordinis Servorum *Mariae* Deiparae Inſtitutores merito dignantur, confirmationem poſtularet. Quum autem anno MDCCVIII. *Ludovico Adimario* vita functo, cathedra, ut vocant, Tuſcae linguae in Atheneo Florentino vacaviſſet, ad eam *Mozzius* a Principe evectus eſt, qui ſtatim *Dantis Paradiſum*, tertiam ſcilicet eius poematis partem, ediſſerere adgreſſus eſt. At maius opus movit is, quum biennio poſt, laudati Principis imperiis morem geſturus, de D. *Creſcii* & ſociorum Martyrum actis & paſſione, eorumque Eccleſia, in agro Mucellano ſita, iuſtae molis commentarium in vulgus prodidit; quod quidem opus Veneti Ephemeridum Italicarum Scriptores Laderchianis de iisdem Martyribus lucubrationibus iuſta cenſura praetulerunt; & *Franciſcus Orlendius* Dominicanus laudibus immodicis commendavit. Sciendum enim eſt eruditas concertationes inter *Gerardum Capaſſium* Servitam, & *Iacobum Laderchium*, Congregationis Philippinae Presbyterum, tunc temporis excitatas fuiſſe occaſione reliquiarum illorum Martyrum in agro Mucellano cultarum, quas quidem veras eſſe ac ſinceras *Laderchius*, actis apocryphis, & argumentis incertis, fretus adſeverabat; *Capaſſius* autem contra & acta illa apocrypha eſſe perſpicue demonſtrabat, & lipſanorum ſinceri-

ceri-

ceritatem inficiabatur, & nomen ipſum Martyris, ex neſcio qua inſcriptione non bene coniici pertendebat, & Laderchianas nugas paſſim arguere ac revincere conabatur. Quum igitur huiuſmodi controverſia agitaretur, & partium animoſitas gliſceret, Princeps Sereniſſimus, qui inſita quadam ad pietatem & religionem proclivitate in *Laderchii* ſententiam propendebat, tantum diſſidium compoſiturus *Mozzio* mandavit, ut de eadem controverſia commentans quoddam conciliationis foedus excogitaret, mediamque viam ita inſiſteret, ut & antiquam de D. *Creſcio* credulitatem non omnino de medio tolleret, & obices, quos doctus ac ſolers *Capaſſius* opponebat, commode prudenterque removeret: quae quidem res an *Mozzio* ſub manus ſucceſſerit, aliorum iudicium eſto. Ipſe tamen iudicium libere tantum proferam de facili, & probata, qua *Mozzius* pollebat, carmina extemporalia fundendi facultate, quibus quidem nec venuſtius, nec iucundius & ſuavius quidquam audiri poterat; quo etiam nomine a Principibus ipſis, qui eius cantu mirifice delectabantur, plurimi factus eſt. In Etruria enim, & Florentiae praecipue, ea vis ingeniorum, & animorum alacritas, & ſenſuum vigor atque ardor, in pleriſque omnibus fervet, ut ſponte natura, & ſtudio nullo poetae extemporales, & qui ſubito impetu elegantia carmina effundunt, paſſim occurrant, adeo ut neque in antiqua ulla hiſtoria, neque in alia orbis terrarum regione, exempla huius mirabilis facilitatis tam cre-

 bra

bra ac ſimilia reperiantur. Heic igitur pueri, feminae, viri, cuiuſcumque conditionis, verſus non ſpernendos extempore meditari, ſeu potius fundere, vulgo audiuntur; & quod inter alias gentes vix labor adſiduus, & meditatio ſeria, longuſque labor exculpit, in Etruria furor quidam entheus, & improviſa mentis concitatio, incredibili facilitate, & praecipiti vocum numeroſarum volubilitate praeſtat ac peragit. Sunt qui putent iam vertente ſeculo XV. huiuſmodi poeſin Florentiae iterum excitatam invaluiſſe, & *Marſilium Ficinum* hac etiam extemporalitate praeſtitiſſe, ut ex eius quidem epiſtolis colligere eſt; ſed certum exploratumque eſt, ſuperiore, & vertente hoc ſaeculo, adeo eam viguiſſe, ut extemporales Poetae Etruſci apud reliquas gentes miraculi inſtar habeantur, & omnes fere eos audire deſiderent. Hinc quidam perhibent *Torquatum Taxum* Florentiam adveniſſe, ut Poetas huiuſmodi, vix ab ipſo creditos, ſubſpiceret; & *Bernardinus Perfectius* Senenſis, in Germaniam a Sereniſſimo Vindelicorum Duce evocatus fuit, ut genti illi obſtupeſcenti inſolitum miraculum exhiberet. Quin hic ipſe Poeta, omnium extemporalium facile Princeps, hoc uno titulo Romae anno MDCCXXV. in Capitolio laurea donari ſolenni ritu promeruit. Inter Poetas, qui in Etruria, noſtra aetate, laudem & adprobationem verſus huiuſmodi cantando retulerunt, fuere maxime memorabiles *Perfectius* laudatus, *Corſinianius*, *Adimarius*, *Galaſſius*, *Salvinius*, *Ghivizanius*, *Lucchesius*, &

Moz-

Mozzius noſter, qui conterraneorum ſuorum exempla imitatus, huiuſmodi virtute excelluit, ut diximus. Hac eadem *Mozzii* poeſi *Violantes Beatrix* Magna Etruriae Princeps admodum delectata, quum ipſa eruditi oblectamenti gratia cognomenta quaedam novo laudatoque invento pluribus Florentinis nobilibus matronis impoſuiſſet, iuſſit ei, ut ſingula cognomenta ſingulis Italicis epigrammatis eleganter exponeret, & numeroſe celebraret; id quod ille tanta venuſtate, copia, eruditioneque exſequutus eſt, ut Princeps munificentiſſima typis omnia excudi, & prodi in vulgus, anno MDCCV. mandaverit. Quin, quum *Benedictus* XIII. Pont. Max. roſa aurea *Violantem Beatricem*, anno MDCCXXVII. noto Romanae Eccleſiae ritu, donaviſſet, eamque illa ſolenni ceremonia ac pompa a Pontificio Legato accepiſſet, *Mozzio* ab eadem iuſſum fuit, exactam luculentamque huiuſce rei narrationem ſcribere; quae deinde formis deſcripta edita fuit. Hinc illa anno inſequenti ſuum primarium Theologum *Mozzium* renunciavit; quamobrem Theologorum etiam Florentinorum collegio ſpeciali indulgentia adgregatus, & Magiſterii titulis auctus eſt. At non Theologus tantum ita paruit; verum etiam quaeſita olim iuris cognitione apte opportuneque uſus, & propriorum equeſtris ordinis officiorum adprime gnarus, componendis diſſidiis, inimicitiis tollendis, prohibendiſque rixis, felici ſucceſſu crebro adhibitus fuit. Hiſtorici vero munus ſaepe obiens vitam etiam *Laurentii Bellinii*, quae in *Arcadum Illuſtrium*

Vitis habetur, eleganter concinneque conſcripſit; quamquam Poetam ut plurimum agens, & multa Italica carmina ſuaviſſime meditatus eſt, quae paſſim in variis huiuſmodi poematum Syllogis miſcellaneis occurrunt; & *Aurelii Prudentii* Hymnos περὶ ϛεφάνων verſibus Tuſcanicis expreſſit, qui poſt eius obitum Mediolani chalcographico opere publici iuris facti ſunt, addita erudita Praefatione *Salvini Salvinii*, Patricii, Canonici, & Profeſſoris Florentini diſertiſſimi, cuius humanitati haec prope omnia, quae de *Mozzio* commentamur, accepta ferimus; quique in antiquae perfectaeque amicitiae, quae ei cum *Mozzio* intercedebat, argumentum, tertium Diſſertationum *Antonii Mariae Salvinii*, fratris ſui, Volumen, anno MDCCXXXIII. ei nuncupaverat. *Terentii* quoque Afri Comoedias, a *Nicolao Carteromacho*, ſeu *Forteguerrio*, Piſtorienſi, Italicis carminibus redditas, *Mozzius*, ab auctore ipſo rogatus, recenſuit ac caſtigavit; nulla licet huius rei mentio in illarum editione, quod *Carteromacho* fato functo contigerit, offendatur. Extremus *Mozzii* labor, orationis parentalis, qua mortem *Ant. Mar. Salvinii* deflevit, eiuſque, ut diximus, memoriam celebravit, editio fuit, quam *Villarſio*, Gallicarum copiarum in Italia Imperatori, dedicavit. Merito igitur *Mozzius* aereo numiſmate anno MDCCXXXII. honeſtatus eſt, in cuius adverſa facie eius imago exſtat cum epigraphe: *Marcus Antonius Mozzius Canonicus Flor.* in averſa vero Minerva cum ſymbolis, & verbis illis Horatianis, ab eruditiſſimo *Ant.*

Franc.

Franc. Gorio indicatis : *Hic poſuiſſe gaudet*; numiſma autem fudit *Antonius Silvius*, huiuſmodi rerum artifex peritiſſimus. Tamdem anno MDCCXXXVI. *Marcus Antonius*, apoplexia, Prid. Non. Apriles, in ſuburbana villa correptus, naturae conceſſit, & in Florentina Eccleſia ſepultus eſt. Scriptores plurimi in ſuis operibus eius cum laude meminerunt, inter quos *Henr. Nevvtonus*, *Ioannes Clericus*, *Io. Marius Creſcimbenius*, *Ant. Maria & Salvinus Salvinii*, *Dominicus de Angelis*, *Dominicus Maria Mannius*, *Antonius Dominicus Norcia*, *Io. Baptiſta Caſottius*, *Ioſephus Blanchinius*, *Iulius Niger*, *Ioannes Baptiſta Faſeolius*, *Guido Grandius*, *Baſilius Bertuccius*, *Antonius Thomaſius*, *Hyacinthus Gimma*, *Ioſephus Cerracchinius*; & modo ipſe, qui eius morte audita, multum dolui, quum inter nos iam conveniſſet, paucis poſt diebus in *Franciſci Sacchettinii*, viri Patricii, aedes nos conferre, privatimque extemporali poëſi canentes amabilem illam familiam exhilarare, & honeſta voluptate perfundere. Iuſta ſtatura fuit, vultu rubeſcenti, quamquam ultimis vitae temporibus macilento, oculis grandioribus, naſo ad aquilinum vergente, animo laeto, facilibus moribus, honeſtae hilaritatis amans, & cenſurae paullo impatientior. Eius opera edita ſunt:

Epigrammata Italica in Florentinarum quarumdam matronarum laudem.

Sermones Sacri.

Hiſtoria S. Creſcii & Sociorum Martyrum.

Nar-

Narratio de Roſa aurea Violanti Beatrici Etruriae Principi donata.

Carmina Tuſcanica varia.

Carmina Latina in diverſorum Principum exſequiis.

Vita Laurentii Bellinii.

Hymni in D. Iſidorum.

Oratio funebris in obitu Ant. Mar. Salvinii.

Hymni περὶ στεφάνων Prudentii *in Italicos verſus translati*.

Inedita vero ſunt:

Orationes variae, & Diſſertationes, Carminaque Italica alia.

GERARDVS CAPASSIVS.

MVltum debet *Gerardi Capaſſii* caſtigatae doctrinae, acri iudicio, & laudatae ſcribendi libertati, Florentia, in qua is honeſtis parentibus anno MDCLII. natus, Servitarum familiae adoleſcens adſcriptus eſt. Quum Philoſophiae Peripateticae & Scholaſticae Theologiae, quales in Monachorum coenobiis ea tempeſtate tradebantur, ſedulam operam navaviſſet, mente ſua vivida ac perſpicaci tamdem cognovit ſe non regiam doctrinarum viam ingreſſum fuiſſe, ſed per inutilium vanarumque quaeſtionum ac ſophiſmatum divortia aberraſſe; quare ſe ipſe duce atque auctore pedem retulit, & ſtudia meliora feliciter auſpicatus in diſciplinas incubuit, & Sacram Eccleſiaſticamque hiſtoriam perdidicit, & partem Theologiae praeſtantiſſimam, quam Dogmaticam

ticam vocant, penitus animo comprehendit. Hinc anno MDCLXXXII. in Collegium Theologorum Florentinorum cooptatus eſt, quum inter ſui ordinis Monachos per plures annos Philoſophiam Theologiamque docuiſſet; alteramque ſcientiam etiam in Piſano Atheneo publice per ea tempora profeſſus eſt. Anno deinde MDCLXXXVII. Theſes quaſdam ex Theologia, & Philoſophia ſelectas propugnandas expoſuit, quae ex optimis quibuſque auctoribus excerptae adprobationem paſſim meruerunt; ſecus atque aliae, quae novitatem quamdam pro illa aetate inſolentiamque praeferentes, doctiſſimum hominem in magnum diſcrimen adduxerunt, quum ſacrorum Cenſorum ſeverum iudicium ſubire coactus fuiſſet, & audaciae perutilis & commendabilis παῤῥησίας poenas dare. Hinc olim feſtive a Romano Praeſule ſapientiſſimo ei exprobratum fuit, iure quidem merito coercitioni huiuſmodi obnoxium fuiſſe, quum in ſagaci veritatis inquiſitione alios Italos omnes triginta annorum ſpatio antevertere confidentiſſime voluiſſet. Quum interea anno MDCII. in Mucellano Etruriae agro Sancti *Creſcii*, & Sociorum Martyrum aedem & altaria *Coſmas* III. Magnus Dux, occaſione rusticationis, qua in Valle Cava quotannis gaudebat, inſtaurare & exornare adgreſſus eſſet, & peculiari religione Divos illos veneraretur; *Iacobus Laderchius*, Congegationis Oratorii, ut vocant, presbyter, non tam veritatis amore ductus, quam *Coſmas* Principi, qui illorum Martyrum hiſtoriam illuſtrari, & cultum

auge-

augeri vehementer optabat, rem gratam faceret, eorum acta, quae quidem apocrypha in Bibliothecis Florentinis Romaniſque adſervantur, publici iuris ſub Principis auſpiciis facere adgreſſus eſt, variis obſervationibus & vindiciis additis, quibus τὸ γνήσιον illorum adſerere fruſtra conabatur. Haec quidem acta anno MDCCVII. in vulgus prodita ſunt, non ſine *Capaſſii* indignatione, qui *Laderchium*, amicum iam ſuum, rem ſecum communicantem monuerat, ne deridiculam hanc provinciam ſuſciperet, ludibrium eruditis omnibus & emunctae naris hominibus debiturus; quum illorum actorum falſitas nimis exſtans emineret. Auſcultare igitur *Capaſſii* monitis *Laderchius* detrectavit, & actorum ſinceritatem praedicare ac defendere auſus eſt; quare *Capaſſius* ea de re *Iuſto Fontaninio*, Viro pereruditо, Romam ſcripſit, *Laderchii* confidentiam paſſim perſtringens, & quantum is hallucinaretur oſtendens. Illam vero epiſtolam *Laderchius* nactus, clam in vulgus prodendam curavit, & epiſtolam ipſe quoque ſcripſit ad equitem Florentinum, ſub *Petri Donati Polydori* nomine, qua, acta illa apocrypha ulterius ut genuina tueri minime veritus, in *Capaſſium* debacchabatur. At *Capaſſius* huiuſmodi iniuriarum impatiens, hominis audaciam compeſcere, & veritatis hiſtoricae incolumitati conſulere, animum induxit; & aliis eruditis viris, ut ferunt, in laboris partem adſcitis, *Nugas Laderchianas*, Plautino ſale reſperſas, ſub *M. Antonii Gatti* nomine, anno MDCCIX. edidit; intrepidus quidem, utpo-

te

te iam periculis adſuetus, & metuendam *Coſmae* Principis iram haud multum curare viſus; quum Princeps ille in tantam exarſerit, ut libellum Laderchianam ἀκρισίαν acriter arguentem infamibus flammis addixerit; & *M. Antonium Gattum*, Florentiam ad ſe purgandum, & innocentiam ſuam iureiurando demonſtrandam, advolare coegerit. At non hiſce limitibus tantum ſe continuit *Capaſſius*; ſed reliquiarum etiam illorum Martyrum veritatem in dubium paſſim revocabat, nominaque tamquam non probe lecta & intellecta deridebat: quae quidem loquendi libertas, quae ingenuo *Capaſſii* animo excidere numquam potuit, aliis etiam temporibus impedimento fuit, ne dignitatibus illis, quas eius doctrina virtuſque merebant, decoraretur, ſibique in Romanae purpurae inſignibus conſequendis alios praeponi videret; quum multa ab eo de Conſtitutione *Vnigenitus* a *Clemente* XI. Pont. Max. edita, aliiſque Romanae curiae placitis, liberius pronunciata recolerentur. Sunt tamen qui dicant *Capaſſium*, aemulatione quadam ad *Laderchium* exagitandum inductum fuiſſe, quum ſibi potius provinciam illam demandari exoptaſſet; ſed tamdem omnis controverſia ſedata eſt, actis illis iterum a *Marco Antonio Mozzio*, Canonico Florentino, iuſſu Principis anno MDCCX. vulgatis, & iis in medium adductis, quae rem minus incertam facere viderentur, & Eccleſiae Sancti *Creſcii* in Valle Cava hiſtoriam amplificare & perficere. *Benedictum* quoque *Bacchinium*, Monachum eruditiſſimum, quaedam in

in eadem controverſia commentari, & iudicem, *Hypercriſin* ſcribendo, agere ſuſcepiſſe conſtat; ſed *Coſmae* Magni Ducis auctoritate vulgare prohibitum: quae quidem epocha fuiſſe infortuniorum doctiſſimi hominis, quibus in reliquo vitae curſu, nil tale merens, iactatus eſt, haud temere videatur. Anno MDCCXII. Epiſtolae P. *Ioannis Antonii Bernardii*, Ieſuitae Patavini, *Capaſſius* feſtive ſimul acerrimeque reſpondit, cum Venetos Ephemeridum litterariarum Scriptores ab eius manifeſtis calumniis liberaturus, tum Vindicias veterum diplomatum a *Iuſto Fontaninio* adverſus *Germonium*, Ieſuitam audaciſſimum, conſcriptas, & a *Bernardio* impugnatas, defenſurus; atque hoc eodem pariter anno cenſoria ſua virga in *Io. Chryſoſtomum Scarfò*, Monachum Baſilianum Calabrum, iuſtiſſime ſaevit, quod is pariter in laudatos Venetos Ephemeridographos ſcripto petulantiori debacchatus eſſet; libellumque feſtive inſcripſit: *Monitum ad Eccleſiam Catholicam &c.* quo paſſim vapulantem hominem faceta Ianſeniſmi accuſatione traducit. Anno vero, qui conſequutus eſt, MDCCXIII. de *Nicolai Morterii* Clerici Regularis infirmis inſervientis opere, quod *Etymologiae Sacrae Graeco-Latinae* inſcribitur, iudicium protulit, quod quidem *Tomo* XIII. Ephemeridum Italorum Litteratorum exſiſtit. Dum Romae moraretur quibuſdam etiam Chronologicis Tabulis perficiendis ſymbolam contuliſſe dicitur; donec anno MDCCXXIII. *Coſma* Magno Duce vita functo, *Ioannes Gaſto* eius filius imperium ca-

peſ-

peſſivit, & *Gerardo Capaſſio* ſpes ſuborta eſt, tuto in patria iam, ac leniter aeuum tranſigendi; quum diverſos honorum gradus percurriſſet, & Ordinis ſui Secretarius, ut vocant, generalis; Examinator Synodalis Florentinus & Faeſulanus; Theologus *Franciſci Mariae Medicei*, aliorumque Cardinalium; Congregationis Indicis conſultor; & tamdem laudati ſui Ordinis *Exgeneralis* meritiſſimus fuiſſet. Florentiam igitur reverſus ab *Ioanne Gaſtone* Principe, Theologiae in Piſano Atheneo Profeſſor iterum renunciatus eſt, & Equeſtris *D. Stephani* Ordinis Theologus; atque in coenobio Florentino deinde, in ſua cathedra Piſis ſymmyſten *Fancellium* ſubſtituens, pacate vixit, & multis illud beneficiis cumulavit, quum eximiam librariam ſupellectilem, quinque circiter millibus argenteorum conſtantem in communem monaſterii bibliothecam tranſtuliſſet; & *Flammettae* ſorori ſuae anno MDCCXXXIV. auctor fuiſſet, ut annuum quadraginta argenteorum reditum eidem bibliothecae legatum teſtamento relinqueret. His igitur ultimis ſuae vitae temporibus quaeſitae eruditionis ſcientiaeque fructibus dives, litteratorum hominum amicitia & conſuetudine gaudebat non minus ac antea feciſſet, atque inter eos *Ant. Mariam Salvinium*, & *Guidonem Grandium*, Abbatem Camaldulenſem doctiſſimum, impenſe coluit; donec anno MDCCXXXVI. apoplexia correptus, & memoriam amiſit, & prope hebes effectus eſt; ac anno tamdem inſequenti vitam morte commutavit, homo, cui ſimilem,

poſt

poſt *Paullum* illum famigeratum, Servitarum familia nullum protulit. Iuſtis ei rite ſolutis *Iulianus Sallerus* Servita parentalem orationem habuit, qua tanti viri laudes pro merito celebravit. Procera ſtatura *Capaſſius* fuit, craſſitie membrorum convenienti, vultu rubicundo, oculis acribus, ore renidenti, naſo adunco; comis ac facilis, in loquendo liber licet ad adſentationem propenſior, ſocietatis amator, a voluptatibus non omnino alienus. Eius opera edita, ſunt quae ſequuntur:

Concluſiones ex Theologia & Philoſophia ſelectae.

Monitum ad Sanctam Eccleſiam Catholicam adverſus Io. Chryſoſtomum Scarfò in Venetos Ephemeridum litterariarum Scriptores debacchantem.

Epiſtola de Actis S. Creſcii ad Iuſtum Fontaninium.

Nugae Laderchianae.

Reſponſio ad Epiſtolam P. Ioannis Antonii Bernardii Ieſuitae, qui contra Venetos Ephemeridum litterariarum Scriptores calamum ſtrinxerat, & Vindicias Veterum Diplomatum a Iuſto Fontaninio editas impugnaverat.

Iudicium de Opere P. Nicolai Morterii inſcripto: Etymologiae Sacrae Graeco-Latinae.

Inedita ſunt duo ingentia volumina, quorum Tituli:

Collectanea variorum.

Scripta Capaſſiana.

VIOLANTES BEATRIX ETRVRIAE PRINCEPS.

SEquior etiam ſexus in eximiis ſtudiis, & politiori litteratura, ſua laude non caret, ut praeteriti aevi memoranda exempla demonſtrant; noſtro autem confirmat inter ceteras Herois, quae merito Μουσαγέτις adpellari queat, ſive ad patrocinium, quo liberales diſciplinas, bonaſque artes, dignata eſt; ſive ad animi cultum, & non vulgarem in Principe femina doctrinam, reſpexeris. Nata enim *Violantes Beatrix* Monachii ex auguſta illa inclitaque proſapia, quae late temporibus antiquiſſimis in Germania dominata, Vindelicos ditione tenet ac moderatur, *Ferdinandum Mariam* Bavariae Ducem, & Germani Imperii Septemvirum, & *Adelaidem* a Sabaudia, parentes praeſtantiſſimos habuit, & anno MDCLXXIII. X. Kal. Februar. in lucem prodiit. Principali inſtitutione educata ſub egregiis praeceptoribus linguas Latinam, Italicam, Gallicam, aliaſque didicit; & liberalibus diſciplinis, Philoſophiae, Hiſtoriaeque, operam dedit, ſeque poeſi ſimul, & carminibus pangendis, exercuit; & magno inde litterarum amore incenſa, eruditorum hominum conſuetudine mirifice delectata eſt. Quum ſtudiorum huiuſmodi curſum perageret, opinor, adhuc iuvencula brevem, ſed concinnum, de Coſmographia commentarium elucubravit, quem a ſe ſcriptum diligenter adſervaſſe ex eadem

ipſe intellexi, quando miram omnigenamque eruditionem, quam Princeps cultiſſima in omnibus ſuis adlocutionibus praeferebat, admiratus, vere de ea cecini:

Nam quae tam vaſto diducitur aequore tellus,
Ignotoque iacet regio ſub ſidere, ſeu quis
Aethiopas memoret nimio Phaetonte peruſtos,
Seu qui adverſa premunt pedibus veſtigia noſtris;
Quae, victrice virum fama volitante per ora,
Etruſcum ad fluvium Phoebi te ſacra ferentem
Aonio tecum deducere vertice Muſas,
Ignoret? Tibi vis prob! quantum eſt vivida mentis!
Et quanta in culto ſapientia pectore regnat!
Heinc nitida, & facili currentia carmina fluxu,
Queis decus Etruſcis addis numeroſa Camoenis.
Heinc ſcenis accedit honos, duro acta cothurno
Seu reſeras, humili ingrediens Comoedia ſocco
Seu lubet ut plenum exhilaret feſtiva theatrum.
Regali ſermone ſonans orcheſtra ſuperbit.
Quid referam vario deſcriptas limine terras,
Et maria, & ſparſis habitatas gentibus urbeis?
Quid diſtincta poli curvamina diſpare tractu
Aequa die, ac noctis dum digeris incrementa?
Nam neque te fugit, ut magnum Sol aureus orbem
Per duodena regens obliqui limitis aſtra,
Mutet nocte dies, & tempora dividat anni.
Cur Luna adverſi modo luceat aemula fratris,
Nunc curvata gerat creſcentis cornua formae.
Scis quae Telluris zonae confinia ſignent,
Diverſoſque omni populos, & ſaecla ferarum
Vivere ſub coelo, & veterum mendacia rides.
Quin & quam diſcors hominum ſententia mentes
Scindat, ne a vera longe ratione ferantur.

Dum

Dum metuunt omneis, noſti, qua lege docenteis
Sidera labantur circumvolventis Olympi:
Scilicet an medio Tellus ſubſederit axe,
Immotamque poli currant aſtra ignea circum;
Vt nitidi docuit decus immortale Lycei,
Et magnus cum qui praeiit, tum deinde ſequutus
Grex hominum. An (ſibi quod patrii caligine coeli
Diſcuſſa, purum nactus virtute ſerenum,
Obtutu viſus deprendere Cimber acuto)
Quaedam etiam medium circum vaga ſidera Solem
Emenſis tractus ſpiris ingentibus errent;
Ille regat curſus, volvenſque ſequentia ducat,
Dum Terram alterius ſtabilem pars agminis ambit.
Verius an nullo Titania ſidera motu
Sparſa polo ceſſent, certaque in ſede quieſcant,
Ni quantum, immoto veluti rota fervida in axe
Vertitur, in ſua ſe ſtando veſtigia torquent:
Stans vacuo in medio, ſimilique volumine Phoebus
Concitus, aetheriam perfundat lumine Terram,
Erronum volvenda chorum quae compleat, & nos
Inludat falſa labentis imagine coeli.
Iſta Syracoſio, ſi prima ab origine famam
Expediam repetens, Hicetae debentur, & illum
Hoc ipſo eſt mirata ſenum ſapientia, quorum
Laudibus ad coelum ſurgit ſublime Tarentum,
Et ſeris nomen populis venerabile, Locri.
Illa eadem aeterni coluit vis ſacra Platonis,
Atque is, quem divis ſimilem uolventibus annis
Viſtula Sarmaticis felix eduxit in oris.
Cuius pone ſequens veſtigia libera preſſit
Nobilis, & fama toto memorabilis aevo,
Arno addens decora & titulos Galilaeus amoeno.
Hic etiam audaci penetrans coeleſtia templa
Intuitu, patefecit iter ſtellantis Olympi

Viſibus humanis, fragilis ope molle metalli.
Hic etiam ignotos deprendit in aethere mundos,
Atque novis princeps ſtellis nova nomina fecit,
Et rerum explicuit toto miracula coelo.
Quid quod & igniferi radiantem lampada Solis
Infectis turpem maculis ferruginis atrae
Vidit, & aeternum ſtupuerunt ſaecula monſtrum?
Heu! nimium felix, tantae cui Principis aulam
Ingreſſo fatis licuit melioribus uti &c.

Violantes Beatrix igitur, quum Princeps tanta, ac tam erudita, & tam magnanima eſſet, electa fuit, quae *Ferdinando*, *Coſmae III.* F. Etruriae Principi laudatiſſimo, connubio iungeretur, & ſua praeſentia Florentiam Etruriamque bearet; id quod anno MDCLXXXVIII. ea propter auſpicatiſſimo, contigit. Ea occaſione *Benedictus Averanius*, vir diſertiſſimus, luculentiſſimam Piſis orationem de utriuſque Principis, & gentis laudibus habuit, in qua inter cetera, quum de *Maximiliano* Duce, *Violantis* fratre, verba feciſſet, & illa heic omnino inſerenda pronunciavit: *Sed, ut Maximilianus viris omnibus, ita tu, Beatrix Augusta, feminis antecellis; cuius eximia corporis pulcritudo animi pulcritudinem oſtendit, non aequat, cuius acerbam aetatem matura virtus adornat; qua dote felix & Ferdinandum virum pari praeſtantia, & tuis moribus conſentanea virtute praeditum, & Etruriam univerſam beabis.* Ab Etruriae populis igitur magno plauſu & geſtienti laetitia excepta, nihil antiquius habuit quam virtutes ſplendidiſſimas, quibus, maiorum exemplo, animum nobiliſſimum abunde

de inſtruxerat, ad omnium admirationem exſerere, & auguſtae ſuae ſtirpis decora adeo magnificenter explicare, ut cum regiis Mediceae gentis titulis & honoribus copulata, immenſa quadam luce coruſcarent. Cum *Ferdinando* igitur viro ſuo, aliiſque Mediceis Principibus de virtute, de doctrina, de munificentia, de litterarum praeſidio, laudabiliter certans, cum viris doctis adſidue converſari, opes large in eos profundere, carmina venuſta & elegantia ſcribere, comoedias componere, Poetas extemporales audire, favore dignari litteras, bonas artes iuvare, prodeſſe univerſis; quam quidem indolem admirabilem, & praedicandam virtutem, non verſibus tantum ſuperius adductis indicavi, verum etiam inſequentibus:

Vſque tamen dulceis Muſarum haec omnia curae
Excipiunt, placidamque petis per digna quietem
Otia, vel gaudens veterum cognoſcere mores,
Quos ritus colerent, qua religione paverent,
Quod belli fuerit ſtudium, & ſapientia pacis;
Vel caecas rerum cauſas, coelique meatus,
Atque hominum ratio mores quae formet honeſtos,
Enarrare iubens doctorum accita virorum
Agmina, quae melius quam circumſtantia pila
Te Dominam attonitis populis fecere verendam.
Vel lubet e ſancto tractos Helicone poetas
Audire, e quorum ſubitum quis ſubſpicit ore
Praepropero labſu, & rapido fluere agmine carmen,
Pectore dum tendunt conceptum effundere numen.
Non ita praecipiti per ſaxa ſonantia caſu
Alpibus aeriis properare volubilis humor

Cernitur, ut primum nivibus fluit unda ſolutis;
Illorum ut celeres erumpunt gutture voces,
Verbaque decurrunt facili numeroſa canore.
Heinc Phoebus te amat, & mediis tibi ſedulus arvis
Edocet agreſteis blande cantare puellas,
Vocaleſque cito percurrere pollice nervos.
Regia iamque unam ſervantem limina vidi
Auſpiciis laetam Dominae, lauruque ſuperbam.
Sic & qui Eoas iuvenis victricibus armis
Luſtravit terras, Perſaſque ſubegit, & Indos,
Conſedit medius ſapientum adſtante caterva
Saepius, atque hauſit doctas avida aure loquelas.
Sic etiam Auguſti felicia tempora curam
Eſſe ducum regumque ſacros videre poetas,
Et quos doctrinae fama exaequaverat aſtris.
Sed non te aetatis tantum memoranda vetuſtae,
Et peregrina movent Muſis exempla faventum;
Immortale genus quantum, ſtirpemque Deorum,
Cui tranſcripta nives, ſtella ut decus addita coelo,
Aemula miraris, celebres & laudibus aequas
Heroas, quorum revocatae munere Muſae
Italiam doctas iterum excoluere per artes,
Quae deinceps viſae cunctum florere per orbem.
Scilicet egregius Coſmas ſuccurrit, & altus
Laurentis, qui fama ingens, re ingentior ipſa,
Hellados incedit ſpoliis inſignis opimis,
Claram Academiam, & doctas populatus Athenas.
Succurrit Leo, qui ſacra ſuper arce Quirini
Rex late, & Divum interpres, & fautor honeſti,
Auguſta Muſas Phoebumque receperat aula.
Non ita flaventeis auro Pactolus arenas
Evolvens opibus campos undantibus auget,
Illius ut largae ſuperans opulentia dextrae
Pauperiem vatum, ſortemque levavit iniquam.

Eſt

Eſt alius Coſmas, oras qui primus Etruſcas
Imperio fraenat, titulis & honoribus auctus;
Eſt tibi iam propior magnus Fernandus, & armis,
Et pacis ſtudiis quo non praeſtantior alter;
Eſt huius frater ſacro venerabilis oſtro,
Et gnati, & gemini tanta virtute nepotes,
Quanta eſt Dis iuvenes ſimiles cenſere ſupernis,
Qui praeeant, acreiſque immenſo laudis amore
Correptae votis ſtimulos ardentibus addant.
Horum te nimium felix ſibi iunxerat alter
Foedere coniugii, ſed inexorabile fatum
Ante diem rapiens liquido tranſmiſit Olympo
Heroum exemplar, regum decus, orbis amorem.
Certa tamen ſuperant tanti ſolatia damni,
Illius nam magnum inſtar clementia coeli
Adflictis populis auguſto in fratre reliquit;
Qui patrii ſummas iuſtus moderatur habenas
Imperii, revocans Dictaei ſaecula regis.

Alias etiam artes, minores licet, *Violantes Beatrix* adamavit, & Citharoedos egregios, alioſque Muſices peritiſſimos viros apud ſe habuit; & *Dominicum Palaſutium* Florentinum in primis, quem *Thamyram* alterum, *Orpheaque* recte adpellaveris, praecipua benevolentia complexa eſt; quum eius etiam ruſticana ceteris in rebus ſimplicitate vehementer delectaretur. Vt autem, quae verſus obſcure breviterque indicarunt, apertius atque enucleatius exponamus, *Io. Baptiſtam Faſeolium* vatem feſtiviſſimum perpetuo favore proſequuta eſt non ſecus, ac alii Principes Medicei facerent; & ad eam pluria eius carmina miſſa leguntur, quae elegantiis, facetiiſque referta, venu-

nuſtiſſima iure optimo habeatur; inter quae concinnum eſt Italicum carmen anno MDCXCVI. ei miſſum, quum illa a morbo convaluiſſet, quo eius praeclaras virtutes, & humanitatem ac beneficentiam in primis, luculente diſerteque commendat. Habuit etiam apud ſe, ſuumque Theologum renunciavit, *Marcum Antonium Mozzium*, Canonicum Florentinum, cuius extemporalis cantus dulcedine mirifice capiebatur, doctrinamque variam, ac poeſin etiam maturam & tardo ſtudio perpolitam, plurimi faciebat. Quare huic ipſi mandavit, ut cognomenta quaedam elegantia & iucunda, quibus nonnullas virgines matronaſque nobiles Florentinas diſtinxerat ſimul & honeſtaverat, epigrammatis totidem Italicis celebraret; quod quidem ille adpoſite, concinne, ſuaviter, & tanta cum ipſius ornatiſſimae Principis adprobatione exſequutus eſt, ut haec anno eodem MDCCV. omnia illa carmina typis excudi vulgarique curaverit. Sed & *Alexandrum Ghivizanium* Poetam extemporalem, facetiis ſalibuſque adfluentem, & incredibili admirandaque cantus facilitate praeſtantem, vehementer probavit; accerſebatque ad ſe frequenter, iucunda eius feſtivaque conſuetudine gaudens. Tamdem, quum anno MDCCXIII. *Ferdinandus* Princeps, eius vir, immaturo fato raptus fuiſſet, *Coſmas* III. ſocer eam digno honore, Mediceis Principibus conferri ſolito, adficere volens, non multo poſt, anno videlicet MDCCXVII. Senam Praeſidem miſit, ut urbem ditionemque illam ſuo nomine procuraret. Illuc igitur profecta, multis communis

lae-

laetitiae ſignificationibus a civibus illis excipitur; dumque ibi moratur viros illius civitatis eruditos probavit; & *Hubertum Benevolentium* in primis, atque *Hieronymum Lilium*, acerrimo ingenio, & litteratura mirabili famigeratum, pro merito commendavit; *Bernardinumque Perfectium* Equitem, Poetarum omnium, quotquot fuerunt, extemporalium facile principem, ſeu verſuum elegantiam concinnam, ſeu facilem beatamque dicendi copiam, ſeu eruditionem omnigenam, & ſententiarum gravitatem conſideres, propius cognoſcendi & honoribus augendi occaſionem nacta eſt. Illum enim poſtea benigne ſemper reſpexit, & benevolentia praecipua complexa eſt; admirandumque Vindelicis Principibus, *Maximiliani* Ducis, fratris ſui, filiis, propoſuit; qui quidem adeo eius nobilem felicemque cantum ſubſpexere, ut in Germaniam reverſi illum ad ſe advocaverint, quo, ſpectaculum neſcio, an miraculum inſolitum, ſuae gentis hominibus exhiberent; quem pretioſa gemma, cantus praemio, donatum, magnoque honore adfectum in Italiam deinde remiſerunt. Quum itaque cantu huiuſmodi extemporali vehementer caperetur *Violantes*, Senenſem quoque agriçolam, huiuſmodi extemporalitate cenſendum, audire voluit, auditumque laudavit, ac deinceps advocavit ſaepius, adfecit beneficiis, & in comitatu interdum habuit. Non diſſimili indulgentia ac benignitate, quum Sena iam Florentiam reverſa eſſet, & ruſticam quamdam puellam, *Dominicam* nomine, in ſuburbano Floren-

rentiae agro commorantem, mirabili carmina fundendi facultate, licet incultam, litterarumque omnium rudem, utpote quae uni agriculturae pro ſua conditione vacaverat, praeſtare reſciviſſet; eam canentem audiendi cupido Principem ſtatim inceſſit, eiuſque fuſa ac improviſa carmina adeo una cum tota regia ſua familia admirata eſt, ut illico ab agricultura ruſticiſque operibus avocatam inter ſuas cubicularias ancillas cooptaverit; & inopem & cum egeſtate luctantem puellam inſperata ſorte beans, litteras inſuper docendam, & vocalia organa pulſandi peritia inſtruendam curaverit. At *Coſmae* III. Magno Duci anno MDCCXXIII. vita functo iam *Ioannes Gaſto* filius in imperio ſucceſſerat, qui non minus quam eam *Coſmas* ſocer nurum, *Violantem* glorem diligebat; quare haec indolem ſuam munificam, geniumque nobilem vehementius excitans huiuſmodi auſpiciis laeta Muſis amplius favere, atque honoribus & beneficiis cumulare deliberavit. Hinc anno MDCCXXVI. feriarum eſurialium tempore *Apathiſtarum* coetum, cui per ea tempora *Andreas Borbonius*, e *Montis Sanctae Mariae* Dynaſtis, praeerat, in regiis aedibus convocare inſtituit, varioſque ibidem huiuſmodi conventus celebravit, in quibus & diſertas orationes, & elegantia carmina, cum ante meditata, tum extemporalia, & quidem Latine atque Italice, viri culti & pereruditi recitaverunt. In hiſce conventibus iuvenes quoſdam internoſcendi melius, commendandique, Principi eruditiſſimae occaſio data eſt, quos

deinde

deinde praecipue probavit, & apud ſe habuit; interque eos fuere *Franciſcus Guidius*, Viculenſis ax agro Mucellano, carminum extemporalitate praecellens, tabe deinde in ipſa prope adoleſcentia conſumtus; & ipſe horum memorabilium ſcriptor, qui incredibilem Principis beneficentiam, quoad vixit, expertus ſum. Illud autem in his coetibus mirabile fuit, quod Sibyllae oracula (ludi eruditi id genus eſt) *Iacobus Antonius Lucchesius* extemporalibus verſibus interpretatus eſt; carmina vero, quae *Io. Baptiſta Faſeolius* ea occaſione recitavit, inter alia ſua Poemata typis excuſa leguntur. Sed ante iam, praecedenti anno, qui Iubilaeus apud Orthodoxos vocatur, *Violantes*, inſita religione mota, Romam ſe conferre animum induxerat, ut non tam ſuae adverſus Deum pietatis ſingularis, quam eruditionis, & in litteras bonaſque artes proclivitatis, ſpecimina luculenta praeberet. Nam in ſuo numeroſo comitatu ruſticanam illam puellam *Dominicam* etiam voluit; & paullo poſt *Bernardinum Perfectium* Romam accivit: illaque inter *Arcades*, quos vocant, *Florae* nomine adſumto, cooptata eſt, ita ſui extemporalis cantus praemium accipiens; hic vero ſolenni celebritate, & ingenti omnium ordinum concurſu, *Benedicti* XIII. Pont. Max. iuſſu, in Capitolio a Romano Senatore III. Id. Maias laurea donatus eſt, quum per tres praecedentes dies, ſuper quocumque argumento propoſito copioſe, facile, concinne, erudite, mirabiliterque cantaſſet: quos quidem illi honores Muſagetidos Principis favori ac bene-

benevolentiae acceptos merito retulerunt. Iſthuc ipſum indicavit in eleganti carmine, quo huiuſmodi actum celebrat, *Michael Ioſephus Moreus*, illis verſibus *ἀλληγορικῶς* deductis:

Adſuit occulto regalis femina facto,
Praeſentique adeo firmavit numine plantam,
Vt cito prodierit, citiuſque adoleverit, & iam
Frondibus ornetur, vetereſque imitetur honores.

Ad lauream, qua *Franc. Petrarca* redimitus fuit, adludens; poſt quem primus omnium *Perfectius* parem honorem in Romano Capitolio retulit. *Antonius Franciſcus Felicius* quoque in altero Epigrammatum, quibus *Perfectium* laudavit, cecinit:

Adde quod inſignem meruiſſe iubente coronam
Principe, & Elmira praeſide habere decus;
Et meruiſſe ſimul Latio donante Senatu,
Iudice & Arcadia, grande volumen erit.

Sciendum enim eſt praeſtantiſſimam Principem *Violantem* Arcadum coetui adſcriptam fuiſſe, & *Elmirae* nomine adpellari, morem coetus ſequutam, voluiſſe. In hac autem eadem urbe verſans, quum a piis, quae religio praeſcribit, operibus ceſſaret, tempus illud vacuum Romanis eruditis antiquitatibus contemplandis intelligendiſque ſedulo & laudabiliter inſumebat; quumque *Liviae Auguſtae* columbarium per id tempus terra alte effoſſa detectum fuiſſet, illud luſtratura una cum viro eruditiſſimo *Franciſco Blanchinio* acceſſit; qui

quum

quum in illud deſcendere invita ac diſſuadente Principe, voluiſſet, ſubito labſu cecidit in profundum, unde fracta coxendice eductus fuit, non ſine magno *Violantis* dolore, ut mihi ipſa narrabat. Quum vero illa virorum eruditorum, & Poetarum in primis, decus & praeſidium eſſet, nil mirum ſi *Franciſcus Teglia*, vates cultiſſimus Florentinus, illam *Violantis* Romam profectionem ode venuſtiſſima decantavit, quam & chalcographico opere deſcriptam publici iuris fecit; quemadmodum & aliam, qua de proſpera Florentiam reverſione ei gratulatus eſt. At redierat iam Roma *Violantes*, & *Apathiſtarum* conventus in ſuis aedibus inaudito & memorando exemplo celebraverat, quum anno MDCCXXVI. *Franciſcus Blanchinius* laudatus Florentiam venit, & a *Violante* multis benevolentiae ſignificationibus excipitur. Anno vero inſequenti *Clemens Auguſtus* a Bavaria, Colonienſis Archiepiſcopus, & Germani Imperii Septemvir, ſacro Epiſcopatus ordini ab ipſo Pontifice Maximo initiandus, Viterbium ſe conferens Florentia tranſivit, & ab amita Principe in ſuburbana *Lappegii* villa magnificenter exceptus eſt, ubi & aliquot dies ſubſtitit, omni honorum, & oblectamentorum genere a Principe munificentiſſima detentus, venatione, ludis, choreis, comoediis extemporalibus, ambulationibus; quibus ſi forte coeli intemperies obſtitiſſet, aliquot eruditos viros Florentia accerſiverat, qui cantu, adloquiis doctis, & aliis praeſtantis ingenii foetibus, Antiſtitem illum voluptate ho-

ne-

neſtiſſima adficerent. Conſueverat enim eruditiſſima Princeps, ubi exterum aliquem ſummatem virum exciperet, & honorare omnimodis vellet, ea in primis voluptate, quae ex doctis iucundiſque eruditorum hominum colloquiis, orationibus, cantibus exſiſtit, laudatiſſime perfundere, ac detinere; quum mihi non ſemel teſtata ſit, nihil ſibi inſulſius & faſtidioſius uſuvenire quam muliebribus nugis, futilibuſque & ridiculariis ſermonibus tempus terendo vitam tranſigere, id quod pleraſque nobiles matronas perſtringens, recte ſapienterque pronunciabat. Et quando Comoediarum meminimus, tempeſtivum heic fuerit adnotare, *Violantem* adeo fabulis huiuſmodi delectatam fuiſſe, ut eas non audire & ſpectare tantum, verum etiam ſcribere, & quidem eleganter, voluerit, ut omnes norunt; & ipſa quoque mihi narrabat, facetum atque acre *Antonii Magliabechii* dictum referens, quum fabulae a *Violante* ſcriptae, atque actae intereſſet, & an eam probaret a *Coſma* Magno Duce interrogatus fuiſſet; non malam ſcilicet & omnino ſpernendam eſſe fabulam, *Magliabechium* reſpondiſſe, licet feminam auctorem haberet; quum mordax de more cenſor debitae tantis Principibus reverentiae rationem nullam habuiſſet. Quin hic ipſe *Magliabechius*, eadem Principe mihi adteſtante, eam ad illius domum ſe conferre volentem, excepturum, audacter an impudenter, abnuit, quum ſuorum librorum numero ab ea timere dicere non vereretur: id tamen quod ſatis indicat, illam ſtudioſam admodum

dum fuiſſe, & libros ſaepe habuiſſe prae manibus, ac lectitaſſe; quare non pauci viri docti ſuas eruditas commentationes ei conſecrarunt, ut *Ant. Maria Salvinius* ſuarum Diſſertationum volumen; & *Nicolaus Gualterius*, qui anno MDCCXXV. de fontium origine libellum ei nuncupavit; atquae haec in praemium ſuum Medicum illum declaravit, quum ei adverſus *Antonium Valliſnerium* de fontium origine amplius ſcribere, concordiae & pacis amore, prohibuiſſet. Hunc autem ſemper benigne reſpexerat, non eius Medica tantum, ſed & Poetica facultate delectata, hominem profecto laudatum, & in praeſens de marinarum concharum multiplici varietate & natura erudite diligenterque commentantem. *Ludovicus* quoque *Lilius*, *Hieronymi F.* quum anno MDCCXXIII. primam Diarii Senenſis, operis a Patre, anno praecedente vita functo, compoſiti partem edidiſſet, eam *Violanti* Principi dedicavit; ut nihil dicam de narratione celebritatis, in qua *Perfectius* laurea in Capitolio coronatus fuit, ab *Io. Mario Creſcimbenio* ſcripta, & *Violanti* dicata. Sed & *Ant. Franc. Gorius*, anno MDCCXXVI. primam Inſcriptionum, quae in Etruria ſunt, partem eidem nuncupavit, quem ideo multa benevolentia ſemper proſequuta eſt. Ipſe quoque meam, quam anno MDCCXXX. publici iuris feci, *De recta Patrum Nicaenorum fide* Diſſertationem, non alio quam glorioſo *Violantis* nomine inſigniri volui; cui carmen prolixum, epiſtolae loco, praefixi, ex quo verſus ſuperius productos extraxi, & in quo pa-

pariter Archiepiſcopi Colonienſis Florentiam adventum ita deſcripſeram.

Quid choreas, cantuſque, loquar, ſpectacula, ludos,
Quaeque feras agitet totis venatio ſilvis?
Subiectos linquens Vbios, & pinguia culta,
Quae rapidus magno diſtinguit flumine Rhenus,
Venerat Etruſcas ingens delatus in oras
Filius ingentis patris, quem nexibus arctis
Proxima fraterno tibi ducta a ſanguine origo
Iungebat: Rex idem hominum, Chriſtique Sacerdos.
Vix ille hoſpitio, tectiſque receptus in amplis
Te laetam occurſu fecit, caroque beavit
Adſpectu, ut facie deinceps meliore ſereni
Illuxere dies, dulcemque habuere tenorem!
Tum populum ingentem foribus domus alta ſuperbis
Excipiens prope vicinam vacuaverat urbem,
Et turba late fervebant arva frequenti.
Vna etenim cunctos cepit ſpectare cupido
Regificum luxum, immenſo convivia ſumtu
Inſtructa, inſigneis vario certamine ludos,
Et plauſu, & feſtis reſonas concentibus aedes,
Quum facibus nox victa choros agitare iuberet.
Tum lecti iuvenes, & avis ataviſque potentes,
Nec ſibi praeviſam magnis egere theatris
Fabulam, & adplaudens caveae conſeſſus in illis
Vim promtam ingenii, geſtuſque, & verba probavit.
Tum longa incluſas vaſtas indagine ſilvas
Vidimus, & circumductis diſcurrere ſeptis,
Effugiumque feras fruſtra ſibi quaerere ſaltu.
Glandibus ardentis in morem fulminis actis
Plumbeis (proh! quanta eſt animis audacia noſtris

Dum

Dum flammas Iovis, & ſonitus imitamur Olympi)
Exanima interea ſternuntur corpora paſſim,
Dente timendus Aper, ramoſaque cornua Cervus
Arduus, & trepido traſmittens aequora curſu
Dama, atque incaſſum Capreae dictamna ſequentes.
Per te etiam aptantem niveis tormenta lacertis
Fuſus humi cadit ignitis Aper ictibus, inde
Conſonat omne nemus circum, magnoque reſultant
Murmure pulſati colles, coelumque remugit.

Antequam vero Princeps ille Florentiam adveniret, *Benedictus* XIII. Pont. Max. hoc eodem anno *Violantem* Roſa aurea donaverat, quam ei Marchio *de Bubalo*, Pontificius Legatus, adtulit; & quam ſolenni pompa, & multis laetitiae argumentis, in templo *Sanctae Mariae Novellae* accepit, & in Palatium tranſtulit; cuius celebritatis deſcriptionem *Marcus Antonius Mozzius* exaravit, & publici iuris fecit. Diſcedentem vero Florentia Colonienſem Archiepiſcopum *Violantes* ſequuta eſt, Viterbiumque profecta, ut eius conſecrationi intereſſet; ac deinde Romam cum eo contendit, & Neapolim uſque; perque omnes illas urbes *Dominicam* puellam comitem ſecum adduxit, quae paſſim ſuae in cantu facilitatis & elegantiae ſpecimina cum ipſius Principis laude & commendatione praebebat. Ex hoc itinere Florentiam reverſa, quum a Muſarum dilectarum amplexibus divelli non poſſet, ſolita poetarum & verſificatorum, eruditorumque hominum, exercitia in regiis aedibus inſtauravit; tumque contigit, ut *Iacobus Martinengus* Placentinus coram *Violante*, aliiſ-

que Principibus ad cantum extemporalem cum *Alexandro Ghivizanio* certaturus adgredi minime veritus ſit, antagoniſtae feſtiviſſimo facile conceſſurus; quum poſt pauculos quoſdam verſus iactantiae plenos ſtatim obmutuerit, *Ghivizanio* ei ſuis ſalibus & facetiis os obſtruente, animumque turbante: id quod *Martinengum* indignantem aegreque ferentem pudore perpetuo notavit, & in auditoribus riſum cachinnoſque excitavit. Deinde Etruriam peragrandi, ut alias fecerat, variaſque urbes, oppida, ac villas, iterum luſtrandi cupido *Violantem* inceſſit, ut Piſas, Pontem Herae, Ambroſianam, Bellum viſum, non tam animi remittendi gratia, & ruſticationis voluptates ſectandi, quam ſaluti, & bonae corporis valetudini, conſulendi. Et quum in villam quidem Ambroſianam primum ſeceſſiſſet, Muſaeorum leporum ac venerum memor, & Sena agricolam verſificatorem memoratum, & Florentia vates alios, litteriſque excultos homines evocavit, qui omnes eam doctis & iucundiſſimis exercitationibus oblectarent. In Bello viſu autem, (haec *Ferroniorum* Marchionum ampla & magnifica villa eſt) eruditorum accolarum coetum gratanter admiſit, eoſque carmina varia in eius laudem deducta, & elegantes orationes recitantes, benigne lubenterque audivit. Piſis vero ſubſiſtens, Athenei illius Profeſſores, & patricios, equeſtriſque ordinis viros, nullo diſcrimine habuit, ut quanti ſcientiam, diſciplinas, nobileſque artes faceret, memorabili documento demonſtraret. Sed iam

annus

annus MDCCXXX. vertebat, & *Violantes* vires corporis infirmiores, valetudinemque minus proſpere cedere ſentiens, Florentiam menſe Octobri ſe recepit, ubi menſe Maio anni inſequentis magno cum omnium luctu ac moerore Princeps optima & laudatiſſima obiit. Cadaver in D. *Thereſiae* parthenonem elatum ac ſepultum eſt; cor in *Ferdinandi* viri tumulum, quod ſupremo elogio caverat, in D. *Laurentii*, ubi Principum Mediceorum ſepulcretum, illatum fuit. Inſcriptio a V. Cl. *Ant. Franc. Gorio* compoſita, aere inciſa, & cum cadavere condita, eſt quae ſequitur:

VIOLANTES BEATRIX VINDELICORVM ET ETRVRIAE PRINCEPS MAGNA. SENENSIS DITIONIS GVBERNATRIX OPTIMA. AVITA REGVM ET IMPERATORVM MAIESTATE VIRTVTIBVS EORVM OMNIBVS CVMVLATE IN SE EXPRESSIS CLARISSIMA. FERDINANDI VINDELICORVM DVCIS ET SACRI ROMANI IMPERII VII. VIRI EX ADELAIDE E REGIA SABAVDIAE DOMO FILIA INCLITA. MAXIMILIANI CHRISTIANAE REI PVBLICAE ADSERTORIS INVICTI SOROR PIISSIMA. MAXIMORVM REGVM LVDOVICI XV. GALLIARVM CHRISTIANISSIMI ET PHILIPPI V. HISPANIARVM CATHOLICI QVI EAM IN ETRVRIA INVISENS OMNIBVS BENEVOLENTIAE OFFICIIS COMPLEXVS EST PRINCIPVM DENIQVE POTENTISSIMORVM AMITA AVGVSTA. FERDINANDI ETRVRIAE MAGNI PRINCIPIS COSMI III. MAGNI DVCIS

K 2 FILII

FILII IOANNIS GASTONIS I. FELICITER REGNANTIS ET SERENISSIMAE ANNAE MARIAE ALOYSIAE ELECTRICIS PALATINAE FRATRIS VXOR IN EXEMPLVM RARISSIMA. EO SEPTEMDECIM ANNORVM SPATIO ORBATA SVMMA IN ADVERSIS CONSTANTIA PIETATE IN DEVM EXCELLVIT SINGVLARI. A SVMMO PONTIFICE SPECTANTE ROMA QVAM BIS LVSTRAVIT EXIMIIS LAVDIBVS SACRISQVE DONIS ORNATA. OBVIA IN OMNES HVMANITATE AC BENEFICENTIA ADSIDVO STVDIO IN OPTIMIS ARTIBVS COLENDIS FOVENDISQVE OMNIVM AMOREM OMNIVM. TANDEM LACRIMAS ACERBISSIMAS IMMATVRO INTERITV CONSECVTA EST. OBIIT III. KALENDAS IVNIAS ANNO MDCCXXXI. VIXIT ANNIS LVIII. MENSIBVS IV. DIEBVS VII. IN HOC LOCO RELIGIONE ET INSIGNIBVS EIVS VIRTVTVM EXEMPLIS CLARO TESTAMENTO CONDI IMPERAVIT.

Alia eiuſdem auctoris inſcriptio cum corde defoſſa ita habet:

VIOLANTES BEATRIX VINDELICORVM ET ETRVRIAE PRINCEPS MAGNA PIA CLEMENS AVGVSTA FERDINANDI ETRVRIAE PRINCIPIS CELSISSIMI CONIVNX AMANTISSIMA AETERNVM AMORIS ET CONCORDIAE PIGNVS REGIVM COR SVVM VIRTVTVM OMNIVM CAPAX IN REGIIS NVPTIIS EI DONO DATVM POST MORTEM

EIDEM

EIDEM REDDI ET IN EIVS SEPVLCRO CONLOCARI TESTAMENTO IVSSIT QVOD FACTVM EST TERTIO POST OBITVM DIE KAL. IVNIIS ANNO MDCCXXXI.

HIERONYMVS LILIVS.

Apte quidem & congruenter, poſtquam de Principe Senae Praeſide egimus, de viro Senenſi loquemur, qui ſua doctrina & eruditione, eius benevolentiam & adprobationem meruit, ut in ſuperiori vita tempeſtive indicavimus. Eſt hic *Hieronymus Lilius*, *Ioſepho Nencio*, & *Petra Fationia*, honeſtis parentibus, Senae anno MDCLX. natus; *Lilius* autem, non *Nencius* adpellatus eſt, quod anno MDCLXXIV. ab *Hieronymo Lilio*, *Franciſcae Nenciae* eius amitae viro, adoptatus fuerit, & in eius familiam tranſierit; & latiſundio in Monteſpeculo ab *Hieronymo* adoptante ea conditione donatus, ut gentis *Nenciae* nomine, inſignibuſque depoſitis, *Liliae* inſignia & nomen adſumeret. Qua die *Hieronymus* adoptatus eſt cum *Laurentia Stephani Perfectii* F. ſponſalia contraxit, & anno inſequenti uxorem duxit, ex qua undecim filios, ſex quidem mares, quinque autem femellas, diverſis temporibus ſuſtulit. Horum primus anno MDCLXXVI. natus eſt, & ſeptennis occubuit. Secundus, cui *Germanico* nomen eſt, & qui Ieſuita adhuc vivit, ortus eſt anno MDCLXXVIII. Alii quoque naturae conceſſerunt praeter tres maſculos, quorum unus Eccleſiae Provenzani Canoni-

nonicus eſt, & reliqui duo inter primarios quorumdam Cardinalium familiares nobile ſervitium ſerviunt; & feminam unam, quae in gentem *Borgheſiam* iure matrimonii translata fuit. Hiſce autem praelibatis, ut *Hieronymi* inſtitutionem repetamus, hic mente vivida, alacrique ingenio, quales Sena homines fere producit, ſub piis doctiſque praeceptoribus, & Ieſuitis in primis, litteris & diſciplinis operam ita dedit, ut omnium Philoſophiae partium, Aſtronomiae, Muſices, Architectonices, Hiſtoriae, & Agriculturae peritus evaſerit. Nam patris veſtigiis inſtitiſſe videtur, qui litteris etiam excultus libellum de Agricultura conſcripſit, typiſque vulgavit; aliumque de Oeconomia concinnavit, cuius praecepta novit magis, quam prudens cautuſque ſervavit. Etſi vero *Hieronymus*, certis de cauſſis, ad ſcholas frequenter adſidueque accedere non poſſet, tanta fuit eius animi perſpicientia, ſenſuſque promtus ac vegetus, ut plus ille uno die, quam alii longo tempore, in ſtudio & ſcientiae comprehenſione proficeret. Hinc cogitabundus uſque erat, & animo vel in diſciplinis ſecum retractandis, vel in carminibus, ad quae natus videbatur, ex tempore pangendis defixo, adeo ut vix neceſſaria curaret, & quae ſibi occurrebant prae animi a rebus obviis & conſuetis alienatione animadverteret. Et quidem quocumque Poeſeos genere excelluit, ſeu gravem & Philoſophicam, ſeu ludicram, ſeu ſatiricam, ſeu Comicam velis; & ut ob ſeriam ac gravem commendatus fuit, ita ſatirica & ludicra

aemu-

aemulis ſuis atque inimicis terrorem incuſſit. Mirus enim & inſolitus fuit eius lepor, & urbanitas; omnigenaſque elegantias, & ſales feſtiviſſimos, in ſua carmina, ſermoneſque ita coniiciebat, ut facetiis diſtincta & hilarata ad ſolutos riſu auditores eius dicacitas amarulenta perveniret. Quum itaque uxorem duxiſſet, ut diximus, liberoſque ſubſtuliſſet, omnem curam & nervos intendit, ut filios ſuos liberaliter ingenueque educaret, & eorum mores pietate ac virtute formaret. Nam duos, ut politioribus litteris, & doctrinis erudirentur, in Collegio *Ptolemaeio*; duos alios in Archiepiſcopali, in patria primum, deinde Romae in Collegio Romano, nullis impenſis parcens, collocavit; filiam vero in praecipuo urbis parthenone inſtituendam ſanctimonialibus tradidit. Quo vero familiae ſuae ſplendori ornamentoque conſuleret, anno MDCLXXXIII. in patriciarum familiarum album eam referri a Senenſi Senatu impetravit. Nec mirum, ſi *Hieronymus* tantam liberorum ſuorum curam habuit, quum quorumcumque etiam adoleſcentium progreſſus ei cordi eſſent, omneſque indiſcriminatim erudire, formare, promovere ſatageret; atque huiuſmodi negotiis, quum a ſtudio ſcribendoque ceſſaret, adſidue occupabatur; quum otii eſſet inimiciſſimus, & ludos, amores, femineos conventus, & maleferiatorum hominum colloquia, vehementer averſaretur. Et adeo quidem in adoleſcentium inſtitutione exactus ac ſolicitus fuit, ut ſi quando minus ipſe erudire poſſet, ad viros doctos eos mitteret, il-

liſque commendaret; cuius rei fama percrebreſcens effecit, ut quoſdam eruditos iuvenes *Coſmas* III. Magnus Etruriae Dux ab eo peteret: & nonniſi *Lilii* curae & benevolentiae debetur, quod *Franciſcus Bernardius* Senenſis abſoluta muſices cognitione praeſtiterit, & famigeratus evaſerit. Anno MDCLXXXV. *Genovefa*, prima eius fabula, in Collegio *Ptolemaeio* acta eſt; biennio vero poſt *Ludovicus Pius*, alia fabula eodem in loco; ubi anno MDCLXXXIX. data eſt etiam illa, quae *Fides in proditionibus* inſcripta fuit. Anno autem MDCLXXXXI. adprobationem & plauſum meruit fabula, cui titulum fecit, *Amor laurea magiſtrali inſignitus*; multaſque alias compoſuit, quarum pars formis deſcripta in vulgus prodita eſt; pars autem manu tantum exarata adſervatur; & quarum quidem plures ludicrae ſunt, facetae, ac ſatiricae, & quae mordaci dicacitate antiquis Atellanis nihil concedant, in primis vero *Litigantes*; *Inſanus unus alium curat*; *Dominus Pilo*; *Pilonzina*, & *Sororcula*; quibus quidem mali civitatis mores carpuntur paſſim ac caſtigantur, & hypocritae Plautino ſale perfricti feſtiviſſime traducuntur. Silentio vero praetereundum non eſt fabulam illam, quae *Dominus Pilo* inſcribitur, proſa oratione ſcriptam, ipſum *Hieronymum* cum aliis Senenſibus maturae aetatis patriciis viris, vivido ingenio, & faceto lepidoque ſermone praeſtantibus, in theatro egiſſe, riſumque in ſpectatoribus incredibilem excitaſſe, dum hypocritae atque impoſtores interea vapulantes alte dolerent, eo ipſo anno, quo filius eius *Germa-*

nicus

nicus una cum aliis quatuor nobilibus iuvenibus, ludis Bacchanalium praefectus a Senatu renunciatus fuit. Anno MDCLXXXXIII. *Hieronymus* a *Zagarolae* Duciſſa Romam accerſitus, *Amorem inter impoſſibilia* comoediam ſcripſit; quae in principis illius feminae aedibus acta, & ab omnibus laudata fuit; meruitque ea *Lilius* ut per plures menſes a matrona illa magno cum honore detineretur; donec in patriam reverſus, anno MDCIIC. amiſſis parentibus, a *Coſma* III. Magno Etruriae Duce magiſterii inſignibus decoratus eſt, & linguae Tuſcanicae profeſſor in Collegio *Ptolemaeio*, humaniorum autem litterarum in Senenſi Atheneo, creatus; quo quidem in munere obeundo tantam de ſe opinionem excitavit, ut numeroſam adoleſcentium multitudinem ad ſuas praelectiones audiendas attraheret. Maius autem opus movit anno MDCCVI. quum novam operum D. *Catharinae* Senenſis editionem ad MSS. Codices exactam, caſtigatam, locupletatamque adornare ſuſcepiſſet; & vitam quidem illius a B. *Raimundo* ſcriptam e Latino Sermone ad Italicas aures a *Bernardino Peccio* transferendam curavit, atque uno volumine comprehendit; altero coeleſtiſſimae illius Virginis Dialogum; epiſtolas vero in duos tomos diſtributas eruditis adnotationibus a Ieſuita *Friderico Burlamachio*, Geographiae in Senenſi gymnaſio Profeſſore, conſcriptis inſtruxit, explicavitque; quo quidem labore *Lilius* Divae illius popularis ſuae nomen & virtutem auguſtiorem celebrioremque reddidit. Illud autem hac occaſione memorabile contigit, quod, quum cu-

cucullati quidam apud *Coſmam* Principem de *Lilio* queſti eſſent, utpote qui eos in fabula D. *Pilonae* docenda non verbis tantum, & toto comoediae contextu, ſed habitu etiam ipſo geſtuque, perſtringere traducereque credebatur; & *Coſmas* hominum ſibi probatiſſimorum querimonia commotus, *Lilium* Florentiam facti rationem redditurum advenire iuſſiſſet; ubi primum ad Principis ſubirati colloquium admiſſus eſt, obedientiam ſuam paucis praefatus, multaque ſtatim callidus de D. *Catharinae* operum editione iam abſolvenda ſubnectens, Principem pientiſſimum in paratae reprehenſionis oblivionem adduxit, & chartam, quae editioni illi perficiendae ſufficeret, ſibi munificenter largiri perſuaſit. Et *Lilius* quidem praecipuus fuit divinae in illa Virgine virtutis venerator, eiuſque cultum omnimodis promovit & ampliavit, multas rerum ab ea praeclare geſtarum, oblivione prope ſepultas, in memoriam iterum revocans; & ut *Ieſu* crucifixi imago, quae quinque plagarum ſtigmata *Catharinae* impreſſiſſe vulgo creditur, cryſtallina theca cuſtodiretur; eiuſdemque imagini ſacrum templum marmoribus tegeretur, ornareturque picturis, pie & laudabiliter curans. Quin in D. *Dominici* coenobio, acta eius Apotheoſeos, operumque autographa digeſſit, atque in ordinem exactiorem luculentioremque redegit; quare meruit ut ſecundum obitum a Senenſi ſodalitate, quae ſub D. *Catharinae* nomine, & patrocinio conſiſtit; carminibus elegantibus eius laudes celebrarentur, hoc inſuper elogio propoſito:

HIE-

HIERONYMO GIGLI NOBILI CIVI SENENSI PATRIAE AMANTISSIMO POETAE EXIMIO DE HISTORIA PHILOSOPHIA DE MORIBVS PATRIA OPTIME MERITO OB SERAPHICAE CATHARINAE SENENSIS GESTA SCRIPTAQVE ILLVSTRATA, CVLTVMQVE AMPLIFICATVM SOCIETAS EIVSDEM SANCTAE VIRGINIS APVD FONTEM BLANDVM CONSTITVTA SODALI SVO B. M. IVSTA PERSOLVIT.

Quum igitur patriae ſuae laudes & gloriam ſplendidiores efficere vehementer deſideraret, multo labore, ſtudio, ac diſpendio notitias omnes hiſtoricas viginti annorum ſpatio diligentiſſime perſequutus eſt, e quibus deinde *Diarium* illud *Senenſe* concinnavit, in quo iuxta Calendarii ordinem Senenſem hiſtoriam, Divorumque Senenſium acta, & quidem plerumque minus obvia, ſedulo curioſeque digeſſit; quodque contractius primum anno MDCCXXII. ſingulari volumine, auctore vivente, editum eſt; diffuſius vero, & duobus iuſtae molis voluminibus comprehenſum, poſtumum poſt auctoris fata prodiit, anno MDCCXXIII. ut in *Violantis* Principis vita iam diximus. Inſuper, quum patriam ſuam ita amaret, eius quoque gaudia, laetitiam, & feſtas celebritates fovit, auxit, ampliavit; & orationibus, carminibus, fabulis, Atellanarum exodiis, litterariis ſpectaculis, & oblectamentis honeſtiſſimis, civium animos exhilaravit adſidue, & gentes exteras harum rerum fama permotas Senam attraxit, & non ſine ma-

gna civitatis utilitate detinuit. Non Senae vero tantum huiuſmodi *Lilii* commentationes probabantur; verum etiam Romae laudem, ut innuimus, referebant; ubi inſuper anno MDCCII. *Horatius* tragoedia acta eſt. Biennio autem poſt huiuſmodi fabulae in unum volumen collectae Venetiis prodierunt; quemadmodum in alterum volumen anno MDCCVIII. Patriae tamen amor ardentior & concitatior *Hieronymum* in litterariam concertationem cum Florentinis adduxit & impulit, Senenſem dialectum Florentinae praeferentem, & velis remiſque extollere, eique primas tribuere, contendentem. Vetus enim inter Florentinos Senenſeſque controverſia agitatur, utrorum ſit lingua purior, comtior, venuſtior, caſtigatior; ſive voces, ſive pronunciationem ſpectes: utrique enim palmam ſibi deberi arbitrantur, & pro virili decertant. Ideo mirari non ſubit ſi Senenſis auctor Sermonum, qui ſub ficto *L. Sectani* nomine circumferuntur, in Florentinorum Academicorum, ut vocant, coetum caſtigatae Tuſcanicae linguae arbitrum, & moderatorem, verſibus illis invectus fuerit:

Siqua tibi Italice ſcribenda eſt concio, non eſt
Cur ſis ſolicitus de corpore, luminibuſque;
Et numero, & nervis, atque ordine: ſumma laboris.
Haec ſibi erit, paſſim ut glomerentur nomine in uno
Tres ſaltem voces, ſed frivolae idemque ſonantes.
Queis veluti tunicis caſuros arceat imbres;
Sem-

Semper & extremo reſpiret pagina verbo.
Hoc ſatis, ut vetulum dicaris habere ſaporem
Felicis venae &c.

Hic itaque concinuit *Hieronymo Lilio*, qui quum anno MDCCXVII. *Dictionarium Catharinianum*, hoc eſt, *dictionum*, *quae in D. Catharinae Senenſis operibus occurrunt*, *Lexicon* Romae typis vulgare adgreſſus fuiſſet, multas urbanitates, ſalſaque ſcommata, in illud ſparſim coniecit, quibus Florentinos Academicos, & eorum in caſtiganda Italica lingua laudabile ſtudium paullo indignius traducebat; quare Romani Cenſores illud abſolvi probibuerunt, & Florentini *Lilium* ex Academicorum *Furfureorum* albo eraſerunt, librumque illum a Sereniſſimo Principe flammis aboleri decretum eſt. Quin, quum in illo nec debitae ſuo Principi reverentiae rationem habuiſſet, temerarium auſum Princeps indignatus, *Lilium* iam Romae commorantem exſilio a patria, & Florentina ditione multavit; donec anno MDCCXXI. *Violante* Principe irati Monarchae animum leniente, & ut *Lilius* patriae reſtitueretur orante, reditus illi conceſſus eſt; quamquam falluntur, qui *Alamanni Salviati*, deinde Cardinalis, ſuaſu Academicos a furfure nuncupatos, illatae iniuriae oblitos nomen eius iterum in ſociorum album retuliſſe, credunt. At non illo opere tantum aliquale Florentinorum in ſe odium *Lilius* concitavit, ſed alias quoque commentationes edidit; quibus ſuam in illos animoſitatem in propatulo collocavit, ut dialecti Senenſis vindicias, & ſyn-

ſyngramma ſeu catalogum Senenſium, qui Italice caſtigateque ſcripſerunt, e quorum libris voces optimae notae excerpi poſſunt ad Senenſe lexicon concinnandum: quae quidem omnia φιλοπατρίας argumenta deprehenduntur. Illud quidem opus *Lilius* compoſuit, ut diximus, Romae, quo anno MDCCVIII. accerſitus fuerat a viris principibus *Ruſpolis*, ut in ſuis aedibus commorans *Bartholomaeum* filium adoleſcentem educaret, & litteris ita ac diſciplinis imbueret, ut, qui in Cardinalium collegium tamdem cooptaretur, dignus evaderet. Eius ſub *Lilio* educatore in litteris profectum arguat, quod brevi, quum e Collegio *Ptolemaeio*, in quod eum *Lilius* deduxerat, Romam reverſus eſſet, ſublimi illa dignitate, cui inhiaverat, merito auctus eſt. *Bartholomaei* quoque fratrem *Alexandrum* natu minorem erudivit, cui anno MDCCXXI. de lingua Tuſca Dialogos, ad eius iam inſtitutionem lucubratos, nuncupavit. Romae quoque Donatum, ſeu prima Latinae linguae rudimenta, quoad Italicam interpretationem, iterum caſtigatum, ſub *Franciſci Honorati Tondellii* nomine anno MDCCX. edidit. Multa quoque alia Romae compoſuit, inter quae potiſſimum mihi commemoranda videntur, epiſtola, qua ſub quorumdam Arcadum nomine in *Io. Marium Creſcimbenium*, Arcadiae Cuſtodem, debacchatur, eum avaritiae ſordiumque poſtulans, & maniacum, ſupra meritum, arguens; epiſtolae quaedam aliae, quibus encyclicis de rebus, & eventis variis, quae ipſe commentus fuerat, ut quoſdam paſſim inridendi mordendique occaſionem nanciſcere-

ſceretur, certiores univerſos faciebat; Collegium Petronianum nutricum Latinarum ad Latinam linguam iam deperditam reſtituendam, opus ad Platonicae reipublicae, Morinae Vtopiae, & Sevarambici imperii, imaginem excogitatum, Senaeque anno MDCCXIX. publici iuris factum; & quorumdam *Celſi Cittadinii* operum editio anno MDCCXXI. Romae adornata, & *Bernardino Scottio*, Patrum purpuratorum uni, nuncupata. Ob huiuſmodi litterarios labores, & alia praeſtantis ingenii monumenta, *Hieronymus* ab *Clemente* XI. & *Innocentio* XIII. Pontificibus Maximis admodum probatus eſt, & variorum Purpuratorum, Praeſulumque, ut *Ottoboni*, *Albani*, *Cornelii*, *Scotti*, *Ptolemaei*, *Sergardi*, aliorumque, benevolentiam patrociniumque promeruit. Sed *Lilii* gloria intra limites hoſce non ſtetit; quum enim eius fama late vagaretur atque reſonaret, Venetias, Taurinum, Genuam, Neapolim, Mediolanum, Bononiamque accerſitus fuit ut litteras doceret ac profiteretur; quemadmodum *Leopoldus* etiam Auguſtus eum cum univerſa familia Vindobonam invitaverat largo ſtipendio conducendum, & Poetae Caeſarei nomine decorandum; quem tamen honorem, & emolumentum ille, ſeu patriae amore, ſeu quod ſuis viribus modeſte diffideret, recuſavit; non tamen eum ideo minoris fecerunt Caeſares ſucceſſores, *Ioſephus*, & *Carolus*, cuius fabulis & exodiis vehementer delectabantur. Quum vero anno MDCCXVII. *Violantes Beatrix* Etruriae Princeps Senam Praeſes procuratura ſe contuliſſet, *Hieronymum* ſua opera patriis li-

mi-

minibus tamdem reſtitutum probavit atque dilexit, non ſecus ac *Ferdinandus* Princeps, eius vir, feciſſet, atque ipſe *Coſmas* Magnus Dux, qui eum profeſſorem Senenſem, ut diximus, renunciavit, magiſtratibus, & publicis muneribus honeſtavit, & tamdem anno MDCCXX. ſua auctoritate in cauſſa fuit, ut *Hieronymi* filio Canonicatus Eccleſiae Provenzani conferretur. *Hieronymus* igitur, quum eruditus cultuſque eſſet, amicitias quoque doctorum virorum coluit, & eorum conſuetudine delectabatur, praecipueque *Leonardi Marſilii*, Senenſis Archiepiſcopi, ſucceſſoriſque eius *Alexandri Zondadari*; *Germanici Ptolemaeii*; *Pyrrhi Gabrielii*; *Huberti Benevolentii*; *Pandolfi Spannochii*, aliorumque Senenſium; cum exteris autem epiſtolare commercium exercuit, ut cum *Salvinio*, *Creſcimbenio*, *Zeno*, *Muratorio*, *Martellio*, aliiſque. Quamquam vero hiſce omnibus *Lilius* admodum probaretur, non paucos tamen habuit infenſos, quorum odium & averſionem ſua dicacitate, & amarulentis dicteriis, ſatiricaque poeſi ſibi comparaverat, & cucullatos quoſdam in primis, qui in Comoedia *Domino Pilone* indigne habitos, acerrimeque traductos ſe ſenſerant. Poenituit tamen *Hieronymum* eo facetiarum & ſcommatum progreſſum fuiſſe, ut ne hominibus quidem Deo ſacris, licet interdum merentibus, parceret, & quum morti iam proximus eſſet, ſuam reſipiſcentiam publico ſyngrammate teſtificatus eſt, & palinodiam laudabiliter cecinit. Nam quum octo menſes cum Senae, tum Romae, aquae intercutis morbo ante laboraſſet, tamdem Romae anno MDCCXXI.

natu-

naturae conceſſit, eiuſque laudes cum proſa, tum vorſa, oratione a diverſis celebratae fuerunt, & Senae praecipue anno inſequenti ab Academicis *Rudibus*, a quibus inter alia & ſequens elogium adpenſum fuit:

HIERONYMO GIGLIO EX HONESTA NENCIORVM GENTE IN PVRPVRATVM ORDINEM SENENSIVM NOVEM VIRORVM ADLECTO. LYRICO TRAGICO COMICO POETAE. LEPIDO FACETO VRBANO ET INVENIENDI FELICITATE SINGVLARI. CENSORI MORVM TEMPERATA MISTVRA ACRI SCITO AMOENO. VERNACVLAE LINCVAE PROPVGNATORI ACERRIMO; QVI NOVITATEM SVAM PER EGREGIAS ANIMI DOTES ILLVSTRAVIT; ET QVIDQVID IN ALIENVM NOMEN STILO PECCAVERAT PALINODIA CHRISTIANO DIGNA RARISSIMO EXEMPLO EMENDAVIT. VIRO CLARO FAVTORI SVO BENEMERENTI NAENIAS CONCINVNT ACADEMICI RVDES.

Illud autem in eius obitu mirandum contigit, quod, quum ſubſtantiis omnibus dilapidatis ne ſupereſſet quidem, quo funus *Hieronimi* adparari celebrarique poſſet, Dominicani, in quorum Eccleſia ſepeliendus erat, centum ſuos Monachos, qui cadaver gratis efferrent, miſerunt; Principes autem & Purpurati quamplures familias ſuas, quae funalibus accenſis eruditiſſimi viri funus honeſtarent; Ieſuitae tamdem iniuriarum praeter morem obliti, triduo in omnibus ſuis

tem-

templis, ſacrificiis, & precibus ſuſis Deum Opt. Max. eius manibus propitium reddere perſtiterunt. Homo fuit iuſta ſtatura, forma laudata, vultu hilaro; perhumanus, adfabilis, rei domeſticae negligentior, feſtivus vitiorum cenſor, hypocritarum inſectator acerrimus. Eius opera ſunt quae ſequuntur.

Genoveſa
Ludovicus Pius
Fides in proditionibus
Amor inter impoſſibilia
Amor virtute praeſignis
Amor magiſterii laurea inſignis
Atalipa
Leo Iudae
Sponſa Cantici
D. Hadriani Martyrium
Via gloriae
Viola Pratolini
Litigantes, ſeu Iudex furens.
Inſanus unus alium curat.
D. Pilo
Sororcula
Piloncina
Eſther
Ioſephus Ebraeus
Attilius Regulus
D. Chiſciottus & Galafro.
D. Chiſciottus & Coriander
Horatius
Vir ſanguinis & pietatis
Iudith
Mater Machabaeorum

} *Fabulae, Atellanae ſeu Exodia, & Dramata alia.*

Som-

Somnium Veneris.)
Nicomedes)
Idomeneus)
Sedecias ultimus Rex Iudae)

Exodia fabularum, & *dramata varia*.
Diarium Senenſe, *prima editio contractior*. 1722.
Diarium Senenſe, *ſecunda editio diffuſior*, *duobus Tomis* 1723. *Atque heic corrige*, *benigne Lector*, *quod ſuperius* pag. 143. *diximus*, *primam ſcilicet tantum partem huius Diarii* Violanti *Magnae Etruriae Principi fuiſſe dicatam*; *quum opus integrum eidem nuncupatum fuerit*. 1723.

Odae, & *Epigrammata Italica*, & *alia Poemata*.

Inſignia familiarum nobilium Senenſium, *quae ſupremis honoribus*, & *magiſtratibus*, *in patria gaudent*. 1716.

Donatus iterum a Franciſco Honorato Tondellio *quoad Italicam interpretationem emendatus*. 1710.

Epiſtola Arcadum, *ſeu Decretum*, *adverſus Alpheſiboeum Carium*, *Arcadiae Cuſtodem*.

Vindiciae dialecti Senenſis.

Lexicon Cathariniaarum.

Collegium Petronianum nutricum Latinarum ad Latinam linguam reſtituendam. 1719.

Praecepta, *ſeu Dialogi de lingua Tuſca*, *cum Lexico brevi*, & *Tetraplis de verbis*. 1721.

Celſi Cittadinii Opera. 1721.

Syngramma, *ſeu Catalogus Scriptorum Senenſium*, *qui Lexico Senenſi concinnando inſervire poſſent*.

D. Ca-

D. Catharinae Senenſis opera, quatuor voluminibus comprehenſa. 1706.

Orationes.

Praelectiones de Lingua Tuſcanica. 1722.

Civitas dilecta Mariae Deiparae, ſeu Sena vetus.

Retractatio, ſeu Palinodia, quoad hominum Deo ſacrorum traductionem inriſionemque. 1722.

Opera inedita ſunt.

Epiſtolae, ſeu Ephemerides de variis eventibus commentitiis.

Oſita, fabula imperfecta.

Brandaneis, ſeu de Brandani vita & vaticiniis, & alia quam plurima.

COSMAS III. MAGNVS ETRVRIAE DVX.

FErdinandi II. Magni Etruriae Ducis, & *Victoriae Roboreae*, filius fuit *Coſmas*, cognomento *Tertius*, & ipſe deinde Magnus Etruriae Dux. Natus eſt anno MDCXXXXII. & pro ſua ſublimi conditione educatus, virtutibus egregiis, veluti hereditariis, animum ornavit, & litteris ac diſciplinis excoluit; linguis praecipue diverſarum gentium loquendis exercitatiſſimus. Eius educator *Volumnius Bandinellius*, patricius Senenſis, atque homo pereruditus fuit, qui ab *Alexandro* VII. Pont. Max. in Cardinalium Collegium merito cooptatus eſt; quamquam non modicum ſcientiae, & cognitionum incrementum ei acceſſit a *Franciſco Rondinellio* Florentino, viro erudiriſſimo, & ob morum probitatem laudato, qui quotidianis conloquiis, praeter alios praeceptores, eum adſidue ac diligenter inſtituebat. Quum Princeps hic adoleviſſet, & iam XXV. annum attingeret, longas per Europam peregrinationes ſuſcepit, moreſque hominum multorum vidit, & urbes, in Hiſpania, in Gallia, in Batavia, in Britannia, in Germania denique fere univerſa, ubique virtutis ſuae egregiae, effuſae munificentiae, magni animi, prudentiae ſingularis, ſpecimina clariſſima praebens, &, quod magis ad rem noſtram facit, ſui erga litteras, & diſciplinas, bonaſque artes amoris, & ad litteratos homines beneficiis cumulandos propenſionis argu-

 menta

menta memoranda ubique relinquens. Cum iis enim lubenter familiariterque colloquebatur, inſtructiores Bibliothecas inviſebat, accedebat ad Muſea, Athenea mirabatur celebribus quibuſcumque eruditorum hominum coetibus intererat; de doctrinarum incrementis, de novis rerum naturalium obſervationibus, de docendi methodis, curioſe ſapienterque interrogabat; libros lectiſſimos, raroſque codices, avide comparabat. Quum vero anno MDCLXVIII. Amſtelaedami verſaretur, ab *Ioanne Georgio Graevio* Luciani Dialogum, qui *Pſeudoſophiſtes* inſcribitur, ſcholiis & animadverſionibus illuſtratum, ſibi nuncupari paſſus eſt; quumque ibidem, & Lugduni etiam Batavorum, *Iac. Gronovium*, *Io. Friderici F.* virum eruditiſſimum cognoviſſet, eum deinde in Etruriam accerſivit, & in Piſano Atheneo eloquentiae Profeſſorem renunciavit, ubi is regiam *Coſmae* Principis benevolentiam perpetuo expertus eſt, licet aliorum Profeſſorum amicitiam & meritam aeſtimationem conſequi vir exterus non potuerit, ut fere uſuvenit; quare ut alienae invidiae ſe ſubduceret, & priſtinam animi quietem recuperaret, abdicata cathedra in Bataviam reverſus eſt, beneficiorum tamen a *Coſma* acceptorum iugiter memor, cuius virtutem, munificentiam, amplitudinem, ſaepe in ſuis ſcriptis commendat ac ſubſpicit, & favorem ab eo litteris praeſtitum celebrat, & praecipue in editione *Ammiani Marcellini* a ſe anno MDCLXXXXIII. adornata, quam Lugduni Batavorum cum variorum eruditorum hominum obſervationibus

excu-

excuſam Principi huic magnanimo dedicavit. At audiamus iam quomodo de eo peregrinante Ioannes Georgius Graevius laudatus loquatur: *Nulla ſunt ſacra*, inquit, *ceremoniae*, *conſuetudines*, *mores*, *tot diſſonorum*, *quos hic vidiſti*, *populorum*; *nullae opes naturae exquiſitiores*, *quas ex remotiſſimis gentibus*, *ultra ſolis quaſi metam*, *& anni vias*, *huc advexerunt noſtri nautae*; *nullus vir ingenio*, *doctrina*, *arteque celebrior*, *nulla Bibliotheca*, *quam rariores libri commendant*; *nihil denique publice & privatim fuit*, *viſu aut cognitu dignum*, *quod aut tuae menti*, *aut tuo Muſeo ornando*, *videbatur facere*, *quod non cognoveris*, *& perluſtraris*. Illud autem, quod maxime memorabile, & praedicandnm in ſua *Coſmas* peregrinatione perfici curavit, quodque ſui ingenii perſpicientis, animique magna agitantis monumentum aeternum fuerit, illud, inquam, eſt, quod exactam & luculentam eiuſdem peregrinationis hiſtoriam, ſex voluminibus comprehenſam, ſcribi curavit; & urbium, oppidorum, villarum, locorumque omnium, quaecumque vidit luſtravitque, imaginibus abſolutiſſimis duo alia ingentia volumina compingi; quae quidem omnia in Palatina Bibliotheca adhuc exſtant, atque adſervantur. Denique quum adhuc Princeps iuventutis eſſet, tanta in litteras, egregiaſque artes proclivitate ferebatur, ut omnium Principum ſuorum primus in ſuis aedibus ampliſſimam, & inſtructiſſimam Bibliothecam dedicaverit. Heinc iure optimo *Henricus Noriſius*, quum ei ſua *Cenotaphia Piſana* nuncuparet, ita eum adloquebatur: *Hos quidem*

dem auguſtae familiae heroas, *etiamnum Princeps iuventutis*, *aemulatus*, *quo propius cum litteratis verſareris*, *Bibliothecam numero*, *praeſtantia*, *nitore voluminum inſtructiſſimam*, *eamdemque pulcerrimam*, *imperantium primus*, *intra palatium dedicaſti*. *Tum docti quique*, *erumpente laetitia*, *ſeculo atque Etruriae gratulari*, *eum caelitus Principem deſtinatum*, *qui ante libros quam ſceptrum regia manu tractaret*, *ac prius ad pluteos ſuamet Pallade erudiendus ſtaret*, *quam thronum maieſtate verendus inſideret*. At anno MDCLXX. *Ferdinandus* Magnus Dux diem ſupremum obit, & *Coſmas* imperium capeſſit; ſtatimque egregiis ſtudiis, & rerum naturalium inveſtigationi praecipue, favorem, non ſecus ac *Ferdinandus* pater fecerat, impertivit; viroſque doctrina ac ſcientia praeſtantes fovere perſtitit, quales fuere *Franciſcus Redius* Archiater, cuius honori tria diverſa numiſmata excudi fecit; *Laurentius Magalottius*, quem non ſemel ad varios Principes legavit; *Vincentius Vivianius* Mathematicus, *Ludovici* XIV. Galliarum Regis etiam munificentia probatus; *Laurentius Bellinius*, quem ſui regni decus adpellabat, & Archiatrum poſt *Io. Andreae Moneliae* mortem renunciavit; & *Alexander Marchettius* Mathematices in Piſano Atheneo Profeſſor. Sed Phyſices incrementa quaeſivit, non viris tantum ea philoſophiae parte inſtructiſſimis in clientelam ſuſceptis, verum etiam inſtrumentis tunc temporis raris, & ad naturam latitare ſtudentem retegendam aptiſſimis, comparatis, quo variis experimentis cauſſae natura-

turales facilius deprehenderentur, penituſque paterent, ut lente vitrea abſolutiſſima, quam *Speculum uſtorium* vocant, & cuius ope multa in lapillis, ac gemmis abſtruſa detexere viri adprime docti *Ioſephus Averanius*, & *Cyprianus Targionius*, & ſcriptis etiam commendavere; & machina, quae vulgo *Pneumatica* Graeco vocabulo dicitur, quaque multa de aeris natura & proprietatibus experientia duce didicimus. Quid quod Pharmacopeion celebre a Maioribus ſuis in regiis aedibus conſtitutum *Coſmas* inſtauravit, & omni opobalſamorum, unguentorum, liquorum, & medicamentorum praeſentiſſimorum, genere locupletiſſimum reddidit? Piſanum vero Atheneum & ſolitis privilegiis continuatis confirmavit, & egregiis doctrinarum Profeſſoribus auxit, ut commemorato *Iacobo Gronovio* eloquentiae, cui deinde *Benedictum Averanium* ſubſtituit; *Henrico Noriſio* Veronenſi, poſtea Cardinali & S. R. E. Bibliothecario, hiſtoriae Eccleſiaſticae, & Theologorum dogmatum; *Franciſco Mesliere* Franciſcano, Gallo, Doctore Sorbonico, Theologiae Polemicae; *Petro Ambaracho* Maronita, Sacrarum Litterarum, & praecipue linguarum Syriacae, & Arabicae; *Virginio Valſechio* Brixiano, Monacho Benedictino, Sacrae Scripturae; *Petro Antonio Ruſſo*, *Gerardo Capaſſio*, *Ioanne Franciſco Poggio*, Servitis omnibus, Theologorum pariter dogmatum; *Ioſepho Averanio*, *Benedicti* laudati fratre, *Antonio Rillio*, *Ioanne Bonaventura Nerio*, *Didaco Lopez* Luſitano, Iuris Civilis; *Lazaro Benedicto Melioruccio*, Praeceptore meo,

Sacrorum Canonum; *Ioanne Andrea Monelia*, *Luca Terentio*, *Ioſepho de Papa*, rei Medicae; *Ioſepho Zambeccario*, Anatomes; *Michaele Angelo Tillio*, Botanices; *Guidone Grandio*, Abbate Camaldulenſi, Mathematices; omnibus & doctrina, & libris editis Profeſſoribus celeberrimis. Quum tamen *Coſmas* & pius eſſet, & licentiae frena imponere omnino cuperet, iuvenum, qui in Piſano Phrontiſterio litteris & diſciplinis operam dabant, libertatem immodicam & enormem, impunitam non reliquit, & opportunorum exemplorum ſeveritate coercuit; quod quaedam exterae nationes adeo, ſed iniuria, indignatae perhibentur, ut Piſas ſtudiorum cauſſa accedere deinde intermiſerint. Illud etiam Piſano Athenëo incommodum contigit, quod Epicurea Philoſophia, *Petro Gaſſendo* interprete, ac Chriſtianis placitis aptante, per Europam invaleſcens, & Peripatetica prope iam de ſede, quam ab antiquo tempore invaſerat, deturbata, illuſtriora Gymnaſia pervadens, antiquiores quoſdam Profeſſores, cucullatoſque praefractiſſimos, adeo ſibi contrarios, in Etruria etiam, experta eſt, ut horum ſubdolis technis, ac machinamentis impetratum fuerit, ut Piſani Profeſſores Peripateticam, ſeu magis Arabicam, Philoſophiam de more docere cogerentur; & *Paſchaſius Iannettius*, vir doctiſſimus, & Democriteae Philoſophiae defenſor ac vindex acerrimus, qui nuper mortuus eſt, mutata profeſſione ad tradendam Medicinam transferretur, Philo-

lo-

loſophiam quoquo modo amplius docere prohibitus. Adeo quidquid novum eſt indoctioribus atque imprudentibus diſplicet, non rationem & veritatem ſectantibus, ſed inanem exiſtimationis ſuae umbram & ridicularia phantaſmatam ſtolide aucupari ac ſervare contendentibus. Sed & ad Senenſe Gymnaſium animum curaſque ſuas *Coſmas* convertit, & anno MDCLXXII. novas edidit conſtitutiones, quibus Profeſſorum emolumentis, & auditorum, advenarumque praecipue, commodo conſulebat. Atque inter Profeſſores ille etiam famigeratus fuit Botanices doctor *Pyrrhus Maria Gabrielius*, qui eruditum *Phyſiocriticorum* Conventum inſtituit. Sed & Florentinae Academiae incrementum ei cordi fuit, & in ea *Antonium Mariam Salvinium* Graecarum litterarum interpretem celeberrimum conſtituit; ſicuti in eam quoque *Petrum Antonium Michaelium*, Botanicum praeſtantiſſimum, quem & in Aegyptum *Theophraſti* illuſtrandi gratia mittere meditabatur, merito transferre deliberaverat, non ſecus ac de *Iacobo Panzaninio* Mathematices, *Io. Baptiſta Caſottio* Hiſtoriae, *Ludovico Adimario* linguae Tuſcae, cui *Marcus Antonius Mozzius* ſucceſſit, iam fecerat. Plantarum enim cognitione *Coſmas* in primis delectabatur, quare eas undique conquiſitas, & ab extremis terrarum oris advectas, in hortum Piſanum importavit; & inter Botanicos habuit etiam *Philippum Domninium*, qui *Iter Montis Baldi* conſcripſit, & *Paullum Bocconium* naturalium rerum indagatorem diligentiſſimum, cuius pariter opuſcula quaedam, *Coſmae*

ſmae Principi nuncupata, adhuc exſtant. Quin ut rei herbariae ſcientiam amplius promoveret, diverſis temporibus *Antonium Morinium*, & *Angelum Iannettium*, Amſtelaedanum miſit, ut in illo horto herbarum culturam abſolutam addiſcerent, & rariſſimas plantas in Etruriam ſecum deferrent. Sed & celebres *Florentinorum*, & *Furfureorum* Academicorum Coetus ſua protectione dignatus eſt; immo in hunc ſecundum Magnorum Ducum primus cooptari voluit, quum eius Patronum *Ioannem Gaſtonem* filium conſtituiſſet, & anno MDCXCI. tertiam Lexici Tuſci editionem ab hiſce Academicis adornatam probavit, iuvitque. Sed & *Apathiſtarum* Coetum adoleſcentem curae habuit, mortuoque *Auguſtino Cultellinio* inſtitutore, ex privatis eius aedibus in publicum Gymnaſium tranſtulit, de quo beneficio *Raphael Coſmas Hieronymius*, Peluſii nunc Archiepiſcopus, luculenta oratione, habita anno MDCXIV. ei gratias egit. At huiuſmodi Coetus omnes, quotquot potuit, ſuo praeſidio ac patrocinio fovit ſemper, & Senenſem praecipue *Intronatorum*, aliamque Senenſem equeſtrium artium Academiam; ut nihil de Collegiis, ut vocant, puerorum & adoleſcentium inſtitutioni deſtinatis dicam, veluti de eo, quod Senae pariter *Celſus Ptolemaeius* fundavit, & de ſuo nomine nuncupatum eſt; & de alio, quod Prati inſtituit *Franciſcus Ciconinius*, & anno MDCIC. exordium ſumſit. Quid de viris ſcientia & eruditione claris dicam, qui *Coſmae* patrocinium & munificentiam experti aliter ſunt? Tales fuere

Vin-

Vincentius Capponius Senator, cuius egregiae lucubrationes circumferuntur; Senator item *Alexander Segnius*, de Etruſca litteratura optime meritus; *Vincentius a Filicaria*, vir pariter dignitate, & poetica facultate clariſſimus; *Bernardinus Perfectius* Senenſis, Poeta extemporaiis plane admirandus; *Alexander Ghivizanius* eadem extemporalitate cenſendus; *Carolus Maria Maggius* Mediolanenſis; *Franciſcus Lemerius* Laudenſis; *Vincentius Piazza* Forolivienſis, elegantium Poetarum Triumviratus; *Coſmas de Arena*, barbarae Etruſcorum vetuſtatis, & medii aevi monumentorum adſertor; *Petrus Andreas Fortionius Accoltius*, qui *Coſmae* a Latinis epiſtolis fuit; *Benedictus Breſcianius* in Palatinae Bibliothecae cuſtodia *Antonii Magliabechii* ſucceſſor; *Ioannes Baptiſta Faſeolius*, Poeta feſtivus & elegans; *Paullus Medices*, Chriſtianus ex Iudaeo neophytus, & Sacerdos, & publicus in Gymnaſio Florentino linguae Ebraicae Profeſſor, ſcriptis editis notus; *Paullus Segnerius* Ieſuita pius, doctus, atque diſertus, ut eius commentationes teſtantur; *Antonius* tamdem *Magliabechius* laudatus, qui a *Ferdinando* II. Magno Duce in clientela habitus, Palatinae Bibliothecae praefectus perpetuam *Coſmae* beficentiam expertus eſt. At *Coſmae* in litteras amor, & erga litteratos homines benevolentia, extra Italiae clauſtra etiam vagata, eruditiſſimos viros, *Ioannem Pricaeum*, *Nicolaum Heinſium*, *Iacobum Reutenfelſum* Polonum, *Iacobum Tollium*; *Ioannem Mabillonium*, & *Bernardum Montemfalconium*, Monachos Benedictinos

ctinos Gallos; quorum alteri *Coſmas* Princeps Codicum Bibliothecae Laurentianae Catalogum dono miſit; & *Euſebium Renaudotum*, qui Codices Orientales, quibus multis Palatina Bibliotheca inſtruitur, evolvit anno MDCCI. excerptaſque notitias in ſuum uſum tranſtulit, concinnatamque Patriarcharum Alexandrinorum hiſtoriam munificentiſſimo Principi dedicavit. Quid de *Henrico Brenkmanno* dicam, cui omne praeſidium praeſtitit, quo Pandectas Florentinos deſcriberet, & deinde eorumdem Pandectarum hiſtoriam erudite concinnaret? Similia *Ludovico Antonio Muratorio* Mutinenſi; ſimilia *Sanctеuremondo* Gallo, viris eminentiſſimis, ſuae in litteras propenſionis ſpecimina praebuit. *Maximiliano* autem *Dezae*, oratori ſacro diſertiſſimo, opuſculorum Sanctorum Patrum ineditorum Syllogen vulgare meditanti, ſua beneficentia adfuit, inque eius uſum *Michaelis Pſelli* quaedam ex Bibliotheca Laurentiana Latine ab *Ant. Maria Salvinio* vertenda anno MDCLXXXIV. curavit. *Salvinium* enim plurimi ſemper fecit *Coſmas*; ſubſpexitque in primis, ubi ex tempore in regio cubiculo Graecos verſus, *Antonii Mori* Pictoris Vltraiectini imagini adſcriptos, Latinos fecit, adeo ut Princeps mirabundus pronuntiaverit: *Eſt aliquid*; quod mihi *Salvinius* ipſe narrabat. Eiuſdem munificentiae debetur quod *Anſelmus Bandurius* Pariſiis, manſerit, & ſcriptis famigeratus evaſerit; *Sebaſtianus Blancus* eruditae antiquitatis conſultiſſimus fuerit; *Anſaldus Anſaldius* iuris ſcientia praeſtiterit; *Nicolaus Antinorius* civilium rerum experien-

perientia, & non una dignitate, refulſerit. *Marcus Antonius Colligianius* Chirurgicae Medicinae peritiam abſolutiſſimam comparaverit; *Alexander Pitius* Medicus & Philoſophus Caſiam recentem ſaccaro incoquere didicerit; quos omnes magnis impenſis in Galliam, in Hiſpaniam, in Aegyptum, Romam, inque alias urbes & regna, miſit, ibique diutius ea omnia addiſcendi gratia commorari voluit. Quid de eius antiquitatis eruditae ſtudio & amore pronunciem? Hic Muſeum ſuum antiquis ſtatuis, anaglyphis, lapillis inſignibus locupletavit; hic Venerem illam Mediceam celeberrimam ab *Hercule Ferrata* reſtituendam curavit; hic Piſanarum Thermarum conſervationi conſuluit; hic denique *Philippum Bonarotium*, rei antiquariae peritiſſimum; & erudiciſſimum hominem, plurimi ſemper fecit, & Florentiam Roma reverſum titulis & honoribus auxit. Illud vero divinam prope *Coſmae* Principis mentem arguit, quod plane ſingulare eſt, & nullis aliis Principibus adtentatum, auſum laudatiſſimum, quo *Claud. Felicem Ioſephum Landinium* ſcilicet, in varias Europae regiones miſit, ut Mechanices, quam vocant, perampla & abſoluta cognitione potiretur, & magnum opus illud ſub ſuis auſpiciis adgrederetur, quo omnium univerſi terrarum orbis populorum menſuras ſedulo diligenterque collegit, curioſe atque accurate deſcripſit, exacte penſiculateque examinavit, inter ſe comparavit, expoſuit denique & ediſſeruit. Quanto autem favore Picturam, Sculpturam, Architecturam, proſequutus eſt,

Deus

Deus bone! Vt moles, aedes, templa, aras, coenobia, munimenta, ab eo late conſtructa praeteream, ſub eo floruere viri memoratis artibus praecellentes, *Antonius Dominicus Gabbianius*, & *Petrus Dandinius*, Pictores; *Maximilianus Soldanius*, *Ioannes Baptiſta Fogginius*, *Carolus Marcellinius*, aliique, Sculptores; *Vincentius Galilaeius*, architecton. Ipſe idem Romae in ſuis aedibus huiuſmodi Artificum conventus celebrare inſtituit, ut ſtudio & induſtria in iis perficerentur; ab eodem *Lucas Iordanus* Neapolitanus, Pictor egregius, probatus eſt; ab eodem *Ioannes Zumma*, Iordani conterraneus, Sculptor plane admirabilis, naturaeque omnino aemulus, beneficiis cumulatus. Tantum vero bonarum artium diſciplinarumque patrocinium magnis virtutibus, ſingularique adverſus Deum pietate, *Coſmas* exornabat, ac perficiebat, ita ut noſtrorum temporum *Antoninus* merito ab *Henr. Nevvtono* vocatus fuerit. At ex infinitis propemodum religionis & pietatis exemplis, quibus ſubditis populis optimus Regnator praeibat, duo potiſſimum mihi commemoranda videntur, unum quod corpus D. *Stephani*, Romani Pontificis, Martyriſque Trano Piſas tranſtulit, & in Porphyretico altari una cum Cathedra conlocavit; alterum, quod aram, ex lapillis pretioſis & celaturis egregiis affabre coagmentatam, Goam D. *Franciſci Xaverii* honori in Aſiam miſit, quae quamquam a barbaris illis gentibus plurimi facta non fuerit, tamen erit ſemper Coſmianae pietatis inſigne monumentum. At nec

illud

illud ſilentio praetereundum videtur, quod amore orthodoxias impulſus *Ant. Mariae Salvinio* imperaverit, ut erudita ac luculenta Diſſertatione, *Doſithei* Patriarchae Ieroſolymitani, Graeci praeter gentis morem eruditioris, ſcriptiſque percelebris, commentaria adverſus Concilium Florentinum incredibili animoſitate lucubrata, confutaret; quam quidem vir eruditiſſimus Latine elaboravit atque perfecit. Mortuus eſt *Coſmas* anno MDCCXXIII. Pridie Kal. Novemb. & in regio D. *Laurentii* ſepulcreto tumulato ſequens Epitaphium *Ant. Maria Salvinius* inſcripſit:

A. P. R. M.

COSMVS III. MAGNVS DVX ETRVRIAE. FERDINANDI SECVNDI. ET VICTORIAE ROBOREAE VLTIMI VRBINI DVCIS NEPTIS. EGREGIORVM PRINCIPVM INCLITVS FILIVS. OB REGIAS VIRTVTES. AMOREM PRAECIPVVM RELIGIONIS ET IVSTITIAE. REGIAE CELSITVDINIS NOMEN PRINCEPS PROMERVIT. VLYSSIS PRVDENTIS INSTAR. MORES HOMINVM MVLTORVM VIDIT ET VRBES. NATIONVMQVE SIBI GRATIAM. PRINCIPVM BENEVOLENTIAM EXISTIMATIONEMQVE CONCILIAVIT. DESIDERIIS SINGVLORVM AC PRECIBVS AVDIENDIS QVOTIDIE ADFVIT. DEI CVLTVI ET SANCTORVM VENERATIONI IMPENSE ADDICTVS. SACRAS AEDES A SOLO EREXIT INSTAVRAVIT ORNAVIT. SEPVLCRALEM ARCAM S. FRANCISCI XAVERII HONORI OPVS CELATVRIS EIVS

ACTA

ACTA REPRAESENTANTIBVS INSIGNE GOAM VSQVE TRANSMISIT. BONAS ARTES AC LITERAS MAIORES SVOS IMITATVS REGIA MVNIFICENTIA FOVIT AVXIT. PACEM BELLA SVBMOVENDO CONSTABILIVIT. VBERTATEM COPIAM TRANQVILLITATEM FELICITATEMQVE PVBLICAM CVRAVIT SEDVLO. DEMVM PIETATE GRAVIS AC MERITIS ANNO SALVTIS MDCCXXIII. AETATIS SVAE LXXXI. MENSIBVS DVOBVS, DIEBVS XVII. PRIDIE KAL. NOVEMBRIS SVMMO OMNIVM MOERORE MORTALIS HVIVS VITAE CVRSVM PEREGIT. AETERNA FELICITATE DONANDVS. SVCCESSOREM RELIQVIT IOANNEM GASTONEM MAGNVM ETRVRIAE DVCEM. OPTIMVS PATER FILIVM MOESTISSIMVM.

Coſmae imago chalcographico opere perfecta circumfertur, cum diſticho a *Salvinio* laudato pariter compoſito:

Et pius, & prudens, populi pater. omnia ſolus
Munera perfecti principis ipſe refert.

NICOLAVS CYRILLVS.

Franc. Serao Auctore.

NIcolaus Cyrillus natus eſt Grumi, qui eſt pagus agri Neapolitani non infrequens, a bonitate caeli, rerumque omnium opportunitate commendatus, a. d. IV. Idus Septembres anno MDCLXXI. Octennis patrem *Sanctulum*, duodecennis matrem *Zenobiam Paganam* amiſit: ex quo, conſilio *Bartholomaei* fratris natu omnium maximi, cuius curis familia adminiſtrabatur, Neapolim deductus eſt, ubi adoleſcentuli ingenium ſatis iam in rudiore palaeſtra probatum, pro dignitate excoleretur. Apud Patres Societatis Ieſu humanitatis primum, deinceps philoſophicum etiam, ut tum paſſim apud noſtros obtinebat, curſum peregit. Id temporis magna auditorum frequentia Mathematicas diſciplinas profitebatur clari nominis Ieſuita *Nicolaus Parthenius Giannettaſius*: ad hunc audiendum quum ſe *Nicolaus* contuliſſet, ſenſit illico novum ſibi patefieri campum, in quo felicius opera poneretur: & quamvis exercitationes illae vix parva initia ampliſſimae ſcientiae, magiſque obvia, complecterentur; omni tamen reliquo tempore de primis illis ad elegantiores doctrinas gradibus cum voluptate meminit. Annum ingreſſus ſextumdecimum, quum animum ad Medicinae ſtudium convertiſſet, regium Gymnaſium frequentare coepit; in quo praeter

ter ceteros cum magna eloquentiae & eruditionis fama *Lucas Tozzius* res Medicas pertractabat. Ei ſe *Cyrillus* ita adiunxit totumque tradidit, ut publicis praeceptionibus minime contentus, ad penitiorem domeſticamque conſuetudinem aditum quaeſierit; quod iuveni non minus a modeſtia, quam ab ingenii cultu commendatiſſimo cum facile fuit, tum oppido fructuoſum. Itaque triennio exacto, quod tempus in ſcholaſticam inſtitutionem a Medicinae tyronibus impendi ſolet, eiuſdem *Tozzii* methodum curandorum morborum in re praeſenti obſervaturus, noſocomia aegrorumque domos circumire inſtituit. Novo hoc vitae genere vago & laborioſo nihil de animi erga bonas artes ardore remiſit; quin ab eo maxime tempore initia politioris litteraturae, qua praecipuam ſibi laudem comparavit, ſunt repetenda. Nam audivit per id tempus ſummum virum Graecanicae eruditionis apud Neapolitanos inſtauratorem *Gregorium Meſſerium*, tantumque in ea lingua profecit, ut Graecorum auctorum lectione perpetuo delectatus, & Medicam rem nativis veluti ornamentis mirifice illuſtrarit; & de aliis argumentis ſaepe, quum tulit occaſio, Graece ſcripſerit pari ſemper elegantia & facilitate. Hortante inſuper facemque praeferente *Gregorio Caloprеſio*, homine adprime docto, Carteſianorumque dogmatum in rebus Philoſophicis accuratiſſimo interprete & propugnatore, ad huius Philoſophi ſcripta evolvenda animum adiecit; idque perfecit tanta contentione, ut Carteſianam

do-

doctrinam in ſuccum, quod aiunt, & ſanguinem convertiſſe viſus ſit. Neque enim, quod unum plerique ſpectant, ad intelligentiam modo contendit eorum, quae a Philoſopho illo prolata ſunt; ſed ultra progreſſus, mentem ipſam & ingenium *Renati Carteſii* hauſit & expreſſit; qui ſtudiorum eiuſmodi fructus potiſſimus ſine controverſia habendus eſt. Hiſtoriae autem, Geographiae, ceterarumque diſciplinarum ſtudio, quibus ingenium ad humanitatem excolitur, iuvenis ita indulſit, ut etiam provecta aetate non parvam ſubſecivi temporis partem iiſdem attribuerit. His igitur inſtructus animi ingeniique ornamentis facile ſeſe in virorum doctrina & auctoritate praeſtantium familiaritatem inſinuavit: quos inter memoria digni ſunt Neapolitanae Curiae tunc Princeps *Ianuarius Andreas*, *Seraphinus Biſcardus*, *Nicolaus Caravita*, qui cum ceteris eruditis honeſtiſque hominibus faverent impenſius; tum *Cyrilli* praecipue morum elegantiam & litterarum decus complexi ſunt. Circa annum MDCXCII. primum ſe noſter auſpicato in rei litterariae bonum coepit impendere, aperto domi ſuae ludo Medicinae, Philoſophiae, ac Geometriae, ſummo plauſu & celebritate; ut animum induxerit ad conſcribendas Medicas, Philoſophicaſque inſtitutiones. In his eleganter ac dilucide veteres novaſque pariter ſententias perſequitur; eligit autem & tuetur probabiliores: nam neque veterum auctoritate nimis unquam permotus eſt, neque novitatis ſtudio recentiſſima quaeque eadem

& optima iudicavit. Dum in his verſatur, ecce ad *Innocentii* XII. immortalis memoriae Pontificis Maximi valetudinem tuendam *Lucas Tozzius* Romam arceſſitur. Eo diſcedente Neapolitani Gymnaſii inſtituta poſtulabant, ut idoneus Profeſſor in eius locum ſufficeretur. Suffectus eſt *Nicolaus*; qui unus frequentiſſimum auditorium detinere, *Tozzii*, atque adeo ipſius Gymnaſii dignitatem ſuſtinere, poſſe videbatur. Itaque anno MDCXCVII. in publicam Gymnaſii lucem productus eſt eo ſucceſſu, ut poſt aliquot annos, quum *Tozzius* Roma Neapolim remigraſſet, atque regio edicto cautum eſſet, ne cui ex publicis Profeſſoribus vicariorum opera in obeundis ſuis partibus liceret uti; unus *Cyrillus* exceptus ſit: detulerat enim ad Proregem ſtudiorum Praefectus *Didacus Vidania*, vir conſummatae litteraturae, acerrimique iudicii, e re publica eſſe eum inter Profeſſores retineri, qui ut ſapientia, ita eloquentia & adſiduitate anteibat multos, nemini concedebat; id quod inſignis eius ſcholae frequentia teſtabatur. Fuit & illud magnae de eo opinionis luculentum teſtimonium, quod quum *Ludovicus Lacerda* Dux Medinaecaeli, qui pro Rege Neapolitanum Regnum adminiſtrabat, pro ſuo in litteras amore conſtituiſſet, ut viri aliquot docti ex univerſa urbe delecti ſtatis temporibus apud ipſum convenirent, & diſſertationes de propoſitis cuique argumentis recitarent; tributus ſit etiam inter hos *Cyrillo*, etſi adoleſcenti, locus, in pretioque ſit habitus. Sed non ita multo poſt, inito con-

ſilio

filio ab Aſcaloniae Duce, *Lacerdae* ſucceſſore, de reſtituendis & vindicandis regii Gymnaſii inſtitutis, ad vacuas exauctoratorum cathedras implendas indicta ſunt publica candidatorum experimenta (concurſus appellant) ſeveriſſima illa quidem, nec a quopiam ſine magna (ut noſter dicere ſolebat) rerum verborumque copia temere ſubeunda. Quin ingenii periculum in eo certamine faceret, ſuſcepta iam pridem vitae ratio profecto non patiebatur. Itaque, nec invitus, intra unius anni ambitum ter ille conſpectum hominum, iudiciumque ſuſtinuit: bis Medicum argumentum, ſemel Philoſophicum tractavit, magna ſemper felicitate & plauſu: omniumque ſuffragiis ſub ingreſſum anni MDCCV. cathedram Phyſicae obtinuit. In ea non amplius biennio conſedit: nam quum ſecundaria Medicinae Practicae cathedra exeunte anno MDCCVI. petitioni eſſet expoſita, quarto publicum experimentum edidit; ex quo proximis comitiis illam adeptus eſt, Medicaeque claſſi reſtitutus. In huiuſmodi converſionibus conſtanter obſervatum eſt, parem ſemper auditorum multitudinem, atque adeo in dies maiorem *Nicolaum* eſſe ſequutam; non tam enim materiae dignitas utilitaſve Profeſſorem commendabat, quam Profeſſoris praeſtantia pretium dignitatemque materiae addebat. Sed quum talem in re ſcholaſtica *Nicolaus* fortunam merito ſuo experiretur, nihilo percrebuerat minus apud omnes civitatis ordines; quin & ad externos quoque pervaſerat eius Medicae peritiae fama. Itaque certatim om-

 nes

nes in difficilioribus valetudinis caſibus eius conſilium operamque expetere; alii per litteras conſulere, ſi quis nodus vindice dignus ſive in Medicina facienda, ſive in Philoſophicis quaeſtionibus occurrebat. Per ea item tempora primarius celeberrimi Noſocomii Incurabilium Medicus conſtitutus eſt. At ſub tanta negotiorum mole valetudo nutavit: ſiquidem viribus debilitatus, febriculaque correptus, ad eam abigendam, poſt cetera fruſtra adhibita Medicinae auxilia, ruſticatione diuturna, & ceſſatione opus habuit. Vt primum ergo convaluit urbemque repetiit, conſilium coepit dimittendi domeſticas ſcholas, quae & diei plurimum abſumebant, & dictione continenti latera plus iuſto fatigabant. Exinde ſic vivere inſtituit, ut quod temporis a ſcholaſtico munere vacabat, id aegrorum commodis impertiret: quod vitae genus etſi laborioſum & moleſtum, iis certe qui litteris ſunt innutriti, ipſa tamen rerum varietate, & viciſſitudine minus valetudini incommodare ſolet. Sed firmato ſenſim corpore, ut erat otii impatiens, facile materiam nactus eſt, in qua operam poneret, ſtudiumque exacueret. Cupido cognoſcendi penitus naturalem hiſtoriam, in primis herbariam, iamdudum animum illius inuaſerat; compeſcuerat tamen; nam neque ſuppetebant qui hoc ſibi ſtudium expedirent; & ex libris expiſcari, qui uſque ad eam diem a viris doctiſſimis erant editi, immenſi laboris opus videbatur. At opportune eius inquiſitioni oblatae ſunt abſolutiſſimae Inſtitutiones Herbariae viri egregii

gii *Ioſephi Pittonis Tournefortii*, quae vaſtam herbarii ſtudii molem contractam, digeſtamque exhibent. Itaque tanto ſtudio, & alacritate in auctoris huius, aliorumque lectionem incubuit, ut brevi eam naturalis hiſtoriae partem comprehenſam habuerit. Reliquum erat, ut ſedes ipſas & domicilia plantarum perveſtigaret. At praeter proximos urbi campos, atque unum aut alterum ſatis male habitos Botanicos hortos in vicinia forte ſuperſtites, ulterius ſibi urbanis negotiis circumvento contendere non licebat: itaque *Sanctulum* fratris filium, adoleſcentem unum Botanices ſtudioſiſſimum, emittere inſtituit; cuius peregrinationibus & utriuſque peritia aucta eſt, & domeſtici hortuli inſtructi; ad quos novis deinceps generibus plantarum ornandos ab uſque florentiſſimis Italiae urbibus, Piſis, Patavio, Bonqnia, quin & ab ipſa Anglia, ſemina petita ſunt, & advecta. His artibus & curis pulcerrimi huius ſtudii, reique Medicae opportuniſſimi memoria, quae temporum viciſſitudine apud Neapolitanos tantum non evanuerat, revocata eſt, cultuſque in fortunam meliorem adductus. Sed tempus fuerit geſtorum eius ſeriem proſequendi. Anno MDCCXVII. vir celeberrimus *Lucas Tozzius* confectis vitae ſpatiis moritur. Erat is primariae cathedrae Theoreticae Medicinae praefectus; itaque de adſciſcendo ſucceſſore cogitari coeptum eſt. Ex univerſo Medicinae Profeſſorum coetu laudatiſſimus quiſque primas in petitione *Cyrillo* facile concedendas putabat: attamen mole-

 ſtiſ-

ſtiſſima concertatione non caruit potentis cuiuſdam viri artibus, ex privata cauſſa alterius non ſatis aequae ambitioni velificantis. Quidquid eius rei ſit, praevalente ſaniore factione, in ampliſſima tandem *Tozzii* cathedra conſtitutus eſt: in qua ita ſe geſſit, ut & palam oſtenderet quantae ſibi in dies factae eſſent eloquentiae & eruditionis acceſſiones; & ſplendorem Gymnaſii non ſuſtentaret modo, ſed etiam cumularet. Quum in eo eſſet, ſtudiaque ſua, qua aegrorum, qua ſcholaſticorum bono diſpartiretur, ad aliam curam nec opinato vocatus eſt. Siquidem quum noſtri Bibliopolae animum induxiſſent ad recudenda *Michaelis Ettmulleri* Medica opera, e publica pariter privataque ipſorum re futurum exiſtimarunt, ſi ea adnotationibus, tanquam auctario, ornata in lucem proferrent. Ergo conveniunt *Cyrillum*, eumque rogant impenſe, ut novae, quam meditantur, editioni ſuo nomine auctoritatem & pretium faciat. Is quoniam exploratum habebat in illo magnae molis libro complura occurrere, quibus politioris iudicii lectores offenderentur; non facile, ut illis morem gereret, adduci poterat: duorum enim alterum verebatur, ne vel de auctoris fama ſollicitus, ſuae ipſius detrimentum caperet, publicaeque utilitati ſerviret minus; vel ſi qua par erat libertate ſibi utendum ſtatueret, ad ſeveritatem cenſurae, a quo vel maxime alieno erat ingenio, dilaberetur. Tandem in eo conſilio adquievit, ut quoniam liber ille iuvenum manibus, ut nullus magis,

terebatur, eas adnotationes adſcriberet, quibus illorum mens ab ipſis ſtatim initiis ſaniori inſtitutioni adſueſceret; alias autem periculoſas ineptaſque doctrinas perſtringeret: quod inſtitutum quantae utilitati lectoribus minus ſagacibus futurum eſſet, nemo non videt. Itaque ſubſcepit hanc curam ſane haud proniſſima voluntate: & tamen in eo opere talem ſe praeſtitit, ut eruditionem & ingenium, in primis vero felicem quandam iudicii maturitatem omnibus probarit. Edita ſunt porro *Ettmulleri* opera anno MDCCXXVIII. ſcilicet decennio fere poſt, quam prima manus a *Cyrillo* admota erat; de quo queri is ſolitus eſt ea potiſſimum de caſſa, quod tanto temporis tractu nonnulla, quae ab experimentis obſervationibuſque repetuntur, paullo aliter prodita eſſent poſterioribus doctorum virorum curis, ac antea factum erat: moleſtum vero ſibi eſſe vulgi iudicium, emiſſorum potius in lucem operum, quam tempus, quo ipſe perſcripſerat, reputantis. Quocirca ſi unquam futurum eſſet, ut ſe ſuperſtite opera haec iterum typis committerentur, aliqua retractaturum diſerte promittit in epiſtola ad lectorem. *Ettmullero* evulgato a ceteris quidem omnibus opera eius probata eſt, prolixeque laudata: uni Lipſienſes in Actis Eruditorum anno MDCCXXXI. publicatis, quum Neapolitanae *Ettmulleri* editionis mentionem ex inſtituto facerent, minus honorifice eius nomen exceperunt: idque vel eo magis mirandum, quod eorum alias univerſe iudicia multo ad lenitatem, ne dicam

ad aſſentationem, quam ad ſeveritatem procliviora eſſe conſueverunt. Sed non difficile ſit eius rei cauſſam conlicere. Nempe Medicorum librorum cenſor forte tum erat *Michael Erneſtus Ettmullerus* filius, qui aequum de parente iudicium a *Cyrillo* prolatum aequo animo ferre non potuit. Quamobrem parentis cauſa impotenter ſuſcepta, cenſuram acerbiorem protulit, in qua aliqua pro *Ettmullero*, nonnulla contra *Cyrillum* adferuntur; ſed quaedam praepoſtera, quaedam arida, omnia infelicia, ut res ipſa loquitur. Hanc *Nicolaus* ea mente excepit, ut non multum de apologetica reſponſione fuiſſet laboraturus, niſi tribuendum aliquid totius Lipſienſis Collegii auctoritati cenſuiſſet. Scripſit igitur ad Lipſienſes, operam iudiciumque ſuum, in quo accuſabatur, vindicaturus; ſimul rogavit, ut ea epiſtola in acta proximo anno publicanda referretur. Antequam autem exemplaria Apologiae, editae Neapoli anno MDCCXXXII. Lipſiam importarentur, *Ettmullerus* filius cenſurae auctor fato interceptus eſt. Eius morte controverſia oblivioni eſt tradita. Interea autem *Cyrillus* quum voluntatis ſuae, iuſtiſſimaeque petitionis nullam a Lipſienſibus haberi rationem comperiſſet, curavit, ut Genevae illa Apologia ederetur; quod factum eſt ſedulo: proſtatque e Latina lingua in Gallicam verſa *Tom.* XVIII. Bibliothecae Italicae *pag.* 85. Sed iam plus iuſto excurrimus: reliqua exſequamur. Celebritas nominis eius in tantum percrebuerat, ut cogitante *Victore Amedeo* Sabaudiae Duce

Sar-

Sardiniaeque Rege de inſtituenda Taurini ſtudiorum Vniverſitate, praeter alios in ſua quemque facultate lectiſſimos viros, ad implendam primariam Medicinae cathedram *Cyrillus* deſignatus ſit. Dedit igitur negotium Marchioni *de Breille* tum Neapoli agenti, ut nihil reliqui faceret, quo illum ad hanc provinciam capeſſendam adliceret: ſive honoribus is, ſive opibus caperetur, neutrum ſibi a regia munificentia defuturum. Nam praeter primariam opulentiſſimam cathedram, cui deſtinabatur, acceſſionis loco regii Filii Medicum, ditionisque univerſae Archiatrum elegerat. Quid plura? eo ſapientiſſimi Principis ſtudium proceſſit, ut poſt etiam quam *Cyrillus* m deſtiſſima excuſatione omnem ſucceſſus ſpem praeciderat, per plures annos nemo ex Neapolitanis ad eius aulam advenerit, quocum de *Cyrilli* praeſtantiſſimis dotibus, deque artibus, quibus ad ſe Taurinum evocari poſſet, verba non fecerit. Et tamen is adduci non potuit, ut privatam, eandemque viro ſtudioſo opportunam, vitam cum aulae ſtrepitu commutaret. Egit igitur clementiſſimo Principi pro tanta benignitate, iudicioque de ſe, gratias quas potuit maximas; at vero multis de cauſſis ſe prohiberi docuit, quin imperio eius ſibi honorificentiſſimo obtemperaret. In quo non minus prudentia ipſius, quam moderatio eluxit, vel iis privatim iudicibus, quorum publice intererat quavis ratione *Nicolai* animum flectere atque expugnare. Vix hac cura expedito novos ſtimulos admovit acrior in dies cupido, con-

contentioque diſcendi: nam quum videret Anglorum monumenta, ad Philoſophiam praeſertim & Medicinam pertinentia, orbis litterati univerſi plauſu probari; ſuae Anglicae linguae ignorantiae ſubiraſci ſolitus erat, quod ex iis pauca quaedam, eaque perquam ſero, ex aliorum interpretationibus cognoſcere cogeretur. Ergo operae pretium ſe facturum ratus, ſi eius linguae notitiam compararet, forti certoque animo ad hoc conſilium perficiendum ſeſe adiecit. Magno ſtetiſſe *Nicolao* eius ſermonis uſum, is facile intelliget, qui reputaverit id genus ſtudiorum importunitatem, in eo maxime viro, qui ob aetatem, negotiorum molem, ingeniumque interioribus iam litteris dudum adſuetum, in ceteris omnibus tempus impenderet libentius, quam in conſectandis alieniſſimae linguae rudimentis. At ſine interprete, ſine propemodum exemplo, eo perrupit, quo intenderat; ex eoque tempore optimae notae libros Anglice ſcriptos, & coemere inſtituit, & evolvere diligenter. Quae eo pluribus deſcripſi, quod, ut ego arbitror, iudicare inde quiſque poteſt, quanta ſemper ille diſcendi cupiditate flagrarit; quantamque ſedulitatem & conſtantiam ad ſtudia quaevis, quae ſemel ſibi capeſſenda decreviſſet, attulerit. Sed nihilo ſecius diligentiam ſtudiumque probavit Regiae Societati Londinenſi, poſtquam ex anno MDCCXVIII. Meteorologicas ephemerides perſcribere coepit, Londinumque tranſmittere. Hanc provinciam ipſius Societatis hortatu ſuſcepit; quae quum

de

de Neapolitani coeli obſervationibus ſolicita eſſet, quaeſivit a doctis aliquot Italis de viro ad eam rem idoneo: qui vel privatam notitiam hominis, vel conſtans famae iudicium ſequuti, unum *Nicolaum Cyrillum* protulerunt. Datae igitur ad eum ſunt litterae perhonorificae Societatis nomine, quibus ad hanc curam invitabatur; quas & lubens accepit, & partes ipſas ſuſceptas alacriter exſequutus eſt, non ſine publico laudis adprobationiſque teſtimonio: ſiquidem paucis poſt annis inter regios Socios Londinenſes allectus eſt. Eum ſibi honorem *Nicolaus* duplici nomine eſt gratulatus: nam & coetus illius iudicium magno in pretio apud doctos eſſe intelligebat; & quod de acclamatione, cooptationeque ſua relatum eſſet vivo adhuc magno *Iſaaco Newtono* Societatis Praeſide, hoc ad felicitatis genus quoddam pertinere iudicabat. Sed quidquid fuerit, intendit ex eo tempore nervos induſtriae: non enim modo quotannis obſervationum hiſtoriam cum Societate communicavit; ſed ſcripſit quoque, eiuſdem Societatis admonitu, de recto Frigidae in febribus uſu, quae nova Medendi ratio pridem apud Neapolitanos recepta cum ſucceſſu, ex varietate, & incoſtantia famae Medicis Anglis negotium faceſſebat, ut, quid de ea ſtatuendum eſſet, non ſatis perſpicerent. Exſtat ea diſſertatio in *Volum.* XXXVI. Philoſophic. Tranſact. *pag.* 142. Scripſit inſuper de terraemotu, qui anno MDCC-XXXI. non parvam regni Neapoletani partem quaſſavit; quod commentariolum editum

eſt

eſt inter eaſdem Philoſophicas Tranſact. *Vol.* XXXVII. *pag.* 79. Nunc ipſa temporum ſeries nos alio revocat. Anno MDCCXXVI. primaria Medicinae Practicae cathedra vacavit. Ad eam uni *Cyrillo* prae ceteris, communi doctorum indoctorumque iudicio plane patebat aditus: neque ſolum ob praeſtantiam doctrinae ſatis ſuperque omnibus perſpectam, ſed & quod proximo ab ea gradu conſideret. Verum quum illa petitioni legitimae eſſet propoſita, & noſter publicum ſcholaſticum certamen unice cogitaret, ecce tibi regium diploma ab aula Vindobonenſi, quo Principis beneficio petita cathedra *Nicolao Cyrillo* ultro addicitur. Dederat ad id operam vir clariſſimus *Pius Nicolaus Garellius* Caeſaris Archiater, qui pro ſingulari benevolentia, qua *Nicolaum* merito ſuo penitus complexus fuerat, egit apud *Caeſarem*, ut tantus vir moleſta, ac prope indecora, concertatione liberaretur. Itaque legitimam iudicum ſententiam Principis aequiſſima & tempeſtiva indulgentia antevertit. Hoc accepto nuntio non leviter is permotus, adfectuſque eſt; & quod cathedram loco & ſalario honeſtiſſimam conſcenderet: & quod in ſe tum Caeſareae Curiae benignitas, tum vero amici optimi, ſibique cariſſimi, ſtudia enituiſſent. Quocirca ſuarum partium eſſe duxit grati animi monumentum in vulgus edere, facta beneficii huius mentione in epiſtola ad *Garellium*, *Ettmulleri* operibus praepoſita. Verum ſi externorum hominum iudicia tam aequa in ſe, tamque honorifica *Cyrillus* expertus eſt; certe indigena-

genarum, & civium nihilo ſegnior in eum exiſtimatio, & pietas exſtitit. Quod, praeter alia, cum non pauci Neapolitanorum libri eius nomini inſcripti declarant: tum eo maxime tempore eſt adgnitum, quum *Caeleſtini Galiani* Archiepiſcopi Theſſalonicenſis regiique Sacelli Antiſtitis opera delectus habitus eſt doctorum aliquot virorum, qui, Academicorum Pariſienſis, Londinenſis, & Bononienſis ritu, Phyſicas diſciplinas, ſaepius inter ſe diligentiuſque ſtatis diebus diſſerendo, illuſtrandas ſuſciperent. Nam non modo plurimum ad hoc conſilium expediendum *Cyrilli* auctoritas & prudentia valuit; verum etiam, quum de creando praeſide ageretur, coetus univerſi conſenſione is unus nominatus eſt: quippe in quo ſapientia, auctoritas, gratia, & quaedam veluti popularitas certabant. Et quamvis ex Academiae inſtitutis id munus annuum eſſe deberet: tamen altero tertioque anno ad prorogandum ei magiſtratum omnium ſuffragia conſpirarunt. In ea praefectura ita ſe geſſit, nemini ut unquam diſplicuerit; omnes conſiliis, adhortationibus, exemplo inflammarit, iuveritque: quem ſane locum nullus dubito quin hodieque, ſi adviveret, teneret ille magno Academiae bono atque ornamento. Poſtremus litterariae vitae eius veluti actus fuit Conſiliorum Medicorum editio; de quibus plura dicere ſuperſedeo, quoniam in praefactione ad lectorem iiſdem praefixa ſatis officio factum eſt. Eo porro negotium redit, quod quum eorum Conſiliorum autographa, quae *Cyrilli* diligentia fuit, ad

unum

unum omnia apud ſe exſtarent; eſſent autem eiuſmodi, ut & multam utilitatem Medicinae ſtudioſis adferre, & auctoris nomen famamque ſuſtinere poſſent: viſum eſt nonnemini haud abs re futurum, ſi ea typis vulgarentur. Illud autem compendii ex eorum lectione exſtiturum videbatur, ut tum Neapolitanorum Medicorum ratio morbos tractandi cognoſceretur; tum quid privatim *Cyrillus* ex propriis obſervationibus, diuturnaque & multiplici lectione in Medicam praxim tranſtuliſſet. Ad haec, quum eius ſcripta univerſe nativam quandam eloquentiam & perſpicuitatem praeſeferant, omnibus ſive ſententiarum, ſive verborum ineptiis purgatam; permagni intererat, noſtrae iuventuti Medicae artis ſtudioſae exemplar offerre, in quod ad imitandum tutiſſime intueretur. Auſcultavit *Cyrillus* amicorum adhortationibus; nec ita multo poſt eius ſcripta excudi coeperunt. Silentio autem minime eſt praetereundum, ita ea ab ſe veluti abdicaſſe, atque in aliorum manus, pro animi ſui modeſtia, tradidiſſe, ut ſi quid iis minus probabile videretur, libere expungerent. Verum eam poteſtatem ultro, nec ſimulate, delatam uſurpare illi omnino detrectarunt: nam etſi ſunt quaedam Conſilia extempore, minuſque anxie conſcripta; nullum tamen eſt omnium, in quo non emicet ſcintillula quaedam feliciſſimi ingenii, quodque *Cyrillum* auctorem non referat. Adiectae ſunt diſſertationes duae Medici argumenti, de Argento vivo altera, altera de Ferro, quas poſtremis vitae annis in

gra-

gratiam frequentiſſimi, ſuique ſtudioſiſſimi auditorii e cathedra dictaverat. In his accurate complexus eſt hiſtoriam & uſum duorum in Medicina facienda uſitatiſſimorum metallorum: at eam, quae de Ferro eſt, valetudine interturbante ad umbilicum perducere non potuit; itaque talis edita eſt, qualem auctor dederat. Horum operum, quae poſtuma dicere poſſumus, magna eſt omnium exſpectatio: nec vereor ut publicae opinioni, ſpeique reſpondeant, ſi meminerimus, non eo conſilio eſſe conſcripta, ut ederentur; quod ſi auctori veniſſet in mentem, profecto nil omnino quivis vel moroſiſſimus ſive a doctrina, ſive a loquutione, in iis deſideraret: edita tamen eſſe propterea, quia nihil a *Cyrillo* prodire unquam potuit, quod non iuventuti ad Medicam artem inſtituendae conducibile futurum eſſet. Sed horum apud doctos iudicium. Illud nobis reliquum eſt, ut de eius morte dicamus; quam, ſi Neapolitanae rei paene fatalem dixero, adſtipulatorem habebo lectiſſimorum virorum ſenſum; tanti rerum noſtrarum interfuit praeſtantiſſimo Medico, eximio Profeſſore, cive ornatiſſimo numeriſque omnibus abſoluto, momento temporis caruiſſe. Nunquam a valetudine florentior fuerat, quam per aliquot annos, antequam initia extremi, quo raptus eſt, morbi erumperent: quamobrem anno LXIII. perproſpere exacto, per iocum in privatis amicorum colloquiis eorum vel inſcitiae, vel ignaviae inſultare ſolitus erat, qui aetatis ratione ex Pythagoreorum, opinor, aut Chal-

daeo-

daeorum placitis ſupputata, hunc annum hominum vitae infeſtum praedicant, & abominantur. At circa extremum autumni anni MDCCXXXIV. de nocte ſubito anxietate quadam, & praecordiorum moleſtia correptus eſt; quam neque unde, neque quid omnino eſſet, ſatis intelligere primum potuit. Illa amplius menſem adflictatus eſt; quamvis modo aliquanto remitteret vis morbi, modo rurſus recrudeſceret, facto etiam nequidquam periculo nonnullorum remediorum: niſi quod ſemel urgente valetudine, ſubito conſilio venam ſecandam quum praebuiſſet, recepit nonnihil ſe ſe, & reſpiravit. Verum iam meliuſcule illi erat ex pectore, ut & cathedrae munus, & aegrorum curam obire ex parte poſſet, quum novus ſe prodit morbus; coli, renumque adfectio: quae dolore primum acerbiuſculo *Nicolaum* vexare coepit; tum eo ad intolerantiam exacerbato, uriniſque perparce fluentibus, ne ad extrema gradus fieret, dubitatum eſt: maxime quum funeſtum exemplum obverſaretur animo duorum eius fratrum ex urinae ſuppreſſione ſublatorum. Sed non id fatum magnum virum manebat. Subſtinuit hunc ſive coli, ſive renum laborem (nunquam enim liquido conſtitit) ad menſem fere, a pectoris interim adfectione vacuus, quaſi alio converſa vi morbi, atque ad inferiora derivata. At ſecus evenit; nam vix receſſerant ventris dolores, quum vetus flamma revixit. Neque iam cuiquam dubium, labem quampiam vix emendabilem aut cor, aut pulmones concepiſſe: intercurrebat enim, at-

que

que alternis ingruebat nunc cordis motus, nunc reſpirationis vitium. Sub hoc tempus initum eſt conſilium ruſticandi, ut corporis animique pariter vires reficerentur; quod ubi non omnino praeter votum ceſſiſſet, antequam fervidior tempeſtas iniret, Neapolim ſe recepit. Tum vero ita commodule habere viſus eſt, ut parum a priſtina valetudinis proſperitate abeſſet; melioraque porro ſperandi locum daret. Ad eum modum, nullo inteſtinae luis exſtante veſtigio, extremos quadraginta dies inoffenſos tranſegit. At poſtridie kalendas quintiles ſummo mane, quum adhuc in lectulo eſſet, vehementi ſubitaque ſpirandi difficultate oppreſſus eſt, qualem nunquam alias ſuperioribus menſibus fuerat expertus. Vbi levamentum in multis quaerens, nullum ſentit, conſurgit; ſuis innixus deambulat: quid verbis opus eſt? iam extrema inſtare, nec ſe praeſentiſſimae neci quavis ratione eripi poſſe intelligit: itaque implorata ſemel atque iterum divini iudicis indulgentia, protinus inter ſublevantium manus exanimatus eſt, ſub ipſum ſolis exortum. Explorato cadavere nihil uſquam vitii deprehenſum eſt, praeter quam in corde: nam huic pericardium arctiſſime adhaerebat, adnatumque erat, vix ut avelli potuerit; ex quo coniicere licet, hoc illi a vitae primordiis obtigiſſe. Sed longe gravior labes cordis interiora infeſtabat. Siquidem ſuccreverat in ſiniſteriore eius ſinu moles carnea oblongula, ex oppoſitis lateribus complanata, nuſquam adhaerens, ſed libere, quantum loci

anguſtiae concedebant, fluitans. Ea detecta facile ab omnibus intellectum eſt, cur diutius produci vita nequiverit: at negotium exquiſitius reputantibus ſane non liquebat, qui fieri potuiſſet, ut ab una eademque cauſſa eae variorum laborum viciſſitudines eſſent profectae, quibus per extrema tempora vir clariſſimus obnoxius fuerat. Viſum autem eſt nonnemini a poſitu diverſo & converſione (quaecunque demum eiuſmodi converſionis cauſſa ponatur) molis ad eum, quem diximus, modum figuratae, & mobilis, huic rei lucem aliquam adfundi poſſe. Nam prout carnea illa maſſula aut veneae pulmoneae oſtio incumbebat; aut in ipſa ſinus latera incurrebat, impedimentoque erat, ne ea facile coirent in ſyſtole; aut demum velut in ſe ipſa conſiſtens neutram in partem procurrebat; conſequebatur inde viciſſim nunc reſpirationis, nunc motus cordis perverſio; alias autem utraque moleſtia levatus vivebat non incommode. Sed haec hactenus. Vt eius exceſſus fama erupit, ad tanti viri iacturam omnes civitatis ordines, quaſi publica accepta calamitate, indoluerunt. Sed omnium uti maximus, ita iuſtiſſimus eius ex fratre nepotum luctus fuit; quos pietate ſibi deditiſſimos, praecipuo ſemper amore, indulgentiaque plane paterna complexus fuerat. Elatus eſt funere adparatiſſimo, inſignibus Comitis Palatini (qui honos conſummatis Profeſſoribus conſtitutus eſt) ornato, ſequente ampliſſimo Archiepiſcopo Theſſalonicenſi Studiorum Praefecto, cum univerſo Profeſſorum

col-

collegio ; conditusque coemeterio Fratrum Auguſtinianorum in Templo S. *Ioannis* ad Carbonariam, tumulo *Ladislai Regis*, multorumque illuſtrium virorum monumentis conſpicuo. Ibi praeceptori ſuo clariſſimo *Franciſcus Boncorius* marmoreum cenotaphium ponendum curavit cum epigraphe, cuius exemplum ad calcem huius commentarii reiecimus. Statura fuit pluſquam mediocri; vultu liberali & modeſto, ad comitatem compoſito; colore ſubpallido, oculis caeſiis. Habitus adoleſcenti gracilis, procedente vero aetate paulo obeſior; ita tamen ut dignitatem homini conciliaret. Valetudine uſus eſt varia; primum imbecilla, poſtmodum proſperiore. Quem bis in die ſumebat cibum, optime concoquebat, ut perraro de ſtomacho conqueſtus ſit: in menſa autem lauta, non ſumtuoſa inſtruenda delectum ad Medicinae praeſcriptum haud magnopere ſectabatur: potus, vini praeſertim, abſtinentior. Statas habebat certaſque diei partitiones, quarum rationem non temere pervertebat: erat autem ordo vitae eius huiuſmodi. A quinta fere ſomni hora evigilabat: tum vero, hiberno quidem tempore, lychno admoto in ipſo cubili lectioni aliquandiu vacabat: at per aeſtatem, antelucanae commentationi antemeridianam ſubſtituebat. Quod reliquum erat diei, eo demto, quod curando corpori ſatis eſſet, viſendis aegris, ſcholaſticaeque operae tribuebat. Quemadmodum autem diluculo domo prodire conſueverat, ita poſt ſolis occaſum nuſquam libentius, quam apud ſe erat. Et ſecunda quidem

dem noctis, ubi productior eſſet, tempora magnam partem ſtudio tranſigebat; prima vero, niſi quid prohiberet, curis gravioribus exſolutus, cum amicis traducere ſolemne habuit: tum vero, qualecunque incideret ad colloquendum argumentum, ſe prodebat *Nicolai* ſingularis venuſtas, leporque ſermonis: ſaepe mentionem interiiciebat eorum, quae ſcitu digna ex recenti lectione hauſiſſet: nonnunquam ſalſis facetiſque narratiunculis & ſuum, & audientium animos laxabat; nullum tamen ab eo ſcurrile dictum, nullum fatuum & inſulſum auditum unquam eſt: omnia concinnitatem, elegantiam, urbanitatemque viro docto & ornato dignam referebant. Muſicis etiam interdum exercitationibus id temporis indulgebat, nam hac quoque facultate & mirifice delectatus eſt, nec leviter erat inſtructus. Illud vero tum in conſuetudine eius, tum in omni pariter vitae actu erat commendatiſſimum, quod is, qui ſaepe ceteris anteſtabat omnibus, nil magis praeſeferret, quam ut unus e multis videretur; tantum ab omni inſolentiae & oſtentationis ſpecie abhorrebat. Munditiam & cultum amavit cum in veſtitu, tum in aedibus, ſed minime ad delicias. Gloriae neque cupidus fuit, neque contemtor. Porro, quod ad ingenii, litterarumque laudem attinet, fuit in *Cyrillo* ſumma atque admirabilis eloquentia, ad quam unice natus factuſque videbatur: nam, ut ab eo ordiar, vox ei clara & ſuavis, pronuntiatio venuſta atque expedita; quidquid demum actione con-

tine-

tinetur, elegans omne, & adpoſitum. Ad haec, ſive Italice loquendum eſſet, ut in ſcholaſticis exercitationibus, vocabula adhibebat propria, elegantia, eademque vulgatiora; exquiſita, atque ab uſu remota, in quibus ſcioli triumphare ſolent, niſi ſecus res poſtularet, conſulto declinabat: itaque docti pariter indoctique eius oratione capiebantur. Sed tanta haec vis orationis eius haud in ſterilem locutionis ſplendorem effundebatur: a mente potius ipſa optimis doctrinis adfluenti, quaſi a fonte, redundabat. Nam qui continenter a prima aetate probatiſſimorum quorumvis librorum lectioni ſe dedidiſſet, non poterat in quolibet argumento non optima & opportuniſſima comminiſci. Quamvis autem memoriae facultate non admodum polleret, ut conceptis verbis ne iuvenis quidem multum moliri potuerit; attamen res ipſas & doctrinas aliquando imbibitas, ex tempore memoriterque in uſum revocabat. Atqui fuerit eiuſmodi eloquentiae laus *Nicolao* communis cum aliis: illud plane ſingulare propriumque huius viri extitit, quod nullum ei tam vaſtum, involutum, aut exſuccum diſſerendi argumentum offerebatur, quod non inſito quodam mentis acumine ac perſpicientia comprehenſum haberet, explicaret, digereret, emolliret, ornaret; atque in lac verſum auditoribus veluti propinaret: quidquid exponendum adgrederetur, oculis audientium, quaſi picturam pulcherrimam, ſubiiciebat. Ad has praecellentes didaſcalicas virtutes accedebat ſtudium praecipuum,

quo auditorum eruditionem ac profectum urgebat; quorum gratia neque quidquam ſibi recondidit unquam; & quum opus eſſet ad humilia, primaſque adeo doctrinarum notiones perſequendas haud aegre ſe demittebat: itaque, ut in pauca conferam, digniorem opportunioremque Profeſſorem ne animo quidem informari poſſe ii ultro fatebuntur, qui eum e cathedra docentem vel ſemel audiverunt. Huiuſmodi autem orationis eius perſpicuitas & evidentia partim a natura repetenda eſt, nonnihil etiam a *Carteſii* imitatione; in cuius ſcriptorum commentatione primam aetatem pene totam contriverat. Cuius inſuper Philoſophi placitis auctoritatique tantum tribuebat, ut quamvis recentiorum Phyſicorum dogmata non leviter attigiſſet, ex iiſque multa probaret, adhuc tamen *Carteſianis* formulis & loqui, & ſcribere perrexerit, ſive ex conſuetudine, ſive ex proniore quadam voluntate; quod paſſim eius ſcripta teſtantur. Ceterum quum fuerit perpetuo ſtudiis deditus, praeter alia, quae ante memoravimus, haec inſuper documento ſunt. Adoleſcentulus non ſemel ex intentiſſima lectione animo defecit, adeo quidem, ut aliquandiu omnis ei librorum copia fuerit interdicenda, ne intempeſtivus litterarum amor incauto tirunculo fraudi eſſet. Quam ingenti pecunia comparaverat bibliothecam, librorum multitudine, & delectu ſupra privatam fortunam inſignem, non aedium ornamento, ſed amicorum, ſuaeque in primis quotidianae opportunitati dicaverat: in ea libentiſſime

me quidquid poterat diei exigebat: nec temere adfirmaverim nullum melioris notae librorum in ea fuiſſe, quem non aut penitus legendo excuſſerit, aut certe ex temporum ſuorum ratione evolverit. Hoc librorum coemendorum, verſandorumque ſtudium ad extremum uſque ſpiritum aluit auxitque: hinc noviſſime amicis rogantibus, ut libris ſepoſitis affectae valetudini parceret, reſpondere ſolitus erat: in illis unis totam ſolatii ſui rationem reliquam eſſe: ſinerent ſe ea, uti poterat, & uſquequo daretur, frui: legebat autem indiſcriminatim, ut quiſque a materiae utilitate, auctoriſque praeſtantia commendabatur, libros Medici, Philoſophici, Hiſtorici, Philologici, aut alius, etiam ludicri, argumenti, ſive Graece, ſive Anglice, ſive Gallice, ſive Hiſpanice ſcriptos: harum enim linguarum etiam uſum expeditiſſimum habebat. Illud inſuper hoc in genere ei familiare erat, exemplaria novorum librorum, peregrinorum praeſertim, antequam bibliopego traderet, per ſingula ſeorſum folia percurrere, atque ea ratione paucorum dierum moram praecoci diligentia fallere. Bibliothecae Muſeum adiunxerat, monumentis cimeliiſque omnis generis, pro ſuo rerum naturalium ſtudio, inſtructum. Ea partim pecunia, partim amicorum opera undique conquiſierat, & non ſine concinno ſumtuoſoque forulorum adparatu collocaverat. Haud poſtremum eius Muſei ornamentum erat ſupellex anatomica *Io. Baptiſtae Guarnerii* ſuperioris aetatis Medici ſollertiſſimi; ex qua, prout

Anatomicarum inſtitutionum curriculum poſtulabat, alias ſubinde humani corporis partes ſcholaſticorum multitudini die dicta domum ſuam confluenti exbibere ſolitus erat. Fuit item accuratus induſtriuſque vel a pueritia: venit ad manus meas commentariolum ab eo prima adoleſcentia conſcriptum, in quo ratio primorum ſtudiorum ipſius, facta quaedam domeſtica, aliaque maxime memorabilia ſuis temporibus conſignantur. Exſtant & libri Muſici bene multi, quorum alios ad expediendam eius artis intelligentiam propria manu iampridem exſcripſerat: reliquos omnes inter graviſſima negotia non multis ab hinc annis recenſuerat, digeſſeratque. Pietatis religioniſque ſtudium, quod puer rite hauſerat, per omnes vitae gradus fovit, praeſeque tulit; tum vero maxime, quum adfecta poſtremo valetudine mortalitatis quotidie admonebatur. Inimicitias ſimultateſque non facile ſuſcepit: ſi quid autem incidiſſet, quod tranquillitatem animi ſui tentaret, elucebat ut cummaxime mitiſſimum eius ingenium, quin & philoſophica animi magnitudo, humana omnia infra ſe putantis. E contrario amicos, quos litterarum honeſtatiſque laude ſpectatiſſimos, nec paucos, paraverat, omni officio, quoad vixit, coluit, caroſque habuit: quidquid auctoritate, aut conſilio poſſet, facile ſe totum eorum commodis devovebat. Ex iis plerique fato functi, non pauci bono rei publicae ſuperſtites; quos adpellare hic ſuperſedeo, ne ſi forte quempiam incautus praeteriero, mihi ipſe diſpliceam.

Sed

Sed enim lectiſſimorum eius amicorum par praetermittere non poſſum, *Nicolaum* ſcilicet *Capaſſium*, regium primarium iuris interpretem, & *Vincentium Hippolytum* nuper ſacri regii Conſilii Praeſidem (qui honos in iuridico conventu Neapolitano ſupremus eſt, & habetur) renuntiatum; viros principem in republica litteraria locum merito ſuo adſequutos; quibuſcum *Nicolaus* a puero ad ſupremum uſque diem ita vixit, ut cum fratribus cariſſimis vivere nequiſſet coniunctius. Par tribus aetas, par honeſtatis bonarumque artium ſtudium: cum *Capaſſo* autem patriae inſuper accedebat communio. Nihil cuique eorum iucundius, quam una eſſe; itaque non ſine fato eveniſſe puto, quod pridie quam *Cyrillus* occumberet, eum *Hippolytus* convenerit, primamque eius noctis vigiliam, quae amico futura eſſet extrema, hilariter ſecum traduxerit. Certe hic eius rei memoria ad praecipuam ex tam cari capitis deſiderio maeroris partem vocari ſe, non verbis modo ſed re ipſa, ſaepe profeſſus eſt. Non ſolum autem viros litterarum profeſſione claros, ſed & eximios quoslibet artifices amavit, & complexus eſt; ut qui ad interiorem eius familiaritatem admittebantur, haberent apud cives teſtimonium quoddam, ac veluti teſſeram ingenuitatis atque virtutis. Et haec quidem domi. Verum & externorum litteratorum, praeſertim Medicorum, amicitia plauſuque claruit. *Ioannes Maria Lanciſius* Archiater Pontificius *Cyrilli* ingenio magnopere delectatus eſt; de quo ampliſſimum teſti-

ſtimonium apud ipſum reddiderat vir ſummus, *Cyrilloque* etiam amiciſſimus, *Carolus Maiellus* (nunc Archiepiſcopus Emiſſenus, ſummoque Pontifici a ſecretis Brevium ad viros Principes) confirmaverantque *Nicolai* epiſtolae Medici argumenti ad illum datae. Quare & exemplar ſuorum operum *Cyrillo* dono miſit, & cum *Clemente* XI. ſpectatiſſimae ſapientiae Pontifice Maximo tam magnifice de eo loquutus eſt, ut Metallothecae *Michaelis Mercati* ſuis auſpiciis ſplendidiſſime excuſae exemplum *Cyrilli* Muſeo Pontifex deſtinaverit: *De Garellio* autem Caeſareo Archiatro, qua ſcilicet voluntate in *Cyrillum* fuerit, & ſi ſatis declarant quae ſupra a nobis allata ſunt; ii tamen, quibus utriuſque animus cogitationeſque patuerunt, longe praeclarius neceſſitudinis exemplum inter eos interceſſiſſe confirmant, quam ut ex huiuſmodi officiis metiri quiſquam poſſit. De *Iſaaco Nevvtono* allatum eſt, quoties *Nicolai* ephemerides in conſeſſu Londinenſis Societatis recitarentur, ex tam tenui monumento accuratiſſimi auctoris ingenium odorari ſolitum, palamque laudare. Praeterea mutuis officiis & epiſtolis *Nicolai* cum *Ioanne Baptiſta Tillio* Profeſſore Piſano, *Antonio Valliſnerio* Profeſſore Patavino, *Ioſepho Montio* Profeſſore Bononienſi, aliiſque viris doctiſſimis amicitia viguit: nulluſque adeo litterarum fama clarior per hos triginta fere annos Neapolim attigit, quin eius viri familiaritatem, vel certe notitiam, ceu magnum peregrinationis fructum, cupide quaeſierit: qua ratione *Cy*-

rillo

rillo innotuerunt *Petrus Aſſaltus* Romanus, *Petrus Antonius Michaelius* Florentinus, *Auguſtus Hugo* Hannoverenſis, *Iacobus Sherardus*, & *Thomas Shavvius* Angli, Eques *Deſiderius* Monſpelienſis; exſtantque eorum litterarii commercii monumenta complura. Eſt & illud paucis quidem compertum, at teſtimonio virorum primariorum confirmatum; ante aliquot annos ad graviſſimam provinciam ampliſſimis praemiis propoſitis *Nicolaum* fuiſſe invitatum: quam tamen promovendorum commodorum ſuorum honeſtam plane occaſionem, & quod patria excedendum eſſet, & aliis maxime de cauſſis, quas eloqui non attinet, elabi non aegre paſſus eſt. Quibus argumentis intelligere quiſque poteſt, *Nicolai Cyrilli* virtutibus plauſum gratiamque non defuiſſe: at qui hominem penitus noverunt, facile, opinor, nobiſcum conſtituent: eiuſmodi benignitate fortunae & multos ante ipſum uſos eſſe, & non paucos deinceps uſuros: ſed tantam ingenii, doctrinae, probitatis complexionem poſteritati non facile ſuppetituram.

LV-

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS.

Auctore Anonymo.

Ludovicus Antonius Muratorius*, natus eſt ex honeſtis parentibus XII. Kal. Novembris anno Chriſtianae Epochae MDCLXXII. *Vineolae*, in illuſtri Oppido Mutinenſis Ducatus, unde praeter alios ex literis claros viros prodiit *Iacobus Barocius*, cui adgnomen *il Vignola*, celebris Architectonices reſtaurator. Mutinam ſtudiorum cauſſa miſſus, Grammaticam, & humaniores literas, ſibi paravit ſub Patribus Societatis Ieſu, tum in Academia Mutinenſi Philoſophiae, utrique Iuri, ac Theologiae operam dedit, Doctoralem Lauream ſubinde conſequutus. Vt patris ſui deſiderio obſecundaret, iam Eccleſiaſticae militiae adſcriptus Theologiam morum ſibi praecipuum ſcopum propoſuit; praevalentibus tamen amicorum conſiliis, qui ex legum ſtudio maiores proventus pollicebantur, ad earum praxim ſe contulit. Verum nullam voluptatem ex Morali Theologia, taedium potius ex leguleiorum diſſidiis percipiens, ad Poëtices, ad Philoſophiae Moralis, praeſertim Stoicae, atque ad antiquae eruditionis ſtudium, ſenſim raptus declinavit, ibi delicias, ut ſibi videbatur, nactus. Grecae quoque linguae, nullo Magiſtro uſus, non levem ſibi ſupellectilem procuravit. Duos & viginti annos vix natus, ab ampliſſimo viro Comite *Carolo Borromeo* Medio-

diolanum inſperato accitus fuit, & ad Ambroſiani Collegii, ſimulque inſignis Bibliothecae Ambroſianae, curam admotus. Nil gratius contingere *Muratorio* poterat, quum aliud nobile id munus non expoſcat, quam literas excolere, eaſque illuſtrare. Quare ſtatim ad iuviſendos Codices MSS. quibus eadem Bibliotheca abundat, ſolicite convolans, nondum aetatis ſuae vigeſimum quintum annum compleverat, quum quatuor *Sancti Paulini Nolani* Poëmata hactenus deſiderata, ſuiſque Notis & Diſquiſitionibus aucta, anno MDCXCVII. Mediolani luce donavit. Primus hic illius foetus gratiam & benevolentiam ei conciliavit incomparabilis Cardinalis *Noriſii*, *Ciampini*, *Magliabechii*, *Mabillonii*, *Montfauconii*, *Papebrochii*, aliorumque tunc rei literariae procerum. Tres alios deinde Tomos ex *Anecdotis Latinis* in praelaudata Bibliotheca repertis, & unum ex *Graecis*, Latio a ſe donatis, compoſuit, variiſque temporibus, partim Mediolani, partim Patavii evulgavit. Plura is in eadem urbe meditabatur, quum anno MDCC. *Rainaldus Eſtenſis* Dux Mutinae eum in patriam revocavit, ut ſuae Bibliothecae atque Archivo praeficeret: quo munere adhuc ille fungitur. Civitatem *Comaclenſem* iamdiu eripuerat Romanus Pontifex Eſtenſibus Principibus, quamquam ab aliquot ſaeculis ab uno S. R. Imperio eiuſdem inveſtituram Eſtenſis progenies acciperet. Sed anno MDCCVIII. *Ioſeph* Romanorum Imperator recepta civitate, iuri ſuo atque Eſtenſium conſuluit. Hinc acerrima lis oborta inter Ca-

meram

meram Pontificiam, & Mutinae Ducem, quae primo armis agitanda videbatur, tum calamo tantum agitata fuit. Pro Pontifice in aciem prodierunt *Laurentius Zacagnius*, & *Iuſtus Fontaninius*, viri clariſſimi; pro Duce Mutinenſi non uno libro pugnavit *Muratorius*, & lis adhuc nullo conſtituto iudice pendet. Erat ſummopere cordi *Muratorio* eruditio medii aevi, ac de ea exornanda multa ille animo verſabat. Hunc in finem anno MDCCXIV. & MDCCXV. varias Italiae provincias peragravit, praeclarioraque Eccleſiarum Tabularia inviſit, e quibus uberrimam ſane veterum Chartarum copiam in uſum ſuum deſcripſit. Mutinam regreſſus anno MDCCXVI. Praepoſituram Parochialis Eccleſiae Sanctae *Mariae de Pompoſia* non recuſavit, ut ſibi commodior campus foret inſerviendi etiam Deo, & proximorum ſaluti. Quum vero nemo antea conſilium cepiſſet de congerendis in unum corpus antiquis Italiae Hiſtoriis, ille ingens opus adgreſſus eſt in utilitatem praecipue rei Literariae. Quamobrem tum editos, tum quam plurimos nondum vulgatos, *Rerum Italicarum Scriptores* undique ſummo labore conquiſivit, editos cum MSS. Codicibus contulit, omnes Praefationibus, quoſdam etiam Notis, auxit. Excrevit opus Mediolanenſibus Typis editum ad XXVII. Tomos in folio: quo fortaſſis exemplo permoti Gallicae gentis eruditi, nunc & ipſi inſtruunt ampliſſimam ſuorum Hiſtoricorum Collectionem. Alterum opus deinde *Muratorius* adripuit, hoc eſt *Antiquitates Italicas medii aevii*, ſive eruditionem

ſae-

ſaeculorum rudium poſt declinationem Imperii Romani pro viribus illuſtrandam. Ibi argumenta varia tum profana tum ſacra pertractata ſunt, videlicet de Principibus, de Legibus, de Militia, de Moribus, de Mercatura, de Lingua, aliiſque ritibus olim in Italia uſurpatis, atque ad eorum confirmationem adhibita ab ipſo fuit immanis copia Diplomatum & Chartarum veterum, atque Opuſculorum numquam antea editorum, ex quibus non parum lucis accedere poteſt ad Hiſtoriam non tantum Italiae, ſed & Galliae, atque Germaniae. Tomos V. huius Operis in folio, editos Mediolani, hactenus Eruditi acceperunt. Vnus ſupereſt brevi lucem viſurus. Meditatus quoque, immo & pollicitus, fuerat *Muratorius* iuvenis ditiſſimam *Antiquarum Inſcriptionum Syllogen*, Gruterianae, Reineſianae, & Fabrettanae addendam. Is demum fidem ſuam liberavit, editis iam tribus Tomis in folio, quibus & quartus, hoc eſt poſtremum, accedet. Improbaverat ille iamdiu ſub nomine *Lamindi Pritanii* eorum licentiam, qui votum concipiunt de dando ſanguine & vita pro tuenda ſententia de immaculata conceptione Deiparae, quum adhuc eadem incerta ſit, neque ad Fidei dogmata pertineat. Poſt aliquot annos, ſcilicet anno MDCCXXIX. ob hanc rem exarſerunt Panormitanorum plerique, & pro ſanguinario eodem voto certavit libro edito *Candidus Parthenotimus*. Cenſuram ſuam ſub nomine *Antonii Lampridii* altero libro confirmavit *Muratorius*. Emerſerunt deinde complures Siculi Scriptores

res adverſus ipſum, quos omnes ille refellendos cenſuit ſub nomine *Ferdinandi Valdeſii*. Noviſſimus hic liber propediem luce donandus creditur. Ceterum *Muratorius* quamquam cum imbecilli valetudine perſaepe conflictatus, annum tamen ſeptuageſimum aetatis ſuae attigit, & nunc agit; & quamvis ab aliquot annis oculorum morbo laboret, nihilominus Deo favente iiſdem ita utitur, ut perſpicillorum ſubſidium implorare nondum ei opus fuerit. Pleraeque in Italia Academiae, atque ipſa Regia Londinenſis eumdem in ſocium ſuum adſcivere. En catalogum librorum, quos hactenus publici iuris fecit.

Vita e Rime di Carlo Maria Maggi Tom. V. in 8. in Milano.

Anecdota Latina ex Ambroſianae Bibliothecae Codicibus. Mediolani & Patavii Tomi IV. in 4.

Anecdota Graeca ex eiſdem Codicibus. Tom. I. in 4. Patavii.

Della perfetta Poeſia Italiana. Tomi II. in 4. in Modena, e Venezia.

Rime del Petrarca colle Annotazioni del Taſſoni, e Muratori. Tom. I. in 4. in Modena e Venezia.

Introduzione alle Paci private. Tom. I. in 8. in Modena.

Governo della Peſte Politico, Medico, ed Eccleſiaſtico, colla Relazione della Peſte di Marſiglia. Tom. I. in 8. in Modena, Torino, Breſcia &c.

Vita

Vita del P. Paolo Segneri iuniore della Compagnia di Gesù. Tom. I. in 8. in Modena.

Eſercizi Spirituali ſecondo il metodo del P. Paolo Segneri iuniore. Tom. I. in 8. in Modena, Venezia, e Milano.

Vita di Lodovico Caſtelvetro, e ſue Opere Critiche. Tom. I. in 4. in Milano.

Della Carità Criſtiana, in quanto è amore del Proſſimo. Tom. I. in 4. in Modena, e Venezia.

Filoloſia Morale. Tom. I. in 4. in Verona, Milano, e Napoli.

De Paradiſo contra Burnetum Anglum. Tom. I. in 4. Veronae.

Antichità Eſtenſi, in cui ſi pruova la diſcendenza della Real Caſa di Brunſvic, e de i Duchi di Modena, dal medeſimo ſtipite. Tomi II. in foglio in Modena.

Oſſervazioni	)	
Supplica all' Imperadore	)	*Per la lite di*
Quiſtioni Comacchieſi	)	*Comacchio, in*
Piena Eſpoſizione	)	*foglio in Modena.*
Diſamina	)	

Motivi di non credere ſcoperto il Corpo di S. Agoſtino. Tom. I. in 4. in Lucca.

Primo Eſame dell' Eloquenza Italiana di Monſignor Fontanini. Tom. I. in 4. in Milano.

Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione in religionis negotio. Tom. I. in 4. Lutetiae Pariſiorum, Coloniae, & Venetiis.

Lamindo Pritanio del buon guſto nelle ſcienze e nelle arti. Tom. I. in 4. in Napoli, e Venezia.

Leſcii Crondermi, & *Franciſci Diroyſii lucubrationes adverſus Ianſenium cum Praefatione Muratorii*. Tom. I. in 4.

Epiſtola ad Leibnitium V. Cl. de connexione Familiae Brunſvicenſis & *Eſtenſis*, *ab eo edita inter Scriptores Rer. Brunſv.*

Vita del Marcheſe Orſi in 8. *in Modena*.

Vita di Aleſſandro Taſſoni in Modena, *e nell' edizione della Secchia Rapita in Venezia*.

Caroli Sigonii vita praefixa eius Operibus. *Tomo* I. *edit. Mediolanenſis*.

Franciſci Torti Vita, *inter eius Opera Medica*. *Venetiis*.

La Vita di Franceſco de Lemene, *fra le Vite degli Arcadi*.

Rerum Italicarum Scriptores ab anno 500. *uſque ad* 1500. *Tomi* XXVII. *in fol. Mediolani*.

Antiquitates Italicae medii aevi. *Hactenus prodierunt Tomi V. in fol. Mediolani*.

Theſaurus novus veterum Inſcriptionum. *Hactenus prodierunt Tomi* III. *in fol. Mediolani*.

Antonii Lampridii de ſuperſtitione vitanda, *ſive Cenſura Voti Sanguinarii pro Immaculata Conceptione Deiparae*. *Tom.* I. *in* 4. *Venetiis*.

Nunc ſub prelo eſt eius Liber, cui titulus:

De i Difetti della Giuriſprudenza.

Brevi quoque typis tradendae creduntur Epiſtolae ab eo ſcriptae ſub nomine *Ferdinandi Valdeſii*, ſive *Appendix ad Cenſuram Voti Sanguinarii*.

Annali d' Italia dall' anno primo dell' Era Criſtiana ſino al 1500. *in* 4. *in Venezia*. Tomi duo iam ſunt impreſſi. Reliqui identidem imprimentur.

BE-

BENEDICTVS BACCHINIVS.

BEnedictus, priori nomine *Bernardinus*, *Bacchinius*, *Alexandro Bernardini F.* & *Iohanna Martinia* Parmenſi, parentibus honeſtis natus eſt anno MDCLI. pridie Kal. Septembr. in urbe, quae *Burgum Sancti Domnini* dicitur, Mutinenſis ditionis. Bimulus Parmam una cum tota familia delatus eſt, quum *Bernardinus* avus, qui totam paene domeſticam ſubſtantiam ſua prodigalitate diſſipaverat, occubuiſſet. Quamquam vero anguſto brevique cenſu domus eius ſtaret, nihil tamen pater omiſit ut honeſte puer liberaliterque inſtitueretur, & apud Ieſuitas per quinquennium Latinam linguam, & humaniores litteras, edoctus eſt. Anno aetatis decimo ſeptimo ineunte in D. *Ioannis Evangeliſtae* coenobio Parmae Monachicum habitum induit, & inſequenti ſolennibus votis ſe obſtrinxit, *Benedicti* nomen adſumens; quo etiam pater eius defunctus eſt, rem domeſticam adeo peſſumdatam relinquens, ut id deinceps *Benedicto* multarum aerumnarum cauſſa fuerit. Monachus effectus, Philoſophia Scholaſtica inſtituendus *Mauritio Zapatae*, eiuſdem ordinis Philoſopho doctiſſimo, traditur. Magiſtrum, quem vocant, novitiorum habuit *Chryſogonum Fabium*, quo auctore, ne arguto ratiocinandi more, quem Scholaſtica ſervat, fallacique & ſophiſtica diſſerendi ratione mens eius, dum Logicae operam dabat, inficeretur, Geometricis *Euclidis* elementis, & Ma-

thematicis demonſtrationibus, ſtuduit. Hinc intelligens Mathematices fundamentis novum philoſophandi genus a ſapientioribus invectum maxime niti, dum in Phyſicam, & quae Poſtnaturalia nuncupantur, in ſchola incumberet, in cella privatim recentiorum placitis percipiendis vacavit. Ita comparatus, anno aetatis ſuae undeviceſimo Philoſophicas Theſes laudabiliter propugnavit; atque ad Theologiae curriculum peragendum ſub *Epiphanio Deſu*, celebri huius ſcientiae doctore, promotus eſt. In hoc rerum divinarum ſtudio magis, quam antea in Philoſophicis, a ſophiſtica ſcholarum ratiocinatione cavendum ratus, Theologiam Metaphyſicis quaeſtionibus ita implexam, ut Ariſtotelica potius quam Chriſtiana videretur, Sanctorum Patrum ſententiis, Conciliorum conſtitutionibus, & certa dogmatum Orthodoxorum notitia correxit, ampliavit, perfecit; quum propterea Eccleſiaſticae hiſtoriae ſedulo accurateque operam navaviſſet. Anno aetatis tertio ſupra viceſimum univerſae Scholaſticae Theologiae Theſes defendit, & a Scholaſticis caſtris miſſionem obtinuit. Iam coenobii Abbas docendae Philoſophiae provinciam ei demandare cogitabat; a qua quidem *Benedicti* animus vehementer abhorrebat, quia in illa, ut ſaepius dictitare conſueverat, & quidquid dicitur, licet recte adfirmetur, impugnari debet, & aliqua in contrarium adlata ratione vinci indecorum eſt, & piaculare facinus exiſtimatur. At obſtitit inter alia Abbatis conſilio infirma *Benedicti* valetudo, & macies corporis tabem

tabem minitans, qua ob auſteriorem Monachicae regulae obſervantiam laborabat; quare Medicis auctoribus, quum iam ſacris ordinibus initiatus eſſet, ad monaſterium Turclarenſe, novem ferme milliaribus Parma diſtans, miſſus eſt, in quo iam ante centum annos *Iſidorus Clarius*, Epiſcopus pietate ſcriptiſque editis clariſſimus, a ſimili morbo convaluerat. Ibi itaque *Bacchinius* etiam clementioris aeris praeſidio brevi convaluit, & duorum fere annorum ſpatio moratus cum Muſicen didicit, tum ad ſacrum concionandi munus ſe paravit. Sed *Angelus Maria Arcionius* coenobii D. *Benedicti* Ferrariae Abbas, vir Architectonices & Poeſeos Italicae periti ſſimus, eum annum viceſimumſextum agentem, ut ſibi ab epiſtolis eſſet, ex Turclarenſi otio arceſſivit; & poſt tres menſes, quum *Arcionius* ad Monaſterii Arretini praefecturam translatus eſſet, *Bacchinius* anno MDCLXXVIII. in Etruriam primum venit, ibique concionibus feriis eſurialibus habendis ſe exercuit, donec anno inſequenti Venetias cum *Arcionio* contendit, ubi generalia comitia a ſui ordinis Monachis habebantur, in quibus concionem ad Patres congregatos habuit; & *Arcionius* Praeſes univerſi ordinis ſupremus renunciatus eſt. Quare translato ad S. *Xyſti* Placentiae coenobium Praeſide *Arcionio*, illuc *Bacchinio* quoque migrandum fuit. Defuncta tunc quum eſſet *Margarita Medicea*, *Rainutii* Parmae Ducis mater, *Bacchinius* in ſolennibus exſequiis funebri oratione eam laudavit, eiuſque oratio typis excuſa

 eſt.

eſt. Anno MDCLXXX. Patavii, ſequenti Florentiae, tempore Quadrageſimae, concionatus eſt; atque inde Venetias ad generalia ordinis ſui comitia, in quibus pariter orationem habuit, iterum profectus eſt. At dum Florentiae degit cum celeberrimo *Ant. Magliabechio*, & ampliſſimo *Henr. Noriſio*, amicitias contraxit: & a *Noriſio* quidem ſuis deinde *Milite Plautino*, *Diſſertatione in Garnerium*, & *Quinquaginta ſomniis Macedi*, *Magliabechio* tranſmittente, donatus eſt. Ex eo tempore plurium litteratorum amicitiis *Bacchinius* frui coepit, & munus concionatoris indignari, quod ſibi impedimento eſſet ne ſtudiis gratioribus totus incumberet. Interim a Placentino Monaſterio ad Ticinenſe transfertur Abbas *Arcionius*, ac demum anno MDCLXXXIII. ad Parmenſe D. *Iohannis Evangeliſtae*; eaque occaſione *Bacchinius* Parmam reverſus ab *Arcionio* tandem obtinuit ut praedicationis munus abiiceret, & totum, quantum licebat, profanae & Eccleſiaſticae Philoſophiae ſe devoveret. Itaque primum componendae coenobii Bibliothecae, plurimis iiſque optimae notae libris refertae, ſe dedit. Ea ordinata, veteris Eccleſiaſticae eruditionis, & Sacrae Philologiae ſtudiis animum intendit; nam & Graecas litteras callebat, doctiſſimo *Ioanne Baptiſta de Miro* Abbate Caſinenſi praeceptore uſus; & Ebraicam litteraturam ſub *Rainutio Conſtantio*, ex Ebraeo Chriſtiano Neophyto, ſibi comparaverat. Tunc Parmae Cenſorum religionis Conſultor, & paucos poſt annos in Synodo Dioeceſana Examinator renun-

ciatus eſt. Anno MDCLXXXVI. Italiae Bibliothecas & archiva luſtraturi, *Ioannes Mabillonius*, & *Michael Germanus*, Monachi Benedictini Galli doctiſſimi, Romam & Neapolim venerant, & in reditu in monaſterio Parmenſi per tres dies ſubſtiterunt, quum eos Abbas *Arcionius* per litteras invitaſſet; qui quidem Monachi *Bacchinium* ea occaſione cognitum maxime probaverunt. Hoc autem eodem anno, *Gaudentio Robertio* Carmelita Parmenſi ſuadente, *Bacchinius* Ephemerides litterarias ſcribere adgreſſus eſt, ut quae Romae ante aliquot annos edebantur, & fieri deſierant, ſuppleret atque continuaret. *Parmenſes* igitur *Ephemerides* editae ſunt, ſed ſine *Bacchinii* nomine, quo in partem laudis veniret *Gaudentius*, qui expenſas ſufficiebat & libros. *Ephemerides* hae uſque ad annum MDCXC. Parmae editae ſunt. Eo temporis intervallo *Bacchinius* a *Leone Strozza*, Patricio Romano rogatus, diſſertationem de Siſtris elucubravit; ediditque etiam *Helenae Corneliae Piſcopiae* commentationes, vita eiuſdem virginis Latine praemiſſa. *Gaudentio* quoque morem geſturus ſpecimina quaedam Anatomes e Gallica lingua in Italicam vertit. Multa quoque alia in ſacra & profana Philologia conſcripſit, quae in vulgus prodere noluit. Illud autem iucunda commemoratione dignum, quod Abbatem quemdam, *Theodorum de Amadeno* nomine, *Farneſiae* gentis genealogiam ab Arca Noe fabuloſe deducentem, & ideo a docto Ieſuita merito vapulantem, egregie, ipſius Sereniſſimi Ducis iuſſu, Abbatis ſtertentis potius,

tius, quam ſcribentis ſomnia revincens, luculente ac feſtive confutavit. Dum haec fierent, Placentiae Abbas *Arcionius* anno MDCLXXXIX. aetatis ſuae LXXXV. moritur; quare, mutata rerum facie, tranquillo otio *Bacchinius* amplius uti non potuit; ſed excitatis adverſus eum turbis quod Parthenopem D. *Alexandri* Parmenſem melius procurare ſuſcepiſſet, anno inſequenti ad monaſterium Padolironenſe deductus, poſtea Bononiam, ac deinde Mediolanum miſſus eſt, ubi *Franc. Mediobarbi*, Patricii pereruditi, conſuetudine uſus, eius eimeliarchium, & abſolutam ſatis Bibliothecam, contemplatus eſt; donec ad coenobium Padolironenſe reverſus manuſcriptos codices, qui ibidem plurimi ſervantur, & celebre archivum excuſſit, rogatuſque a *Simone Bellinzanio* Abbate notitias ad origines coenobii ſcribendas opportune paravit. Id dum agit, Mutinam vocatur a *Franciſco Atestino* Duce, qui de *Bacchinii* migratione ab amicis eius doctiſſimis, *Bernardino Ramazzinio*, & *Iacobo Cantellio* monitus, eum ad ſe arceſſiri iuſſit; quare Mutinae hoc eodem anno degere coepit; & ſequenti tres Dialogos edidit de conſtantia in adverſis, de dignitate tuenda, de amore erga rempub., licet ſub Anonymi titulo *Iacobus Cantellius* eos vulgaverit. Eruditis rogantibus, & laudato *Gaudentio Robertio* promovente, anno MDCXCII. Ephemerides litterarias denuo ſcripſit uſque ad totum annum inſequentem, quo *Gaudentius* e vivis exceſſit. Hinc laudatus ſcribendi labor per duos annos intermiſſus, donec adſum-

ſumtus eſt iterum anno MDCXCVI. & ſequenti, atque ita opus univerſum novem tantum voluminibus comprehenſum, quod qui impenſas ſufficeret, amplius non eſſet. Interim publicus ſacrarum litterarum Profeſſor in Bononienſi Archigymnaſio renunciatur, ad quod munus exercendum quum adgreſſus fuiſſet, amplius deinde redire detrectavit, quod ſtipendio nimium tenui conductus fuiſſet. Quum anno MDCXCIV. *Franciſcus* II. Dux Mutinae naturae conceſſiſſet, ſucceſſiſſetque in imperio *Rainaldus*, tunc S. R. E. Cardinalis, mirum quantis is qualibuſque beneficiis *Bacchinium* obſtrinxerit. Anno item MDCXCVI. edidit *Bacchinius* hiſtoriam Monaſterii Sancti *Benedicti* Padolironenſis, Italico idiomate, in qua omnia fere certiora inſeruntur, quae ad clariſſimam immortaliſque memoriae heroida Mathildem ſpectant, reiectis fabulis. Plura ad eiuſdem hiſtoriae continuationem paraverat, ſed quominus tomus alter ederetur obſtitit veritas ſine fuco in propatulo collocata, quae in primo Tomo auctori odium & invidiam pepererat. Sub eiuſdem anni exitum iter litterarium adgreſſus eſt, *Eraſmo Gattola* Caietano, optimo amiciſſimoque viro, ſumtus ſuppeditante liberaliter; & tunc Florentiam venit, & cum *Magliabechio* cariſſimo iucundiſſime congreſſus eſt; deinde ad Montem Caſinum recta contendit, ubi duobus fere menſibus moratus dulci ac familiari *Gattolae* conſuetudine fruitus eſt. *Severinus Pepe* Abbas, aliique Monachi, ut chartas celeberrimi archivi, & manuſcriptos Bibliothecae codices perluſtraret perhumaniter conceſſere, & ut apo-

apographa ſecum deferret lubenter adnuerunt. Neapolim inde ſe contulit, Nolaque viſa ad Monaſterium Cavenſe pervenit, cuius archivum inſtructiſſimum conſideravit, & excuſſit; Neapoli poſtea diſcedens Averſae per tres dies conſtitit, ex cuius coenobii archivo plura ad Capuae Principes ſpectantia notatu digna collegit. Romam tamdem delatus inſigniores Bibliothecas & Muſea inviſit, & *Ioannem Baptiſtam de Miro* veterem amicum, *Ciampinium*, *Strozziumque* convenit. Ad Monaſterium quoque Farfenſe Roma perrexit, quo tandem reverſus & Mutinam cogitans, a *Cardinali Aguirrio*, viri eruditione capto, & qui eum in ſuis aedibus exceperat, inſuperque ſategerat, ut Vaticanae Bibliothecae cuſtos eligeretur, ſed fruſtra, duas adhuc hebdomadas detinetur. Mutinam tamdem reverſus, quum *Iacobus Cantellius* fato functus eſſet, a *Rainaldo* Duce Bibliothecae ſuae ſervandae praeficitur; cuius libros recenſens, & ſeorſim ab editis manuſcriptos codices collocans, incidit in *Agnelli* Ravennatis ineditum Pontificale, quod deinde diſſertationibus & obſervationibus illuſtratum publico bono edendum curavit. Interim occaſione ex Agnelliano labore nata, diſſertationem de Hierarchiae Eccleſiaſticae originibus anno MDCCIII. Mutinae edidit. Anno vero inſequenti Prior monaſterii Mutinenſis electus eſt, de quo honore *Rainaldus* Dux litteris dati *Bacchinio* humaniſſime gratulatus eſt. Ob hus iuſmodi egregia opera *Bacchinius* eruditorum fere omnium laudem & commendationem meruerat, & *Mabillonius* iam ac *Monsfalconius*,

Pa-

Papeprochius, *Ariſius*, *Muratorius*, *Tollius*, *Iunckerus*, *Cinellius*, *Baelius*, *Meibomius*, Lipſienſes Ephemerides, aliique, eius doctrinam, & caſtigatam multiplicemque eruditionem iure celebraverant, quum nullum fere adverſarium habuiſſet; niſi quod *Michael Benvenga*, quum libri ſui ſtilus cenſura in Parmenſibus Ephemeridibus vexatus fuiſſet, Apologiam ſcripſit, quam *Bacchinius*, mitiſſimi ingenii vir, Ephemeridibus ſuis inſertam denuo typis vulgavit, nullo adiecto reſponſo. Anno MDCCV. in Mutinenſi Monaſterio coetum litterarium inſtituit, in quo iuvenes Monachi, ingenio praeſtantes, in ſtudiis eccleſiaſticis exercerentur, quos & Graeca & Ebraica lingua, ac ſacra hiſtoria ac Philologia diligenter erudiebat. Hoc eodem anno celebres *Iſidorii Clarii* Epiſtolas, ſub Abbatis & Monachorum S. *Ioannis Evangeliſtae* Parmenſium nomine, vulgavit. At quum Pontificale *Agnelli Ravennatis* a ſe illuſtratum Cenſorum Sacrorum examine Romae expenderetur, quibuſdam obortis difficultatibus, ut eas de medio tolleret, Romam *Bacchinius* anno ſequenti ſe contulit. Hic Cardinalis *Thomaſii*, tunc Clerici tantum regularis, Cardinalis *Ferrarii*, *Iuſti Fontaninii*, & *Dominici Paſſionei*, nondum Cardinalis, virorum eruditione clariſſimorum praeſidio ac favore, facultas ei librum vulgandi tamdem conceſſa eſt, quod Mutinae anno MDCCVIII. exſequutus eſt; quo etiam anno Abbas Monaſterii *Sanctae Mariae Lacromae* Raguſii creatus eſt, quo tamen numquam proficiſci voluit. Anno MDCCIX. quum controverſia de Sancti *Creſcii*, & Sociorum Marty-

rum

rum actis inter *Ger. Capaſſium*, *Iacobum Laderchium*, & *Mar. Anton. Mozzium* agitaretur, Hypercriſin quamdam ea ſuper re ſcripſit, in vulgus tamen prodere *Coſmae* III. Magni Etruriae Ducis auctoritate prohibitus eſt; eademque occaſione epiſtolam de eorumdem Sanctorum hiſtoria a *Mozzio* ſcripta ad *Virginium Valſechium* dedit. Sed anno MDCCXI. Abbas coenobii S. *Petri* Mutinenſis renunciatus eſt, cuius procurationem biennio geſſit. Eodem anno Archivum monaſterii S. *Xyſti* Placentini luſtravit; idemque de Archivo monaſterii Bobienſis meditabatur, ſed morbo impeditus eſt ne perficeret ipſe, qui ad hoc Abbatis *Caeleſtini Aurificis* opera ea de cauſſa uſus eſt. Anno MDCCXIII. ad Regienſe S. *Petri* coenobium translatus fuit, ubi integrum ſexennium ſubſtitit; quo tempore pernicioſas adverſus Romanam Eccleſiam *Iacobi Picenini* lucubrationes, *Ioſepho Olgiato* Epiſcopo Novocomenſi auctore, confutare adgreſſus eſt, Epiſtolis quibuſdam ſcriptis, quae Romae non ſatis probatae fuerunt, adeoque ab eo ad deſtinatum XVIII. numerum non continuatae; quae tamdem poſt eius obitum anno MDCCXXXVIII. quinque numero typis publici iuris factae ſunt. Romanorum tamen Cenſorum obiectionibus ipſe docte reſpondit, eaſque pro virili portione diluit; quae quidem reſponſa in calce earumdem Epiſtolarum edita ſunt. Sexennio igitur ſuae Regienſis Coenobii adminiſtrationis exacto, Abbas Monaſterii S. *Columbani* Bobienſis electus eſt. At ibi *Bacchinius* aerem ſibi inſalubrem expertus, & cum illius urbis Epiſcopo varia diſſidia ac

con-

controverſias exercens, in graves morbos incidit, a quibus ut convaleſceret Placentiam primum, deinde Patavium conceſſit; in quarum urbium altera, ingruentem mortem diſtulit, cura praecipue egregii Medici, *Antonii Valliſnerii*, ſibi amiciſſimi; & virorum doctorum conſuetudine ac familiaritate iucundiſſime uſus eſt, reliqua tempora archivo monaſterii Patavini ordinando laudabiliter impendens. Aſt anno MDCCXX. ut Patavio diſcederet, & a caris amicis, eruditiſque viris, divelleretur oportuit, & Ferrariam profectus eſt, quo libros rariſſimos & plurimi faciendos ſecum detulit. Ibi archivum monaſterii S. *Benedicti* conſuluit de more ac digeſſit: & anno MDCCXXI. quum a Bononienſibus, in quorum Academia Profeſſor iam renunciatus fuerat, ut iterum profitendi munus exerceret rogaretur, Bononiam contendit, ubi aegrotavit perpetuo, ac tamdem hoc eodem anno Kal. Septemb. mortem obiit, & in Eccleſia S. *Proculi* Benedictinorum tumulatus eſt, vir doctiſſimus & late celeberrimus, cum ſcriptis editis, tum optima adoleſcentium Monachorum, qui eo praeceptore docti evaſerunt, inſtitutione. Hinc omnium eruditorum exiſtimationem ſibi conciliavit; & Principum benevolentiam promeruit, *Clementis* XI. & *Innocentii* XIII. Pontificum Maximorum; Regis Sardiniae, Magni Etruriae Ducis, & duorum Ducum Mutinenſium *Franciſci*, & *Rainaldi*; Cardinalium *Sfondrati*, *Aguirrii*, *Noriſii*, *Daviae*, *Ferrarii*, *Thomaſii*, *Curſii*, *Fabronii*, *de Comitibus*. Amicos vero habuit viros doctrina praeſtantiſ-

tiſſimos, *Dominicum Paſſioneum* nunc Cardinalem, *Ciampinium*, *Magliabechium*, *Vallettam*, *Ravaſinium*, *Mabillonium*, *Montemfalconium*, & *Valſechium* Benedictinos; *Tamburinium* & *Tereſenghium* Ieſuitas; *Muratorium*, *Gimmam*, *Fontaninium*, *Recanatium*, alioſque, & *Scipionem Maffeium* in primis, qui ſe *Bacchinii* fuiſſe diſcipulum publica adteſtatione gloriatus eſt. *Benedictus Bacchinius*, animo fuit aequo, Monachicae diſciplinae tenax, moribus paullo auſterioribus, ab ambitione alienus, paupertatis amator, ordinis ſui iurium, & Catholicae Eccleſiae dogmatum adſertor acerrimus. Opera eius varia edita, & inedita etiam, nunc enumerabimus.

Oratio in funere Margaritae Mediceae Farneſiae.

Oratio in laudem D. Nicolai Tolentinatis.

Ephemerides litterariae. Volumina IX.

De puella noctu vidente, Diſſertatio.

Helenae Lucretiae Corneliae Piſcopiae Opera a Bacchinio *collecta, & edita, eius vita praemiſſa.*

Specimina Anatomes e Gallica lingua in Italicam a Bacchinio *converſa.*

Diſſertatio in Numiſma Scipionis Africani.

Diſſertatio de Siſtrorum figuris ac differentia.

Dialogi tres I. De conſtantia in adverſis. II. De dignitate tuenda. III. De amore erga rempublicam.

Hiſtoria Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis.

De Eccleſiaſticae Hierarchiae originibus.

Iſidori Clarii Epiſtolae ineditae a Bacchinio *vulgatae.*

Agnel-

Agnelli Ravennatis Pontificale, *ſeu vitae Pontificum Ravennatum*, *a* Bacchinio *editum* & *illuſtratum*.

Benedicti Accolti Arretini opus De praeſtantia virorum ſui aevi, *a* Bacchinio *editum*.

Diſſertatio in Chartam donationis Opilionis, *quae adſervatur Patavii in Archivo S. Iuſtinae*.

Epiſtolae Polemicae V. adverſus Iacobum Piceninum.

Obſervationes, *ſeu Reſponſa duo*, *ad Romanas Epiſtolarum Polemicarum cenſuras*.

Et haec quidem *Bacchinii* opera ſunt publici iuris facta; quae ſequuntur manu tantum exarata exſtant.

Manuductio ad Philologiam Eccleſiaſticam Tomi II. in folio.

Diſſertatio de motionibus Mercurii in Barometro.

Diſſertatio ad nodum praedeſtinationis Cardinalis Sfondrati, *ſub nomine* Barachiae Scutenſis.

Hypercriſis ad Criſin P. Magiſtri Gerardi Capaſſii, & *Anticriſin Patroni Laderchiani*.

Epiſtola ad Virginium Valſechium ſuper hiſtoriam Sanctorum Creſcii & *Sociorum a* M. Antonio Mozzio *ſcriptam*.

De viis antiquorum Romanorum per Italiam, *opus imperfectum*.

Epiſtola ſub nomine Eleutherii Ilicrini a S. Irene contra Germonium Ieſuitam haereticos veterum MSS. corruptores fuiſſe adfirmantem.

Obſervationes in Regulam S. Benedicti, & *in Conſtitutiones Congregationis Caſinenſis*.

De propoſitionum, & *doctrinarum dogmaticarum qualificationibus*, & *recta qualificandi ratione*.

De

De genealogia gentis Farneſiae a Theodoro Demadeno deſcripta.

Victoris Presbyteri Antiocheni interpretatio in Evangelium Marci e Graeco in Latinum ſermonem a Bacchinio *translata.*

Diarium Itineris ad Montem Caſinum.

Duo Scripta contra Wolfium Ieſuitam de rebus ad politicen ſpectantibus, iuſſu Sereniſſimi Ducis Mutinenſis compoſita.

Defenſio iurium cuiuſdam Principis Italiae circa feudum nobiliſſimum.

Tomus ſecundus Hiſtoriae Monaſterii Padolironenſis.

Adnotationes in Italiam Sacram Vghellii.

Obſervationes in Iuriſprudentiam ſequiorum ſaeculorum.

Tractatus de ſinceritate & falſitate Diplomatum.

Diſſertationum, Diplomatum, Actorum publicorum, & documentorum ad hiſtoriam Monaſticam ſpectantium collectiones.

Opus Hiſtoricum-Dogmaticum contra hiſtoriam Eccleſiaſticam Baſnagii.

Opus dogmaticum contra nonnullos ſui temporis Novatores.

Quaeſtiones Politico-Morales.

Scriptum triplex de illicitis contributionibus a Principibus Italiae exactis, & ab Imperatore anno 1692. *acceptis ad exercitum in hibernis alendum.*

Notae in Epiſtolas D. Hieronymi.

Series Conſulum, Pontificum, Imperatorum, ad veram Eccleſiaſticam Chronologiam, cum nonnullis Notis hiſtoricis uſque ad annum 1198. *quo Baronius Annales perducit.*

RAI-

RAINALDVS ESTENSIS DVX MVTINAE.

Auctore Anonymo.

A Teſtinis Principibus in more ſemper fuit litteris favere, earumque cultores amore atque honoribus proſequi. Nobilem ii in civitate Ferrarienſi diſciplinarum omnium Academiam inſtituerunt; viris doctiſſimis eorum Aula ſemper adfluebat; ac propterea hanc etiam ob cauſſam, uti aiebat *Ianus Nicius Erythraeus* in Vita Baptiſtae Guarini iunioris, *celebris toto orbe terrarum Ferrarienſium Ducum gloria nulla unquam in hominum animis oblivione delebitur. Sed eorum in primis nominibus, tubarum duarum, Areoſti ſcilicet & Taſſi, Homero Virgilioque non inferiorum, cantu in caelum elatis, omnis poſteritatis aures perſonabunt.* Neque minor in Ducibus Eſtenſibus, poſtquam Mutinae lares fixerunt, litterariae rei promovendae cura ſpectata eſt. Ibi quoque eorum ſtudio ſcientiarum quarumvis gymnaſium excitatum; Academia *Diſſonantium* inſtituta; inſigne ad nobiles pueros litteris ac pietate imbuendos collegium erectum. Quae laus certe poſtrema non fuit in *Rainaldo* Duce. Patrem is habuit *Franciſcum* I. Ducem, celeberrimum tum ex militari gloria, tum ex omnium virtutum complexu, Principem, atque in lucem prodiit VII. Kal. Maias anno MDCLV. Ad literas amoeniores, ſcientiaſque ediſcendas praeceptorem ſortitus eſt P. *Dominicum Gam-*

bertum e Societate Ieſu, acerrimi ingenii virum. Hortante potiſſimum *Rainaldo* S. R. E. Cardinali eius patruo, ad militiam Eccleſiaſticam deinde educatus, Purpuram Cardinaliciam & ipſe demum conſequutus fuit IV. Nonas Septembris anno MDCLXXXVI. ad preces, ſive, ut aiunt, ad nominationem *Iacobi* II. Magnae Britanniae Regis, cui nupſerat *Maria Beatrix* Eſtenſis, ipſius *Rainaldi* Principis ex fratre neptis. Sed quum anno MDCXCIV. e vivis exceſſiſſet, nullis poſt ſe liberis relictis, *Franciſcus* II. Dux, itidem ex fratre nepos: *Rainaldus* ei in Ducatu ſuccedens, Purpura depoſita, ſaecularem veſtem repetivit. Ducta in uxorem *Carlotta Felicitate* Brunſvicenſi Principe, nobili prole auctus eſt. Qui nunc regnat *Franciſcus* III. eidem natus eſt VI. Nonas Iulias anno MDCXCVIII. Eruditorum colloquiis, praecipue Cardinalis quum eſſet, delectabatur *Rainaldus*, non Mutinae tantum, ſed & Romae, quam urbem non ſemel inviſit. *Iohannem Franchinium* Minorem Conventualem, *Bartholomaeum Barberium* è Caſtrovetere Ordinis Capuccinorum, *Caietanum Fontanam* Clericum Regularem, & *Bernardinum Ramazzinium* Medicum, viros ex editis libris claros, potiſſimum adamavit. Ab eo poſtea ad Ducalem thronum evecto, nihil praetermiſſum fuit, ut in civitate Mutinenſi litterae uberius quam antea florerent. Publicam Academiam egregiis liberalium Artium Magiſtris locupletandam curavit. Theatrum Anatomes erigendum iuſſit. Academicos *Diſſonantes* ad ingenii ſui experimenta

ſtatis

ſtatis diebus ſingulo quoque anno excitavit, ſua praeſentia & plauſu ſemper dignatus: *Franciſcum Tortum*, & *Iohannem Baptiſtam Davinium*, Medicos ſibi adhibuit, quorum fama, & *Torti* praeſertim, utiliſſimis de re Medica lucubrationibus parta, Italiae fines ſupergreſſa eſt. Palatinae Bibliothecae praeerat *Iacobus Cantellius*, vir inter Geographos noti nominis. Eo a morte ſublato, eidem Bibliothecae *Rainaldus* praefecit *Benedictum Bacchinium* Monachum Benedictinum, virum clariſſimum, & multiplici diſciplinarum genere excultum, uti eius libri teſtantur. Praeterea ad evulgandas *Agnelli* antiquiſſimi Scriptoris Vitas Ravennatum Antiſtitum, in Eſtenſi Bibliotheca latentes, ſumtum ei omnem miniſtravit. Quum eiuſmodi munere ſe abdicaſſet *Bacchinius*, anno MDCC. ad Monachorum ſuorum regimen adſcitus, tunc *Rainaldus* Dux Mediolano Mutinam evocavit *Ludovicum Antonium Muratorium*, tunc Ambroſianae Bibliothecae addictum, eumque ſelegit, utpote qui in oppido Vineolae Ducatus Mutinenſis natus fuerat, ut Eſtenſi eidem Bibliothecae praeeſſet. Illo ſubinde uſus fuit ad iura ſua palam tuenda, atque ad Ateſtinae Familiae Antiquitates illuſtrandas. Cetera autem Ducis ipſius geſta quicumque adgnoſcere cupit, eiuſdem *Muratorii* Librum, ſcilicet Partem alteram *Antiquitatum Eſtenſium*, adeat. Hactenus quidem anonymus Scriptor eruditiſſimus, cuius conſilio uſis haec de *Rainaldo* Principe ex altera *Antiquitatum Eſtenſium* Parte, aliiſque monumentis, derivata,

breviter addere lubuit. Vbi anno MDCCII. res Germanorum, adeoque ſuas, in peius ruere, a Gallorum Hiſpanorumque copiis pene proſtratas retroque ſublapſas referri vidit, Princeps prudentiſſimus, & antiquitatis eruditae amantiſſimus, inter cetera pretioſa cimelia, quae clandeſtino Mutina in tutiorem locum transferenda curavit, rariores ſui Muſei picturas, numiſmata vetuſta, gemmaſque celatas eſſe voluit: & iis veteres membranas, & inſigniora Eſtenſis archivi monumenta, tamquam res maxime dilectas, adiunxit. Quum autem ipſe *Rainaldus* Mutina, hoſtilium armorum metu, fuga Bononiam evaſiſſet, & Bononia Romam quoque ſe deinde contuliſſet, urbe ſua in Gallorum & foederatorum Hiſpanorum poteſtate relicta; vix accepit vaſa ſua omnia, & ſupellectilem equoſque a victoribus hoſtibus venditos atque diſtractos fuiſſe, adeoque nobilium etiam adoleſcentium Collegium equis iam carere, quibus illi vecti equeſtribus artibus exercerentur: illo ſtatim equos duodecim anno MDCCIV. miſit, qui *Bartholomaei Fidelii*, Collegii Praeſidis, nomine alerentur: adeo bonae artes, & exercitamenta laudata, Principi magnanimo cordi fuerunt. Capto vero anno MDCCVIII. a Germanis Comaclo, & Eccleſiae Romanae erepto, quum Pontifex Maximus ſua iura libello vulgato, non armis tantum tueri conaretur: *Rainaldi* Principis iuſſu, ut creditur, alter libellus in vulgus proditus eſt, & viro quidem doctiſſimo *Ludovico Antonio Muratorio* auctore, quo oppidum illud, non Roma-

manae Eccleſiae, ſed Germanico Imperio, & Principibus Ateſtinis, tamquam legitimis dominis, quibus *Clemens* VIII. Pont. Max. eripuiſſet, pro virili portione vindicabatur. Quum autem Romae haec de Comaclo controverſia intra tres laudatos dominos pacate tamdem, & ex iure manum conſerendo, anno MDCCX. agitaretur; & Pontificii rationes, quibus intentio ſua niteretur, publica ſcriptura vulgaſſent; non omiſit *Rainaldus* Princeps iterum ſua & Caeſaris iura producere, & *Libelli Supplicis* titulo argumenta, rationes, ac momenta omnia ſimul congeſſit, quibus Comaclum ſibi adſeri poſſe exiſtimabat. Idem fere contigit anno inſequenti; nam quum ſcriptum quoddam *Relatio quarundam Reſponſionum* inſcriptum, editum fuiſſet, ſtatim ei a *Rainaldo Quaeſtiones Comaclenſes* oppoſitae ſunt, quae quidem omnia pro Mutinenſi Regulo vir ille eruditiſſimus ac celeberrimus *Muratorius* elucubravit; qui aliud etiam ſcriptum ſub *Plenae expoſitionis* titulo anno MDCCXII. compoſuit, quo Pontificiorum conatus retundere utcumque conabatur. Hoc eodem anno voluit *Rainaldus*, ut Ieſuitae *Paullus Segnerius* Iunior, & *Ignatius Conſtantius*, ſacras conciones Mutinae per aliquot dies haberent, ad mores populi reformandos, & divinam opem miſericordiamque vociferandam impetrandamque. Et profecto tanto cum omnium gaudio, & tanto cum populi fructu, conciones illae (*Miſſiones* vulgo vocant) auditae ſunt, ut *Segnerius*, ſuae virtutis ac probitatis teſtimonium luculentiſſimum ſecundum

 obi-

obitum meruerit, vitae ſuae ſcriptorem *Muratorium* habere laudatiſſimum. Anno MDCCXVIII. quum *Carolus Borbonius*, Comes Caroloregienſis, *Benedictam* Brunſvicenſem materteram inviſurus, Mutinam adveniſſet, ludos, atque belli ſimulacra ac certamina, *Rainaldus* edidit, quae magnam omnibus laetitiam attulerunt, & eius filios Principes *Franciſcum* & *Ioannem Fridericum*, omni egregiarum artium genere inſtructiſſimos, & in huiuſmodi certaminibus exercitatiſſimos, arguerunt. Anno MDCCXX. Pontificiae cauſſae Patroni *Quaeſtionibus Comaclenſibus* quaedam paullo diutius expenſa & conſiderata reſponderunt; at ſubito a Mutinenſi Principe *Examen* obiectum eſt, quo commentarii illorum argumenta diſſolvere ac diſſlare arbitrabatur. Haec quidem licet minus ad argumentum noſtrum pertinere viderentur, utpote quae iura imperii potius tueantur, quam litteras, & diſciplinas reſpiciant; tamen heic commemorare congruum opportunumque viſum eſt, ut eorum auctorem *Ludovicum Antonium Muratorium* ſiſteremus, in quo quantum litteras, bonas artes, doctrinaſque *Rainaldus* adamaverit, praeſidio iuverit, favore proſequutus ſit, perſpicue & manifeſte cognoſcere eſt. Principis enim huius munificentiſſimi virtuti, atque amplitudini debetur, quod *Muratorius*, hoc eſt vir doctiſſimus, placido otio fruitus, reditibus locupletatus, honoribus auctus, Italiae archiva ſcrutator diligentiſſimus luſtraverit, & innumera prope antiquitatis monumenta inde eruerit;

tot

tot ac tanta ſcripſerit; hiſtoriam expoſuerit & ampliaverit; Poeticen perfectam docuerit; optimam ſtudiorum rationem monſtraverit; Philoſophiam Moralem enucleaverit; Theologiam illuſtraverit; effrenem heterodoxorum ſcribendi licentiam compeſcuerit; caritatem mutuam Chriſtianis inſinuarit; Medicinam ipſam attigerit; tot opera inedita in lucem protraxerit; nulla fere argumenta intacta reliquerit, & in omnibus viri eruditi, accurati, ſolertis, emunctae naris, laborioſi, indefeſſi, praeſtantiſſimi denique, laudem praeconiumque retulerit. Mortuus eſt *Rainaldus* anno MDCCXXXVII. quum Princeps varia quidem fortuna agitatus, eadem tamen ſemper conſtantia & virtute magnificus exſtitiſſet, ſublimis & facilis; opulentus & ſobrius; fortis & placidus; liber & fidus; providus & munificus; generoſus & fautor literarum. Inſequens elogium una cum cadavere in ſepulcro defoſſum eſt.

Quis heic claudatur, ſi quaeris Lector, accipe. Rainaldus I. Franciſci I. incliti Ducis filius, natus eſt VII. Kal. Maii anno Ch. MDCLV. diem vero ſuum obiit VII. Kal. Novembris anno MDCCXXXVII. Antea S. R. Eccleſiae Cardinalis, deinde Dux creatus, ſingulari pietate & religionis amore ita excelluit, ut in eo vivum Chriſtiani Principis exemplar unuſquiſque ſemper animadverteret. Tum ſolutus, tum coniugatus, rigidus continentiae cuſtos, temperantiae in victu ſolicitus ſectator, nullis unquam illecebris ſe dimoveri ab honeſtatis tramite paſſus eſt.

Cum inclita Brunſvicenſium Ducum, nunc in magna Britannia regnantium, progenie interruptum per plura ſaecula ſanguinis nexum, affinitates etiam cum auguſtiſſima Auſtriaca gente, & cum potentiſſima Francorum regum proſapia, renovavit. Bellicas procellas, quibus non ſemel agitatus eſt, invicto animo tulit, felici exitu ſuperavit. Erat illi eximia ingenii atque iudicii perſpicacia, in politicis rebus rara induſtria atque ſedulitas. Nullus ad eum accedebat, qui eloquentiam non miraretur, prudentiam comitatem & affabilitatem encomiis non proſequeretur. Pueris ac puellis paupertate preſſis nobile domicilium Mutinae paravit atque dotavit. Vt in eadem urbe ſacra templa reſtaurarentur, pietas augeretur, ut inter populos pax & iuſtitia regnaret, operam perpetuo dedit. Ducatu Mirandulae, Marchionatu Concordiae, Comitatu Novellariae, avitum Principatum auxit. Sed heu! mors omnia ſolvit. Laboribus denique & aetate confectus, Ducatus ſuarumque virtutum heredem relinquens Franciſcum Mariam filium ſuum, in Servia & Boſſina contra Turcas illuſtria bellicae fortitudinis ſigna prodentem, ſepulcro huic, quod ab Avia piiſſima Iſabella Principiſſa de Sabaudia incboatum, ipſe perfecit, apud Clericos Regulares corpus commendavit.

FRAN-

FRANCISCVS MARIA GASPARRIVS.

Proſpero Petronio Auctore
Dominico *Mar[illegible]* *interprete* .

FRanciſcus Maria Gaſparrius ortus eſt Romae anno MDCLXXIX. XVII. Kalendas Februarias ex honeſtiſſimis parentibus. Iam inde a teneris unguiculis haud pauca vividae mentis, ſubtiliſque ingenii, ſpecimina praebuit. In Collegii Romani ſcholis mirum in modum enituit; quod quidem e memoria nonnullorum ex illis Patribus, aliorumque alienigenarum adhuc ſuperſtitum, minime effluxit. Octo annos natus, ut ingenii eius vivacitas in bono lumine collocaretur, ſolemnem de omni Grammatica diſputationem, theſibus aere expreſſis de more diſtributis, inſtituere praeter morem iuſſus fuit. Vix ex ephebis egreſſus, emenſo Rhetoricae curriculo, de Philoſophia publice diſceptavit; & poſtquam ſedulam Iuriſprudentiae operam navavit, annum agens aetatis ſuae duodevicefimum, Archigymnaſii Romani Profeſſor, competitoribus poſthabitis, renuntiatus fuit. Annos natus undeviginti, in Seminarium Romanum ad ius interpretandum accitus eſt, ubi auditores habuit, qui praeter generis nobilitatem honoribus exinde claluerunt. Siquidem primis eius diſcipulis, praeter bene multos inſignes Praeſules par-

partim vita functos, partim celſiores ad dignitates evectos, Cardinales *Collicola*, *Spinula*, *Sancaeſareus*, *Alſatius*, atque *Albanus* Romanae Eccleſiae Quaeſtor, accenſentur. Quum hic poſtremus, Cardinali *Iohanne Franciſco Albano* ipſius patruo ad Summi Pontificatus faſtigium evecto, Chriſtianae Reip. moderatoris *Nepos*, ut vocant, haud ita multo poſt evaſiſſet, *Gaſparrium* iam tum in Auditorem ſuum elegit, curavitque poſtea ut in Albana domo tali munere fungeretur, ac proinde eius fortunae faber quodammodo fuit. Is anno MDCCII. Inſtitutiones Canonicas, atque anno MDCCVII. Civiles publici iuris fecit. Tum hae, tum illae adeo publici ſaporis fuerunt, ut in tota ferme Italia, vitam adhuc auctore degente, manibus omnium tererentur; quod quidem crebrae editiones qua Venetae, qua Romanae, teſtantur. Eodem anno MDCCII. in *Arcadum* coetum cooptatus fuit, quem deinde per triginta tres annos conſtanter frequentavit. In eo ſaepenumero *Collega* fuit, quamplurimas lucubrationes recitavit, lapideum monumentum celebri Mathematico *Vitali Iordano* erexit; pro vita ſcribenda, atque erectione tituli *Vincentii Auriae*, *Zappique* cauſſarum patroni ac Poetae, conſultationem ſcripſit: *Inquiſitorum* unus fuit pro laurea corona Equite *Perfectio* donando; atque ad cantiunculam in magnifico conventu ea ipſa die in Capitolio habito recitandam ſelectus fuit. In Collectaneis carminum Italicorum Bononienſibus, Faventinis, magniſque Arcadicis, nec non

in

in ſelectis Arcadum Epigrammatibus Italicis, inque aliis bene multis, lucubrationes eius leguntur. Praeter Arcadiam, *Apathiſtis* Florentiae, *Intronatis* Senarum, *Aſſurditis* Vrbini, *Humoriſtis* Romae, *Corroboratis* Fulgini, aliiſque alibi coetibus eruditis, adnumeratus fuit. Iuriſprudentiam docuit *Philippum Mauritium* Principem a Bavaria, qui, quamdiu Romae, atque in vivis fuit, *Gaſparrium* in deliciis habuit, eumque in *Arcadia* recitantem praeſentia ſua, & Principis *Clementis Auguſti* fratris ſui minoris natu, qui Coloniae Archiepiſcopus, & Germanici Imperii Septemvir in praeſentiarum eſt, ſemper condecoravit. Auditor fuit, quemadmodum ſupra diximus, Cardinalis Pontificio Aerario Praefecti; nullaque honorum, quos ſua ſibi doctrina ac ſolertia, ſuſceptumque curriculum, pollicebantur, ratione habita, *Tereſiam* ſororem *Michaelis Ioſephi Moraei*, ob Latina carmina ſatis cogniti, anno MDCCXV. uxorem duxit. Duos ex ea filios, ac totidem filias ſuſcepit, quarum maior natu *Carolo Ferrettio*, locupleti, honeſtoque iuveni Romano paulo poſt e patris ſententia nupſit. Huius quidem occaſione matrimonii, *Coſmas* III. Magnus Etruriae Dux cauſſarum ſuarum Patronum Romae *Gaſparrium* iuſſit, eumque cum duobus aliis celeberrimis cauſſarum Patronis, *Pomponio Vecchio* Advocato Conſiſtoriali, & *Iacobo Lanfredinio*, deinde ampliſſimo Romanae Eccleſiae Cardinali, ſociavit. Anno MDCCXIX. Advocato *Zappio* fato functo, Adſeſſor Magiſtratus Agriculturae electus fuit; cumque *Clemens* XI.

hanc

hanc illi dignitatem deferret, Poetam in magni Poetae locum ſuffici par eſſe dixit. Octo ſolidos annos hocce munere perfunctus fuit cum ſumma Curiae laude, iiſque complaudentibus nobilibus viris, quibus Magiſtratus ille conſtat. *Benedictus* XIII. cum ante, tum poſt Pontificatum ſuum maximi *Gaſparrium* fecit, cuius Inſtitutiones, ceteris ablegatis, unice praelegendas populis Dioeceſis ſuae Beneventanae propoſuit. Anno MDCCXXVII. illum creavit alterum Capitolii Iudicem Collateralem; inque eadem Curia, *Clemente* XII. Eccleſiae gubernacula moderante, primi quoque Iudicis Collateralis ſubſellium *Gaſparrius* tenuit. Vt munia ſua recte perageret, innumeros exantlare labores adigebatur. Praeter Capitolini Collateralis officium, primus eodem tempore in *Sapientia* Iuriſprudentiae Profeſſor erat; & quamvis Pontificia indulgentia Anteceſſor emeritus eſſet, rudeque donatus, nihilo tamen ſecius idem Archigymnaſium multas illi perturbationes, ac moleſtias exhibebat. Nam quum Cardinalis Quaeſtoris Auditor eſſet, praeterquamquod Tuſculi Praeſidi adſiſtebat, diuque etiam Caſtro Pandulpho, ac Soriano, familiae *Albanae* Feudo, gubernandis operam dabat; ad Monachorum Carthuſianorum, Minimorum, B. *Hieronymi* Piſani, ſive S. *Onuphrii*, & Canonicorum Regularium Praemonſtratenſium, nec non ad Epiſcopatus Sabinenſis, Capitulique Sancti *Petri*, negotia inſuper incumbebat. Multorum quoque Communium ditionis Eccleſiaſticae, quorum ipſe res procura-

rabat, publica munera magnopere *Gaſparrium* diſtinebant. Ad haec in Germaniam, Poloniamque epiſtolas Latine exaratas perſaepe mittebat; ac pro Sancti Officii, ut vocant, Rituum, Concilii, Fabricae, aliiſque Congregationibus (relictis pluribus *Votorum* ad ipſas ſpectantium faſciculis) ſtudiis ac libris evolvendis adſidue vacabat. Ille quidem firmis viribus utebatur, ac prorſus integra erat valetudine; verum omnes hae multiplices occupationes adeo illum ſenſim infregerunt, ut biennio ante interitum ſuum haud obſcura imminutionis virium ſuarum ſigna prodere coeperit. Quae quidem virium infirmitas adeo demum aucta eſt, ut anno MDCCXXXV. aetatis eius LVI. non immatura modo, verum etiam ſubita, atque inſolita morte praereptus fuerit. Etenim, ut de cauſis neſcio quibus Cardinalem *Albanum* doceret, *Gaſparrius* nondum bene valens currum conſcenderat; at illum repentinus cordis angor ſaepe ac ſaepius exclamare, reditumque domum aurigae praecipere, coegit. Verum, confirmato aliquantiſper ſibi animo, iter perrexit, quum rurſus ſpiritus & cordis anguſtia ſe opprimi ſentiens, e curru propere deſiliens, utrinque ſuffultus ad aedes quaſdam ſe contulit, praeter quas tunc tranſibat, ſperans levirum ſuum in iis ſe inventurum, a quo praeſentaneum in tam inopinata aegritudine praeſidium aliquod & levamen acciperet. Verum quum in ſupremo vitae diſcrimine verſaretur, non temporariam, mortalemque opem (ſic viſum Superis) ſed in illo a tempore ad aeter-

aeternitatem terribili tranſitu ſpiritale ad animae ſalutem comparandam auxilium a leviro accepit. Hic *Gaſparrium* extremos ſpiritus agere primo adſpectu cognovit. Quapropter illum, nulla interiecta mora, iure Sacerdotii a culpis Chriſtiano ritu abſolvit, & quantum per caſus inſolentiam, perturbationem, ac dolorem licuit, auctor eidem fuit, ut totum ſe Deo traderet, ac eius omnino voluntati accommodaret. Morbi gravitatem, mortiſque imminentiam, cognovit *Gaſparrius*, cuius extremae voces, quae pauculae fuerunt, ſanctiſſima *Ieſu*, *Mariae* que nomina perſonabant, culparum veniam implorabant, ſpemque aeternae ſalutis praeſeferebant. Sic inter actus hoſce interruptos ad infimos ſcalae aedium gradus, in ſella feſtinanter adlata quieſcens, vitam cum morte placide commutavit. Fuerat ille ab ineunte aetate pietati addictus, & Euchariſtiam, ad reficiendas animi vires, qualibet hebdomade adhibere conſueverat. Quinetiam per decennium, quod mortem eius *ἀμέσως* praeceſſerat, poenitentiae Sacramento maculas animae quotidie veſperi deterſerat, ordinarii extraordinariive Confeſſarii pedibus advolutus; ſignanter vero pridie mortis ſuae ſacra Synaxi ſeſe de more corroboraverat. Quod quidem una cum morum integritate, caritatiſque operibus a *Gaſparrio*, dum in vivis eſſet, peractis, in magnam ſalutis ipſius aeternae ſpem erigere nos debet. Eius cadaver ab ingenti ſociorum ſodalitatis Sacrorum Stigmatum S. *Franciſci*, in qua ſuperiori commodum anno

Cu-

Cuſtodis munus obierat, caterva ſtipatum, adparatu decoro ad SS. XII. Apoſtolorum Baſilicam elatum fuit, ubi proxime ſequuto mane coram iuris Profeſſoribus, quos in Archigymnaſio Romano collegas habuit, poſt piaculare ſacrum ſolemni ritu, cantuque peractum, tumulo conditum fuit. Funus tanti viri maior, meliorque urbis pars lacrimis fuit proſequuta; quodque *Gaſparrio* prolixi elogii inſtar eſt, Pontifex Maximus certior de ipſius morte a leviro mox factus, haud ſiccis oculis pronunciavit: *Probus oppido frugique vir fuit*. Ingenii eius capacitas, ſuavitas morum, rerum experientia, expedita & amabilis vitae ratio, hilaritas atque eloquentia, amorem omnium aeque, ac admirationem erga ipſum iure ac merito pellexerant. Paucis poſt eius mortem diebus duae inſignes lucubrationes, quae laudes nuper mortui *Gaſparrii* complectebantur, lectae fuerunt. In Collegio Romano recitata fuit illarum una, opus P. *Contuccii Contuccii* Rhetoricae Profeſſoris, qui in quadam ad praefatum *Moraeum* epiſtola de *Gaſparrio* ſic loquitur:

Non tibi divinae cognata exempla Poeſis,
Quae propiora ſequi tua per veſtigia poſſes,
Defuerunt: nam quo culti Gaſparrius oris
Eloquio, quicquid caneret, quo pectore vates
Inſereret coelo caput, Auſonioſque referret
Nuper avos, Indum credo, quaeque ultima noſtri
Trans iter eſt ſolis, Thulem noviſſe, nec ullo

Donec

Donec erunt Terrae tacituram tempore famam.
Atque utinam fato nobis non praecoce raptus
Ante diem foret! haud ſacrae facundia linguae,
Quae toties captas tenuit dulcedine Muſas,
Nos deſiderio iam nunc torqueret inani.
At latebras ſi Pierides, atque otia quaerunt
Non illo quiſquam tota diſtentior unquam
Aut Legum Interpres, aut auctor rebus agendis,
Vrbe fuit; nec enim Iuriſprudentior ullus.
Huic etenim ſe iam puero, praeque omnibus uni
Crediderat Themis: hinc Itala praeſtare Poeſi
Mirari vatem ſolita eſt urbs alta Quirini,
Quum Muſis tantum in ſtrepitu, turbaque forenſi
Praeriperet ſpatii, quantum ſanctumque tribunal
Iuris, & aequarum dederat cuſtodia legum.
Ille quidem ſibi poſt cineres, Moraee, ſuperſtes
Vivit, & excedens meritorum praemia cepit;
Quod populo, Patribuſque, & toti flebilis urbi
Occidit: at tu divini nunc pectoris heres
Iamdudum debes famae, quae ſcriberet ille,
Munere ſi vitae licuiſſet longius uti.

Dicta

Dicta fuit altera in Academia *Infoecundorum* ab eodem *Moraeo*, qui opportuno in epiſodio & mortem, & mortis genus leviri fato recens functi perſequens, ſic de illo flebiliter canere auditus fuit:

Quo meus, haec toties cui plauſit ſilva canenti,
Fama recens, numeroque potens Gaſparrus in omni?
Ah! liceat cari nomen, mihi ſanguine iuncti,
Ac dotes meminiſſe viri; quot ſcilicet ille
Erudiit veſtrum Themidis praecepta daturus;
Quotquot & hic cerno; Vos, vos, ego poſcere teſtes
Haud dubitem; ſic ut qui neſcit hic quoque diſcat,
Quale illi ingenium, quaenam facundia, recti
Quantus amor, pietaſque foret, candorque, pudorque,
Et placidi mores, & coepto ſemper in omni
Una eadem ſeries, & conſtantiſſimus ordo.
Occubuit tamen, atque iſtas moriturus in ulnas
Venit opem implorans (ſic Di voluiſtis) iniquo
Perculſus fato, meque aetheris oſtia ſacra
Pandentem dextra momento fractus eodem
(Heu dolor! heu pietas!) ſtupidum, flentemque reliquit.

Supra ceteros, qui ob *Gaſparrii* mortem vehementi moerore adfecti fuerunt, eminere viſus fuit magnus Cardinalis *Liſſkius*, defuncti olim diſcipulus; qui, funeſto nuncio audito, in ſua Cathedrali Eccleſia Cracovienſi iuſta magiſtro ſuo coram ſe ſplendide perſolvenda curavit. *Gaſparrii* edita typis opera ſunt: *Inſtitutiones Canonicae*, & *Civiles* ſupra memoratae; *Sermo pereruditus de Piceni ſtatu Geographico*; *nonnullae Orationes in Sapientia Romana habitae*; *Cantiones Sacrae*, quae vulgo *Oratorii* vocantur, *iuvenilibus annis Latine exaratae*, quibus adiiciendae ſunt *Cantiones Muſicae* bene multae, quas ipſe e communi ſententia perquam venuſte pangebat. Inſuper eſt *Fabula Paſtoralis* inſcripta *Tigrena*, quae in aedibus Comitis Das Galveas Legati Luſitani; qui praemio ampliſſimo *Gaſparrium* remunerari voluit, regia magnificentia acta fuit. Tantum vero plauſum hoc Drama auctori conciliavit ſuo, ut qua die uni Sacro Collegio, & Romanae Curiae Praeſulibus dictum fuit, plerique omnes ſub finem alterius actus ſurrexerint, elata voce conclamantes, & *Gaſparrio* auctori adplaudentes. Latine perquam eleganter ſcripſit, ac praeter *Vota*, atque Epiſtolas, variis temporibus (quemadmodum obiter dictum eſt) quinque in Romano Archigymnaſio Orationes, tres quidem anniverſariis *Leonis* X. iuſtis recurrentibus, duas vero in inſtauratione ſtudiorum, habuit. Multi in ſuis operibus *Gaſparrii* honoris cauſa meminerunt. *Io. Marius Creſcimbenius* pluribus in locis de ipſo lo-

loquutus eſt; ac potiſſimum in epigrammate Italico eidem ſcripto ita eum adloquitur:

Eurindo, in la cui mente ampio ricetto
Ha de' Saggi il teſoro al vulgo aſcoſo;
E dolce nel cui ſen gode ripoſo
Vn cuor guernito di fin' oro, e ſchietto.

Vincentius Leonius in Proſa Tomo I. *Proſarum Arcadum* edita, magna illum cum laude memorat. In variis Ephemeridum Litteratorum Italiae Tomis *Gaſparrius*, quoties mentio de illo fit, honorificis verbis, atque ingenua commendatione exornatur. *Contuccius* laudatus in Poemate *De Praeſtantia Poeſis Italicae*, de *Gaſparrio*, quem ipſe in celſiſſimo Poetarum inſignium viventium ordine collocat, ſic loquitur: *Vena Gaſparrius ubere felix*. P. M. *Marianus Ruele* in Pluteo XXIII. *Bibliothecae Volantis* omnia laudum ornamenta in celebris huius Litterati memoriam congerit. *Iulius Caeſar Grazinius*, Canonicus, in quodam ſuo Dithyrambo inter Poetas Pindaricos, & Chiabreri cos, Arcadico *Eurindi* nomine *Gaſparrium* recenſet:

Egilo, Eurindo, che ſon gloria, e vanto
Dell' Erimanto.

Ormontius Perataeus Paſtor Arcas in Introductione ad ludos Olympicos in Arcadum fato functorum honorem celebratos anno MDCCXVI. ſic cecinit:

Or quali a te daranſi lodi, e a' tuoi
Gran pregi, Eurindo, a te ch' ognor ritiene
L' alta Città per erudir gli Eroi?

Franciſcus Grimaldius Ieſuita in Libro tertio praeſtantis Operis *De Vita Vrbana* de ipſo ita infit:

Adſuit Eurindus, qui carminis arte magiſtra
Pollet, & Aſtreae ſcita verenda docet.

Malachias d' Inguimbert, nunc Epiſcopus Carpentoracterſis, decorat illum titulo *clariſſimi Viri* in Epiſtolae Latinae fronte eidem a *Gaſparrio* ſcriptae, & praefixae Epiſcopi ipſius operi, cui titulus: *Genuinus character Rev. in Chriſto Patris Armandi Iohannis Buttilierii Rancaei*. *Silvius Stampilia*, ex Arcadiae Inſtitutoribus unus, in ortu filii *Gaſparrii* lepidum Epigramma Italicum ſtilo feſtivo eidem ſcripſit, in quo laudes eius hiſce verſibus innuit:

Sia pari a te di mente ſavia, e vaſta;
Per Arcadia, ed Aſtrea ſia nato a poſta;
Rieſca infin della tua ſteſſa paſta.

Hieronymus Moſcarolius ſuam illi prolixam lucubrationem de Inſtitutionibus civilibus ligata ratione Latina conditam nuncupavit, multis in laudem *Gaſparrii*, quem magiſtrum ſuum adpellat, verſibus praemiſſis. *Marcus De Angelis* Academiae *Rinvigoritorum* Fulginii

ginii a Secretis, in Adnotationibus Hymni XXX. Secundae *Partis* carminum de Deo a *Cotta* Auguſtiniano, nuncupato inter Arcades *Oeſtrio Cauntino*, deductorum, *Gaſparrium* laudibus proſequitur, & aliquot verſus illius odae in medium producit. *Theobaldus Ceva* Carmelita in Collectione Italicorum Epigrammatum Poetarum vita partim fruentium, partim carentium, laudat, ad trutinam revocat, & vellicat illud, quod incipit: *Son già tre luſtri ec.* Epigramma hoc Italicum ita celebre eſt, ut praeterquamquod ab auctore recitatum Romae ſummis plauſibus exceptum fuit, Italiam, quanta eſt, pererraverit; adeo ut amanuenſis unus trecenties illud die una excripſerit. Quae quidem trecenta exempla in varias mox regiones diſperſa ſunt. Quinque deinceps auctores Latinis verſibus illud expreſſere. *Blaſius Schiavo* in *Philalethe Dial. II. die VII.* ut a *Cevae* cenſura Epigramma illud Italicum ſartumtectum conſervet, nullum non lapidem movet. Verum quamvis *Gaſparrii* fama eruditioni *Blaſii Schiavo* multum debeat; tamen urbanam diſcretamque P. *Cevae* cenſuram aequi bonique facit; & quum ipſe pulcerrima laudati Epigrammatis lumina in propatulo ponat, ambobus *Gaſparrius* decoris ſui cumulum acceptum fert. *Philippus Dazon*, humaniorum litterarum in Collegio Vrbano *de propaganda Fide* Profeſſor, in ſua Ecloga Latina illum inter ſuos praecipuos magiſtros cum laude memorat hiſce verſibus:

Quis me naſcentis docuit primordia mundi,
Motus, & numeros, lunae, ſoliſque labores,
Iura ſacra, & cauſas rerum, praeceptaque morum,
Atque actus hominum cum libertate futuros?
Nullus Ariſtippus certe quaeſitus ab urbe;
Sed Galatus, Thyrſuſque, Eurindus, Cratylus, Alcon,
Singula Parrhaſiis celeberrima nomina ſilvis.

Hieronymus Lilius, laudum parcus homo, in ſuo Lexico ad vocem *Manxuola* haec de *Gaſparrio* memoriae prodidit „ *L' Avvocato Franceſco Maria Gaſparri, Auditore dell' Eminentiſſimo Annibale Albani, Lettore di Legge nella grande Univerſità Romana, e nel Seminario Romano, Accademico Intronato, della Cruſca, ed Aſſordito, Arcade del primo Coro, del di cui raro gentil cantare, piucchè d' ogni altro allegraſi il Sommo Paſtore Albano; ſiccome la ſua cetra meglio, che tutte l' altre, s' accorda colla miſtica cetra di David; e la ſua Muſa, ritratto della ſua ſincerità, non conſiglia le ſue naturali bellezze che allo ſpecchio della verità; in una canzonetta ultimamente fatta &c.* „ *Gaſparrii* ſtatura infra mediocres erat, corporatura vero ad pinguedinem vergebat; frons lata atque exporrecta, adſpectuſque iucundiſſimus. Quod quidem ſonorae eius voci, dicendique

dique venuſtati coniunctum, quotieſcunque ille in eruditis Conventibus quidpiam recitabat, linguarum, animorumque favorem ipſi conciliare ſolebat, atque ut omni laudum genere cumularetur, ſummiſque ad coelum plauſibus efferretur, efficiebat. Multo quidem plura dici poſſent de *Gaſparrio*, eiuſque operibus, praeſertim Poeticis, quae omnia in unum veluti corpus compacta ab *Moraeo* typis mandabuntur. Quod autem hactenus dictum eſt, ſatis (opinor) oſtendit & quanti illum pendam, & quam egregiae fuerit ipſe, exquiſitaeque litteraturae. Intra puri putique elogii cancellos de more concluſus, numeris omnibus abſolutam vitae *Franciſci Mariae Gaſparrii* inter *Arcadum Illuſtrium* Vitas ponendam narrationem feliciori ingenio relinquo.

SCIPIO MAFFEIVS.

Anonymo Auctore
Ioanne Lamio interprete.

SCipio Maffeius Veronae anno MDCLXXV. *Ioanne Franciſco* Marchione, & *Silvia Peregrina* Comitiſſa, parentibus ortus eſt. Equeſtres magis artes, quam litteras eruditus fuit, & per quinque annos Collegii Parmenſis alumnus. Vſque ad annum aetatis viceſimumtertium in Poeſin incubuit, in quam uſque a teneris annis toto pondere ferebatur; licet exactam, optimamque car-

carminum pangendorum rationem nondum iniviſſet, ſed ſtilo, qui tunc in Gallia Ciſalpina invaluerat, ſe accommodaſſet. Romam profectus, ubi eruditus *Arcadum* Coetus florebat, in eum cooptatus fuit, & ſtilum adeo, & genium ſuae poeſeos immutavit, ut paucos poſt menſes in Principis Pedemontani ortum, *Dante* ad imitandum ſibi propoſito, poemation ediderit. Alia deinde carmina lyrica condidit, quae in carminum Collectaneis vulgo leguntur, inter quae notatu in primis digna eſt ode, quam in Principis a Bavaria, regni Hiſpanienſis ſucceſſoris deſignati, obitum meditatus eſt. *Meropem* quoque tragoediam compoſuit, quae communi iudicio Gallicas omnes tragoedias ſuperavit. Scripſit & comoediam *Ceremonie* inſcriptam, *officia* ſcilicet, & *obſequia*, quae illud habuit publicae adprobationis indicium, quod ſexcenties typis deſcripta, editaque fuerit. Primum Iliados librum Tuſcanicis verſibus, & nova quidem forma, expreſſit: ſcrupuloſius enim quam reliqui Graeco contextui inhaeſit, & noſtrae poeſeos venuſtatem, elegantiam, harmoniamque ſervavit, Graecaſque omnes voces compoſitas retinuit, ut ex eius praefatione etiam, quam Londinenſi editioni praefixit, intelligere eſt. Latinam Poeſin aeque adamavit, ut ex eius carminibus in Collectione a *Coletio* curata publici iuris factis, & ex iis, quae ad Regem Galliarum directa, ſuis Galliae Antiquitatibus praemiſit, addiſcimus. Sub vertentis ſaeculi initium poeticum *Caroli Mariae*

Maggii

Maggii ſtilum ita ſubſpicere & laudibus ferre quidam coeperant, ut plerique illum tamquam exemplar ad imitandum ſibi proponerent; & clariſſimus doctiſſimuſque vir omnia illius carmina ediderit, ac laudibus immodicis auctorem cumulans, divini Poetae cognomento dignum eſſe pronunciaverit. Contra autem *Maffeius* ſcripta diſſertatione evidenter oſtendit (ſalva tamen debita laude, & honeſtatis officiis) quantum damni, & detrimenti noſtra poeſis captura eſſet, ſi in verſibus fundendis ſtilus, pedeſtris orationis proprius, minime vitaretur. Mirabilis fuit Maffeianae cenſurae exitus; nam paullo poſt ita illa verſificandi ratio exculcata, eiectaque eſt, ut in praeſens, an unquam *Maggius* exſtiterit, vix innoteſcat. Per haec tempora *Maffeius* Florentino Academicorum, ut vocant, *Furfureorum* Coetui miro omnium conſenſu adnumeratus eſt. Quum bellum in Italia anno MDCCI. exarſiſſet aditus deſiderium ſuum explendi *Maffeio* patefactus eſt, & modo hunc, modo illum exercitum frequentavit. Sed quo plenius deinde ſuis votis indulgeret, biennio poſt in Bavariam contendit, ubi eius frater Bavaricarum copiarum imperator erat. At quum eodem tempore Rhoetiam hoſtes invaſiſſent, multis periculis defunctus retrocedere coactus eſt; quamquam anno inſequenti iter rurſus per Carinthiam ſuſcepit, & miles voluntarius pugnae Donavertenſi, & aliis interfuit. Heinc *Menchenii*, pater, & filius, in ſua *Bibliotheca Virorum militia aeque, & ſcriptis illuſtrium*, haec de *Maffeio* ſcriptis man-

mandarunt: *Ornat hunc libellum nomen maximi Italorum, Marchionis Scipionis Maffeii, eius viri, quo Italia iam, forſan & omnis Europa cultior, elegantiorum litterarum, maxime antiquarum rerum, peritiorem non habet*. Quum domum reverſus eſſet, ſcriptum editum ob eius fratris natu maximi cum alio equite contentionem, occaſionem praebuit *Maffeio* librum *De ſcientia quae Equeſtris vocatur* elucubrandi; cuius operis incredibilis fuit virtus, & efficientia: nam quum antea nobiles, generoſique viri falſam illam moralem, & artificioſam, exitiabilemque peritiam tantum docerentur; & nonniſi lites, & contentiones, iurgiaque ubique perſtreperent, & conſultationes, reſponſaque prudentum ſuper iis paſſim proderentur in vulgus; ſtatim ac liber ille vere aureus paruit, ea quoque vanae ſcientiae Chimaera prorſus evanuit: ridicula actoris, & rei nomina non amplius audiuntur: futilia ſcripta ceſſant, & ſophiſmata tacent. Commentarium illud pluries formis vulgatum eſt: exactiores editiones Romana ſunt, Panhormitana, & Neapolitana cum *Sebaſtiani Pauli* ſcholiis, & obſervationibus: etſi, quam *Pavinus* Venetiis perfecit, Academicorum *Furfureorum* adprobationem praefert, quae in aliis deeſt. Omnium lucubrationum *Maffeii* ampliſſima eſt *Verona illuſtrata*. In ea quamplurima vir erudiτiſſimus detexit, alias ignota, vel minus examinata; veluti Romanos Metropoles, quae populos regerent, in Provinciis non conſtituiſſe: viam Aemiliam per Veronam non tranſiiſſe:

ſiſſe: Cenomanos flumine *Cleſio* definitos fuiſſe: *Catulli* diſtichon, *Brixia Veronae etc.* eſſe manifeſte adulterinum: characteres, qui vulgo Gottici, Langobardique dicuntur, nil aliud eſſe quam Romanorum characteres & litterae, quae celeriter ſcribebantur: Italicam linguam non ex barbararum linguarum miſtione ortam eſſe, ſed ex vulgari, & corrupta Latinorum: fictitias eſſe hiſtorias Eccleſiarum particularium, trium primorum ſaeculorum, quum fere omnes ab aliquo D. *Petri* diſcipulo deducantur. In Secunda Parte, quae Scriptorum Veronenſium notitiam continet, novam lucem hiſtoriae litterariae non ſemel foeneratus eſt. In tertia Parte obſervat inter alia primum inventorem, auctoremque munimentorum urbium eo modo, quo hodie in uſu ſunt, *Michaelem Sanmichaelium*, alias ignotum, fuiſſe. Ex quarta tandem Parte, quae Amphitheatrorum tractatio eſt, liquido conſtat nihil antea nos cognoviſſe de interna eorum ſtructura, quum *Lipſius*, aliique, nonniſi Romanum Amphitheatrum conſideraverint, in quo ſtructurae interioris nihil ſupereſt. Initium errorum fuit opinari primum vomitoriorum ordinem oſtia carcerum ferarum eſſe, qua quidem credulitate cuncta ſubvertuntur, & transformantur: *Maffeius* vero omnium primus gradus internos deprehendit, quales alia omnia vomitoria habent, per quos ſpectatores adſcendebant, & perveniebant ad gradus, in quibus conſiderent. Opus quoque plurimi inter Maffeiana faciendum *Hiſtoria Diplomatica* eſt, quae quidem, ut

ipſe

ipſe amicis ſcripſit, *Hiſtoria Diplomatum*, *& Actorum* inſcribenda erat; cuius quidem novitas in eo conſiſtit, quod eorum originem, principiumque deinde apud Romanos, perſpicue demonſtrat; viamque ſternit, aperitque ad Artem Criticam Diplomaticam. Hinc varia inſtrumenta inedita, in papyro exarata, publici iuris fecit, in iis edifferens, quod aliis nondum comprehenſum fuerat. Sex quoque volumina *Obſervationum litterariarum* in vulgus prodidit, in quibus ex libris recens editis anſam adripit eadem argumenta copioſius, luculentiusque tractandi. Specimen praebeat, quod de opere *Ioſephi Auguſtini Urſii* Tomo quinto ſcribit; quum inficiari quis nequeat, ordinem quo materia diſtribuitur, & complexum teſtimoniorum pro Pontifice Romano vi maiori praeſtantium, & noviter adductorum, alium prope commentarium non efficere. Multa in his voluminibus offenduntur, quae adprobationem paſſim, & laudem retulerunt; & praecipue id, quod de nova operum D. *Hieronymi* editione, in quam & *Maffeius* ſuam ſymbolam contulit, & quae magno decori ſemper Italiae fuerit, late differitur. Haec enim oſtendit pulcerrimas & praeſtantiſſimas editiones etiam in Italia adornari, quae argumenta nova & magni momenti, cum infinitis prope ac tutiſſimis emendationibus, & Ebraica ac Graeca eruditione, coniuncta eruditis exhibeant. Sufficit ut Chronicon inſpiciatur, quod hactenus in denſiſſimis tenebris iacuiſſe videri poteſt. In hiſce ipſis voluminibus tres libri exſtant, in qui-

quibus de natione Etruſca, & Italis primitivis agitur, & eorum origo, mores, ritus exactiſſime ediſſeruntur; & quum hactenus, nonniſi fabulamenta, falſaeque coniecturae, quoad Etruſcos characteres & linguam propoſita fuerint, declarantur ſine erroris metu vera elementa, & pars Etruſcarum inſcriptionum magna explicatur, demonſtrando nil fere aliud eas continere, quam nomina propria, quorum plurima Romana ſunt, Etruſcis characteribus & inflexione exarata. Haec obſervatio unica, prima, & recentiſſima habita eſt, & de ea viri eruditi ex remotioribus Europae regionibus auctori gratulati ſunt, qui hac eadem occaſione numos Punicos, Samaritanos, alioſque expoſuit & enarravit, inter quos dignus in primis obſervatione eſt numus Iuliae Africanus. In iiſdem *litterariis Obſervationibus* texitur prolixus catalogus librorum eximiorum, rariſſimorumque lingua Italica ſcriptorum, qui a *Fontaninio* & *Haimo* omiſſi fuerant; & late oſtenditur quam longa errorum ſeries in libro, a *Fontaninio Eloquentia Italica* inſcripto, habeatur. In iis pariter variarum eruditarum difficultatum, & quaeſtionum ſolutionem reperire eſt, veluti ſignificationis formulae lapidariae *Sub aſcia dedicavit*, quae in clariſſima luce collocatur, ut a pluribus iam animadverſum fuit. Vir hic antiquitatis conſultiſſimus vetuſta etiam documenta incredibili facilitate legit. Iampridem in patria ſua Bibliothecae ante mille annos dedicatae reliquias detexit, indeque anecdota plurimi facienda eruit, inter quae *Caſſiodorii*

Com-

Complexiones, in quibus offenditur id, quo ille celeberrimum caeleſtium Teſtium locum in Epiſtola *Ioannis* legiſſe arguitur; eruit etiam *Felicis* III. Papae opuſculum, & hiſtoriae Eccleſiaſticae fragmentum quarto ſaeculo ſcriptum. Pluria etiam temporum Langobardicorum monumenta publici iuris fecit. Antiquos pariter auctores ſeu Graecos, ſeu Latinos, mira felicitate caſtigat, & verae lectioni reſtituit, dum citat, atque in medium producit. Latine quoque & Italice elegantiſſime ſcribit, cuius rei gratia ab inimicis ipſis, & lividis, laudem meruit. Splendidae igitur eius in utraque lingua eloquentiae ſpecimina habemus, in Italica quidem, *de ſcientia Equeſtri* Commentarios, & *Veronam illuſtratam*; in Latina vero, Epiſtolas, quibus *Galliae Antiquitates* continentur; Praefationem D. *Hilarii* operum editioni praefixam; & opuſculum, quod *De fabula Ordinis Conſtantiniani* inſcribitur. *Maffeii* quoque repertum eſt, fulmina non procul a terra accendi, atque in altum vibrari; ſumta occaſione ſcribendi ex fulmine, quod in cubiculo, in quo ipſe erat, accenſum fuiſſe ſibi viſum eſt. Quod ad antiquas Inſcriptiones attinet, *Artem Criticam Lapidariam*, nondum vulgatam, compoſuit, ex qua liquet hanc materiam in magnis adhuc tenebris verſari; quum multi hactenus inſcriptiones deſcripſerint, ſed nemo ſatis falſum a vero diſtinxerit atque ſecreverit. *Maffeius* in praeſens in publici Muſei conſtructione & dedicatione Veronae occupatur, quod quidem ultra dimidium abſol-

ſolvit, quodque omnes fatentur ceteris omnibus Europae Muſeis praeſtiturum. Conſtat hoc anaglyphis, & inſcriptionibus cuiuſcumque generis, Graecis plus centum; Etruſcis viginti; Aegyptiis, Arabicis, Romanis innumeris & eximiis. Moris ei fuit Scriptoribus eius opiniones impugnantibus minime reſpondere; adeoque id averſari, ut ne commentationes quidem eorum legere dignatus ſit; niſi quod *Pfaffio* Lutherano, & Calviniano *Baſnagio*, utpote doctis, honeſtis, & de religione agentibus, modeſte atque erudite reſpondit. Atque ita quidem Scriptor anonymus, cuius narrationi tantum addam quod *Maffeius* praeſtantiſſimus anno MDCCXXXVII. Commentarios, ſeu Memorabilia fratris ſui, copiarum Bavaricarum Ducis, ab eo ſcripta, typis excuſa in vulgus prodidit. Item commentarium de gratia Dei, ſeu non abſimili argumento, Tridenti a *Maffeio* editum nuper fuiſſe perhibent, quod tamen mihi hactenus legere, aut videre non contigit; & quum Florentiae anno MDCCXI. verſaretur *Caſſiodorii Complexiones*, ut dictum eſt, edidit; rurſumque excudi fecit Epiſtolam *Io. Chryſoſtomi ad Caeſarium* eruditis animadverſionibus additis, & ad *Iacobum Baſnagium* idem facere meditantem directis, qui deinde quaedam *Maffeio* repoſuit. Nam adverſus eum nonnulli ſtilum exercuerunt, atque inter alios *Ant. Franc. Gorius*, *Laurent. Guazzeſius* Eques Arretinus, P. *Martinius* Benedectinus Gallus, & Mediolanenſis *Caſtellionius*, viri omnes pereruditi, quibus *Maffeius* reſpondere detrectavit,

prout

prout facere in huiuſmodi adgreſſionibus conſuevit. Itaque *Maffeii* opera edita ſunt, quae ſequuntur:

De Scientia Equeſtri Diſſertationes X.
De Amphitheatris
Obſervationes Litterariae, Tomi VI.
Antiquitates Galliae Epiſtolis XXVI. *comprehenſae.*
Verona illuſtrata.
Merope, Tragoedia.
Cerimoniae, Comoedia.
Praefatio in D. Hilarii Opera.
De Italis primitivis Diſſertatio.
Carmina Latina.
Carmina Italica.
Hiſtoria Diplomatica.
De fabula ordinis Conſtantiniani.
De fulminis natura.
Memorabilia Maffeii, Bavaricarum copiarum Ducis.
De gratia Dei commentarium.
Epiſtola D. Chryſoſtomi ad Caeſarium iterum edita cum obſervationibus.
Caſſiodorii Complexiones in Acta Apoſtolorum, Epiſtolas, & Apocalypſin.
Paſſio Sanctorum Firmi & Ruſtici.
Primus Iliados liber verſibus Italicis expreſſus, & alia quaedam quae ſpartim habentur.

Inedita ſunt:

Ars Critica Lapidaria, aliaque.

IO-

IO. GASTO MAGNVS ETRVRIAE DVX.

IVſtum, clementem, adfabilem, munificum, & quod raro in principali conditione contingit, eruditum atque Philoſophum, litterarum bonarumque artium patronum & amplificatorem exhibeo poſtremum Mediceorum Heroum Principem, *Ioannem Gaſtonem*, ſeu *Guaſtonem*, ſeu *Vedaſtum*, Latine efferendum eſt, Magnum Etruriae Ducem, cuius grata ſemper & iucundiſſima fuerit apud ſuos populos recordatio; apud exteros vero & longe remotos laus & admiratio perpetua. Hic enim *Coſmae* III. Magni Ducis, & *Margaritae Aloiſiae* Aurelianenſis, filius, *Ferdinandi* autem Principis laudatiſſimi frater, natu minor, anno MDCLXXI. natus eſt; & quum puer ſub egregiis praeceptoribus humaniores litteras didiciſſet, animumque ſublimioribus doctrinis percipiendis idoneum ſtudioſa ſedulitate reddidiſſet, diſciplinis ſub celebri *Vincentio Vivianio*, *Galilaei* diſcipulo, primum; deinde ſub *Benedicto Breſcianio*, erudito & optimo viro, operam navavit; a quibus & neceſſariam ſcientiae naturalis cognitionem cupide hauſit. Quo vero ſacram profanamque hiſtoriam, & Chriſtianae ſapientiae conſulta, penitus animo comprehenderet; ac rei antiquariae notitia, veterumque monumentorum cognitione, polleret; *Henricum Noriſium*, Auguſtiniani Ordinis hominem, in Piſano Atheneo hiſtoriae, Eccleſiaſticarumque controverſiarum tunc Profeſ-

ſorem, deinde vero Purpuratorum Romanae Eccleſiae Patrum unum, non tam dignitate quam multiplici doctrina conſpicuum, & commentariis editis celeberrimum, praeceptorem adhibuit. Iuriſprudentiam, & cum Romanam, tum Graecam, quae antiquis legibus & inſtitutis illuſtrandis inſervit, eruditionem, *Ioſephus Averanius*, Iuriſconſultus clariſſimus, eum docuit; praefectumque iuveni Principi inſtituendo reperio anno MDCLXXXVIII. quum id *Benedictus Averanius* frater in Epiſtola quadam hoc eodem anno ſcripta teſtetur. At hiſce ducibus in diſciplinarum egregiarumque artium curriculo mirabiliter progredi Princeps, doctrinae & eruditionis numeris omnibus abſolutae cupidiſſimus, minime contentus, quum regiarum aedium cubiculis, quae incolebat, Bibliothecam, cui *Antonius Magliabechius* praeerat, contiguam haberet, eum inibi fere quotidie conveniebat, immenſa eius eruditione & πολυμαθεία incredibiliter delectatus. *Antonium Mariam Salvinium* quoque, eximium Graecarum litterarum Interpretem, diſſerentem lubentiſſime audiebat, ubere & exundanti illius doctrinae copia capacem animum affatim locupletans. At deinceps *Ioſephum* quoque *de Papa*, Archiatrum doctiſſimum, quotidie ad ſuum colloquium admittebat, & cum eo diſſerere ac confabulari gaudebat; quemadmodum cum *Benedicto Breſcianio*, quem, quoad vixit, ſibi familiariſſime haerere voluit: idque in cauſſa fuit cur, quum *Coſmas* III. in Palatinae Bibliothecae cuſtodia *Magliabechio* ſucceſſorem ſuffi-

ſufficere deliberaret, *Ioannis Gaſtonis* auctoritate factum ſit; ut *Breſcianius* ad illud munus obeundum eligeretur. Adde quod *Breſcianus* exacta Muſices cognitione praeſtabat, cuius amore ducebatur Princeps ille cultiſſimus; quare fides ſuaviter pulſare didicerat, & una cum *Marco Antonio Mozio* Canonico Florentino, huiuſmodi peritia inſigni, in citharae lyraeque ſono numeroſe excitando frequenter exercebatur. Quum autem variarum gentium linguis perdiſcendis animum adpliсuiſſet, Gallicam, Hiſpanam, Germanicam, Britannicamque comprehendit. Hiſce ſtudiis *Ioannes Gaſto* florebat, multamque rerum pulcerrimarum peritiam comparaverat, quum *Ioannes Mabillonius*, Monachus Gallus praeſtantiſſimus, anno MDCLXXXVI. Florentiam advenit, & in eruditiſſimo Principe praeclaram illam, ut ipſe ait, *Mediceorum* indolem, ideſt, innatam in litteras, & litteratos viros propenſionem, cum aliis eximiis dotibus deprehendit, & iure optimo ſubſpexit. Hinc, quum adhuc ille florenti aetate vernaret, meruit ut eius honori numiſma caderetur, in cuius averſa parte Genius Virtutis exſtaret, qui a Virtute ipſa ad excelſi montis faſtigium duceretur, cum epigraphe: *Nulla, niſi ardua, virtus*. Et quidem adeo ille in doctrinarum, litterarumque ſpatiis ampliſſimis decurrendis profecit, ut *Henricus Noriſius* dictitare ſolitus fuerit: *Princeps exaequat nos iam doctrina magiſtros*. Mathemathica vero in tantum inſtructus evaſiſſe credebatur, & eas diſciplinas adeo fovit, auxit, ampliavit, ut *Nicolaus*

laus Butius, Piſtorienſis, vir Graece Latineque doctus, *Apollonii Pergaei* editionem, a ſe Piſtorii anno MDCXCVI. adornatam, Principi Geometriae peritiſſimo dedicaverit, atque inter cetera ita adlocutus fuerit: *Cui enim potius, quam Tibi, tenuiſſimus hic noſter erat vovendus labor, quo duce & auſpice ſtudiorum, ac praeſide, diu multumque in celeberrima Academia litterarium pulverem trivimus? Cui potius, quam Tibi, liberaliſſimae omnes facultates ſe dedant illuſtrandas, a quibus adeo te intelligunt illuſtrari? Cui demum potius, quam Tibi, haec una potiſſimum ſcientiarum Domina ſe commendet, a quo & ornamenta maxima, & in dies incrementa deſumſit? Ferunt, ut primum Romanorum arva ipſis imperatorum manibus, eburneo ſcipione depoſito, coepta ſunt coli, & ſegetes creviſſe laetius, & uberiorem fructum, gaudente quodammodo terra, reddidiſſe. Dicam verius, Mathematicas diſciplinas, incultas iam olim ſpiniſque obſitas, & modo cultiſſimas eſſe tua induſtria, & in meliorem frugem veniſſe. Etenim eae quaſi geſtiunt, ac magnifice gloriantur, quum ſentiant & ſua contrectari digniſſimis imperio manibus inſtrumenta, & tuis ſe abunde copioſeque ſudoribus inrigari. Guido Grandius* etiam Monachus & Abbas Camaldulenſis, & tunc Philoſophiae in Piſano Lyceo Profeſſor, ei nuncupavit *De Quadratura Circuli & Hyperbolae* libellum, quem anno MDCCIII. publici iuris fecit, & in quo *Ioannis Gaſtonis* ſcientiam multiplicem, & diſciplinarum cognitionem demiratus, ita librum ſuum Geometra & Vates adloquitur:

I liber

I liber Etruſci, quo te ſpes altera regni,
Et Medicum ſtirpis gloria, Gaſto vocat.
Sive illum invenies naturae arcana moventem,
Complecti veteres mente, novoſque ſophos.
Sive Syracoſii, Pergaeive arte magiſtri,
Conica regali ducere ſigna manu.
Seu divina ſacrae verſantem dogmata legis,
Et fidei faſtos, & monumenta Patrum.

Quamquam vero Princeps praeſtantiſſimus utili & laudata doctorum hominum conſuetudine magnopere delectaretur, ut diximus, Euripideum illud animo fortaſſe recolens,

Σοφοὶ τύραννοι σοφῶν συνουσίᾳ,
Sapientes Principes ſapientum conſuetudine;

libris tamen quoque evolvendis perlegendiſque ita incumbebat, ut claſſicos inſigneſque auctores, cum Latinos, tum Graecos, recentiorumque praecipuos, adſidue lectitaret atque perpenderet. Eruditos etiam Conventus, qui Florentiae habentur, maxime probabat; & *Furfureorum*, ut vocant, in quem cooptatus fuerat, perhonorifico acceſſu frequentavit: viſuſque eſt ſaepius orationibus, & diſſertationibus, quae in Coetu legebantur, audiendis intereſſe, ac de auditis ſuum iudicium proferre; & ſiqua argumenta & rationes, ſiqua teſtimonia & loci veterum neotericorumque Scriptorum omiſſi fuerant, notare, atque auctoribus revocare in memoriam, quo lucubratio-

nes ſuas numeris omnibus abſolvere, & ſecundis curis caſtigare & locupletare valerent. Huius enim Conventus patrocinium ſuſceperat, non aliter ac maiores ſui glorioſi magnanimique iam fecerant. Adeo vero Academiae, quae *Florentina* dicitur, & in noſtra urbe eſt omnium maxima & vetuſtiſſima, decus ac gloria ei cordi fuit, ut *Salvinum Salvinium*, Canonicum Florentinum, Profeſſoremque eruditiſſimum, eidem longo annotum tractu Conſulem praeter morem, nam magiſtratus annuus eſt, praeſidere voluerit; quo ſcilicet ſtimulos adderet ſcribenti *Faſtos* eiusdem Academiae *Conſulares*, eosque ille ad umbilicum deducere tanta Principis indulgentia cogeretur. At quum, uxore ducta *Anna Maria Franciſca* a Saxen-Lavemburgo, in Germaniam, Bohemiamque, ubi illa permanere voluit, *Ioannes Gaſto* anno circiter MDCLXXXXVII. profecturus eſſet, viros etiam eruditos in comitatu habere voluit; & Ficlenſem *Io. Simonem Paterinium*, egregium Philoſophum, & Medicae rei conſultiſſimum; *Benedictum Breſcianium*, virum impenſe doctum, & olim praeceptorem ſuum; *Ioannem Caldeſium* Chirurgum Arretinum, qui anno MDCLXXXVII. eximium tractatum de teſtudinum anatome Florentiae ediderat; *Petrum Dominicum Bartolonium* Empulenſem, qui eleganti Dithyrambo, Pragae primum edito, ac deinde Florentiae anno MDCXXXVI. iterum vulgato, Melnichi in Bohemia vina laudavit; & Ieſuitam denique *Sotomaiorem*, virum ſanctimonia & ſcientia praeſignem, ut

ſibi

ſibi a Confeſſionibus eſſet, ſecum adduxit. Quum vero multos annos in Bohemia verſatus fuerit, & inde per Germaniam vagatus, atque in Gallias, Belgium, Bataviam, varias regiones & urbes luſtrandi, multorumque hominum mores noſcendi, gratia contenderit, nullam occaſionem non adripuit, quo ſcientia, ſubactumque iudicium, in ſe perficerentur & creſcerent; & cum viris doctiſſimis congreſſus eſt, & Hamburgi cum *God. Guil. Leibnitzio*, tunc quaqua patet orbis percelebri, in primis; cuius etiam placita amplexus fuiſſe creditur, & non diſſimili ratione philoſophatus; & ad Coetus omnes eruditorum hominum, illuſtriaque Phrontiſteria acceſſit, & Pragenſe praecipue Atheneum ſaepe frequentavit, a Profeſſoribus & auditoribus aeque acclamatus; & Bibliothecas inſignes, & egregiis voluminibus inſtructiſſimas inviſit; & ſi quae aedes erant Minervae, Muſiſque ſacrae, & Sapientiae ſtudiis, doctrinis, liberalibuſque artibus excolendis deſtinatae, eas omnes ſua praeſentia honeſtavit; & quanti literas, & doctos eruditoſque homines, penderet luculenta ſignificatione demonſtravit. In Germania quoque Iuris Civilis ſcientiam, quam in Tuſcia ſub *Averanio* non ita perfectam didicerat, abſolviſſe, & ampliaſſe, atque ex abundantiori fonte, naturae videlicet, & gentium Iuris, derivaſſe videatur, luculentis *Hugonis Grotii*, & *Samuelis Pufendorfii*, aliorumque praeſtantiſſimorum virorum, commentationibus adiutus; quas idemtidem laudare deinde atque adlegare conſuevit, eas ſaepe

difficultates adſiſtentibus ſibi ius dicenti prudentibus obiiciens, quas removere ac diſſolvere iis proclive non erat, ut *Iacobus Contius*, vir iuriſconſultiſſimus, aliquando teſtatus eſt; & quae Principem ad veram utilemque iuſtitiam, populorumque ſalutem, unice ſpectantem evidentiſſime arguebant. Hinc, & ex alte percepta Philoſophia, deinde in eo Democriteus ille riſus, ſarcaſmuſque laudabilis, atque omnium caſuum eventuumque, quos, rerum fato utcumque maior, prudentia ſemper vitare non poteſt, contemtio, & veluti ex ſpecula ſublimi deſpectus: hinc remiſſio illa, & in poenis inrogandis laxa & diſſoluta ſeveritas, ſupplicii mora, & in damnandis reis dubitatio ac perplexitas, qua Princeps optimus clementiae laude cenſetur, populorumque pater arguitur; dum melius bonos mores lenitas ſuadet, quam crudelitas exigit: hinc comitas ſingularis & effuſa liberalitas, qua cunctos incredibili adfabilitate excipiebat, ſe parem magis & civem, quam regnatorem exiſtimans; qua ſubiectos populos παραδόξως & inſolenti ratione beabat, quorum quidem fortuna non floret, & divitiae non adfluunt, niſi ſub Principe neglecti fiſci populatore munifico. Et talem quidem praecipue ſe geſſit, quum ex Germania reverſus alia illuſtria ſuae in litteras litteratoſque homines propenſionis ac benevolentiae exempla & ſpecimina praebuit. Nam quum anno MDCCXIV. *Ferdinandus* frater naturae conceſſiſſet, ipſe in eius locum ſubſtitui lubenter paſſus eſt, quoad Ephemeridum litterariarum, quae Venetiis ede-

edebantur, patrocinium: virique illi docti, qui eas ſcribebant, ſe in eo dignum fratre ſucceſſorem, fautorem Muſarum eximium, & patronum eruditiſſimum, inveniſſe profeſſi ſunt. Sed & a Patre duarum in Etruria illuſtrium Academiarum, Florentinae, & Piſanae, Protector conſtitutus eſt; & arcanis gravibuſque de imperio moderando conſervandoque conſiliis prudenter adhibitus: quum ille maturam virtutem, ſenilem prudentiam, & ſcientiam Principibus non ita communem, in filio deprehendiſſet. Praeſtitum ab eo adhuc iuvene ſcientiis liberalibuſque diſciplinis praeſidium *Benedictus* etiam *Menzinius* laudibus tulit, in ode elegantiſſima, quam ad eum tunc temporis miſit. Quum vero anno MDCCXXIII. *Io. Gaſto* imperii habenas ſuſcepiſſet, patrocinium illud, quo ſtudia litterarum, diſciplinas, bonaſque artes foverat & protexerat, non continuavit modo, verum etiam auxit, & ampliavit. Et illud in primis eſt commemoratione digniſſimum, quod, quum *Coſmas III.* cucullatorum, ſuperſtitioſorumque hominum, conſiliis & ſuaſionibus adductus, ne Philoſophorum quorumdam placita, & Democriteorum praecipue, in Piſano Lyceo a quoquam docerentur prohibuiſſet, & *Paſchaſium Iannettium* Phyſices Profeſſorem, recentiorumque ſententiarum adſertorem acerrimum, ne eiuſmodi opiniones inſinuaret auditoribus, a Philoſophiae cathedra ad Medicinae profeſſionem tranſtuliſſet; vix *Io. Gaſto* Patri ſucceſſit, huiuſmodi interdicti vincula & repagula abrupit, ac philoſophandi liber-

bertatem reſtituens, & *Iannettium* ad priſtinam Phyſices profeſſionem cum univerſorum gaudio revocavit; & novis Philoſophorum repertis, plauſibilibuſque ſententiis, eiecta & exculcata futili & inani captioſorum Scholaſticorum de natura rerum diſſerendi ratione, facile invehendis aditum latiſſimum patefecit. Tunc everſis hominum ſcientiae inimicorum, oſorumque veritatis, machinamentis, & eorum technis & fraudibus eluſis, non impune fuit illis, ſiquid contra recentiores doctrinas, & conſulta Philoſophorum, temere adtentaviſſent; exemplumque habemus inluſtre in pullato illo, qui auſus quaedam in Piſanos Profeſſores, neotericamque Philoſophandi viam ac methodum imprudentius effutire, Epiſtola a *Paſchaſio Iannettio* ſcripta, & Diacriſi quadam verſibus hexametris a *Guidone Grandio* Monacho & Abbate Camaldulenſi, Mathematices Piſis Profeſſore, nuper mortuo, in Philoſophiam *Nov-antiquam Thomae Cevae* Ieſuitae elaborata, & anno MDCCXXIV. cum ſcholiis luculentiſſimis publici iuris facta, optime vapulavit, ab apologia omni, & ulteriore ſcriptione vulganda, deterritus. Quum igitur Princeps cultiſſimus Piſani, Florentinique Athenei curam praecipuam haberet, ea Profeſſoribus lectiſſimis inſtruere non omiſit; & Piſanos quidem renunciavit *Io. Alb. Soriam* Liburnenſem, concinno & illuſtri Logices tractatu edito clarum; & *Io. Baptiſtam Caracciolium* Neapolitanum, Clericum Regularem Theatinum, quarumdam *Gregorii Nyſſeni* epiſtolarum editione, commentario de lineis curvis, & D.

Caie-

Caietani Thienei vita ſcripta, percelebrem; *Eduardum Corſinium*, Scholarum Piarum Clericum pariter Regularem, qui eximios de univerſa Philoſophia libros, Geometricoſque tractatus evulgans, famigeratus evaſit; *Claudium Fromondum* Monachum Camaldulenſem, *Guidonis Grandii* auditorem; & hoſce quidem tres Philoſophiae doctores iuſſit. Iuris vero Civilis docendi munus *Pompeio Nerio* Florentino, nunc ad ſplendidiorem dignitatem evecto; *Auguſtino Patronio* Liburnenſi, & *Leopoldo Guadagnio* Florentino, qui de Legibus Cenſoriis elegantiſſime ſcripſit, eruditiſſimis viris iniunxit. *Alexandrum Politum* Florentinum, *Euſtathii* in *Homerum*, & *Dionyſium Periegeten* Commentationum Latinum interpretem & enarratorem clariſſimum, politioribus litteris tradendis deſtinavit: Theologicis dogmatis interpretandis *Gerardum Capaſſium*, ſcriptis editis notiſſimum, & *Fancellium*, Florentinos ambos & Servitas, praefecit: Medicinam vero *Antonium Cocchium* Mucellanum, *Xenophonte* Epheſio Latine converſo, & doctis diſſertationibus elucubratis, inſignem; *Verzanium* Bargenſem, & Miniatenſem *Rain. Bonapartem*, profiteri voluit; quemadmodum & *Nicolaum Gualterium* Florentinum, quem poſtremo loco produximus, quod de eo pluria a nobis narranda prolixius, diſtinctiuſque proferenda ſint. Hic enim quum famulitii *Violantis Beatricis* Magnae Etruriae Principis Medicus primum electus fuiſſet, deinde apud *Ioannem Gaſtonem* Medicum Archiatri iam ſenio confecti ſocium geſſit, in-
ter

ter Florentinos Profeſſores cooptatus ; & tandem, *Ioſepho de Papa* Archiatro anno MDCCXXXV. vita functo, Archiater ipſe renunciatus eſt, & Cathedra in Piſano Atheneo, quam *Ioſephus de Papa* obtinebat, donatus. Hoc igitur miniſterio conſpicuus, ut ſe & apud Principem, & apud populares ſuos, exteroſque, amplius probaret, quum iam in anteceſſum, anno ſcilicet MDCCXXV. libellum de Fontium origine adverſus *Antonium Vallisnerium* Profeſſorem Patavinum eminentiſſimum edidiſſet, & Muſeum vario naturalium cimeliorum, ut marinarum concharum plantarumque, lapidum, ſuccorum, liquorum, opobalſamorumque, genere & copia inſtructiſſimum dedicavit ; & conchas omnes, quas illud contineret, aere inciſas & expreſſas exhibuit, & commentariis eruditiſſimis illuſtravit. Quod autem Muſeum ſuum tanta rerum pulcerrimarum copia & varietate *Gualterius* inſtruxerit, *Io. Gaſtonis* munificentiae debetur, qua Princeps optimus iuſſit, ut ex rudi indigeſtaque huiuſmodi rerum maſſa, adgeſtiſque temere cumulis, quos regium Cimeliarchium ſervat, eas *Gualterius* ſeligere, & in ſuum uſum transferre poſſet, quibus ſibi opus eſſe iudicaviſſet. Nec hiſce contenta Principis liberalitas, ex remotis & longinquis oris praeſignes omniparentis naturae foetus, perraraſque conchas, quaſcumque *Gualterius* indicaſſet, Florentiam advehendas curavit. At non in Profeſſoribus doctiſſimis tantum in Piſano Atheneo conſtituendis, Principis erga illud beneficia ſubſtiterunt,

ve-

verum etiam excelſam ſpeculam, coeli motibus, ſiderumque tranſcurſionibus, obſervandis idoneam, urbium florentiorum exemplo permotus, & Maiorum ſuorum laudata imitatione incitatus, conſtrui ſapientiſſime voluit. Quid quod *Ceratium*, Patricium Parmenſem, & Oratorii, ut vocant, Romae, Presbyterum, multiplicis doctrinae fama celebratum, eiuſdem Athenei Procuratorem, & militaris D. *Stephani* Eccleſiae Piſis Antiſtitem, Florentiam evocatum, creatumque equitem, renunciavit? At ſi Lyceum illud tantis beneficiis adfecit, & commodis recreavit; non minus tamen de Florentino optime meruit Princeps publico bono natus, & prudentiſſimus; nam eius vigil cura praecellentes doctrina & eruditione Profeſſores in hoc pariter elegit, interque alios *Ant. Franc. Gorium*, eruditis de re antiquaria commentariis in lucem editis orbi litterario notiſſimum, quique in dies laboribus huiuſmodi laudatiſſimis ſe exercet, ut ſibi, patriae, & Florentinae Academiae in primis, decori ac laudi ſit, hiſtoriae exponendae praefecit. *Benedictum Monetam*, cauſſarum patronum egregium, & diſciplinis etiam, ac multiiugi eruditione praeſtantem, Iuris civilis interpretem renunciavit. *Ioannem Targionium* Florentinum, Medicum doctiſſimum, Botanices Magiſtrum, & publici viridarii Cuſtodem iuſſit. *Antonium Cocchium* ad tradendam Medicinam Piſis Florentiam tranſtulit, ſicuti & *Pompeium Nerium*, filium patre dignum, & penita univerſi Iuris cognitione inſtructiſſimum, quo Flo-

concinnatus; D. *Baſilii Magni* Homiliae quaedam ab *Ang. Maria Riccio*, Graecarum litterarum publico Profeſſore, in Italicum ſermonem e Graeco converſae; *Guidonis Grandii* de Quadratura Circuli & Hyperbolae liber; *Petri Antonii Michaelii* commentarius, *Nova plantarum genera* inſcriptus; multique alii, quos omnes recenſere longum eſſet atque difficile: tanto Princeps ille eruditiſſimus litterarum amore fervebat, tantaque in praeclara ſtudia proclivitate laudabiliter ferebatur; atque ita coepta inclita & perutilia omnimodis promovebat. Et quoniam *Petrum Antonium Michaelium* memoravimus, eum quoque egregium Botanices doctorem in Academia Florentina eſſe voluit; adeoque fuit, licet numquam in Cathedrae poſſeſſionem miſſus; quum fortior & efficacior ſit Principis voluptas, quam futiles illae formulae, ſolemnitateſque ſupervacaneae, quibus Profeſſorem vere conſtitui quidam perperam arbitrantur. Adde quod Princeps munificus ſtipendium *Michaelio* duplo tandem auxerat, & ſatis amplum reddiderat; & antea etiam plura liberali largitione praeſidia contulerat; quare hic in ſui operis ad Magnum Ducem epiſtola ita eum adloquitur: *Quibus tu, Sereniſſime Magne Dux, patriis avitiſque tuae gentis, materni quoque Avi tui Gaſtonis Borbonii, Henrici Magni F. ſingulare exemplum addens, qui regio eruditoque luxu adfluens, atque inter belli curas, herbariae ſtudio incenſus, eam ſemper in deliciis habuit, quae ille Roberto Moriſonio auxilia praeſtitit, mihi magnifice praeſtitiſti; ut*

quod

quod Sereniſſimi Patris tui inchoaveram auſpiciis, *id tua liberalitate perficerem &c.* Quum autem non multis ab hinc annis *Antonius Franciſcus Marmius*, Eques Florentinus, quem *Antonius Magliabechius* ſuae Bibliothecae Praefectum, & teſtamenti exſequutorem reliquerat, naturae conceſſiſſet, iamque locus eſſet in Bibliothecarii ſucceſſione diſpoſitioni *Magliabechii* ſupremae, qua iuſſerat, ut Monachi *Praedicatores*, quae in D. *Mariae Novellae* Coenobio Florentiae manent, ſuae Bibliothecae curam gererent: *Io. Gaſto*, publico bono conſulens, principali auctoritate Magliabechiano teſtamento derogavit, & ne in Monachorum manus ſupellex libraria tam inſignis deveniret, cavit; atque Cuſtodem *Io. Targionium* laudatum ipſe praefecit; aedeſque capaces, libris illis ſervandis a *Coſma* III. deſtinatas, magnifico ingreſſu, & ſcala perampla exornavit; ſuprema Bibliothecae cura demandata *Carolo Rinuccinio*, Dynaſtae & Optimati primario, & non tam dignitatibus publiciſque muneribus conſpicuo, quam prudentia ſingulari, & eruditione multiplici inſtructo. Non minori erga doctos viros, eorumque memoriam, propenſione *Io. Gaſto*, ut *Vincentii Vivianii* legatum, quo marmoreum mauſoleum *Galilaei Galileii*, praeceptoris ſui, cineribus, conſtruendum heredi iniunxerat, lite diremta, praeſtaretur, ſuprema etiam auctoritate interpoſita, effecit; quod quidem ſepulcrum anno MDCCXXXVII. in *Sanctae Crucis* templo, translatis *Galilaei* & *Vivianii* cadaveribus, dedicatum eſt. Illud autem memo-

moratu etiam digniſſimum, quod, quum Cortonae, pervetuſta Etruriae urbe, novus Eruditorum Coetus anno MDCCXXVII. ſub *Academiae Etruſcae* titulo ad Etruſcas antiquitates illuſtrandas inſtitutus fuiſſet, Princeps Muſarum fautor amantiſſimus, & veterum monumentorum aeſtimator eruditus, eum, in ſuis publicis aedibus, quae in illa urbe exſtant, convocari permiſit, ibique etiam Coetus illius Muſeum & Bibliothecam dedicari. Quantum enim doctam antiquitatem adamaverit *Gaſto*, etiam illud argumento eſſe poteſt, quod perrarum Cimeliarchium, quod in ſuum uſum *Petrus Andreas Andreinius*, Patricius Florentinus, harum rerum peritiſſimus, inſtruxerat, trecentis, & quod excurrit, gemmis conſummatiſſimae & elegantiſſimae ſculpturae in ſuam Gazam translatis, poſſidere ſategit; paſſimque huiuſmodi vetuſtatis eruditae reliquias magno pretio emebat, utpote ſibi cariſſimas. Nam vel *Antonium Franciſcum Gorium* laudatum, qui modium perantiquum, Florentiae forte fortuna repertum, ei liberaliter donaverat, largo publici ſtipendii augmento remuneratus eſt. Quamquam vero tanti vetuſta monumenta faciebat, recentiora etiam praeſtantium artificum opera, laboreſque laudatos admirabatur; & Pictores, Sculptores, Architectoneſque plurimi pendebat; eorumque, quaecumque illi adtuliſſent opera, picturas, ſtatuas, anaglypha, atque id genus alia, lubenter gratanterque accipiebat, eos adloquebatur comiter, & munifice praemiabatur. Et quidem anno MDCC-

 XXXIII.

rem, benevolentiam, admirationemque meruit, ut exteri viri principes ad eum accedentes, & ipſi aliquid de tetrica maieſtate remittere diſcerent; atque iis illum officiis proſequerentur & colerent, quae anteceſſores Magni Duces ab illis exigere numquam potuerunt: omneſque generaliter inviti, & permoleſte, ab eius amabili congreſſu, placidiſque conloquiis, non tam diſcederent, quam avellerentur. Ob hanc igitur clementiam & comitatem inſolitam, & omnibus ferme ſaeculis inauditam, quam utinam ſaepius ſubditos populos experiri ac ſubſpicere, ſervorum cuſtodiae Principis addictorum avariſſimum genus paſſum fuiſſet.; obque amorem, & benevolentiam erga omnes eximiam, inſperata eius mors, quae anno MDCCXXXVII. V. Id. Iulias contigit, Etruſcos omnes ingenti & incredibili luctu proſtravit. Sepultus eſt in Maiorum ſepulcreto in D. *Laurentii*; & ubi ſolemnes exſequiae peractae fuerunt, eum funebri oratione laudavit *Ioſephus Bondelmontius*, Patricius Florentinus impenſe doctus: *Gorius* autem egregiam Inſcriptionem, quae ſequitur, Principis iuſſu, adpendit; alii alia ſcripſerunt, & publice expoſuerunt.

IOANNES GASTO MAGNVS ETRVRIAE DVX
IVSTVS . PIVS . CLEMENS.

Bono publico augendo tuendoque Coſmo III. M. E. Duce. & Margarita Aloiſia Ioannis Gaſtonis Ducis Aureliani Filia feliciter natus eſt.

 Ab

thecam Magliabechianam regio cum cimeliarchio & curia coniunctam. Perhonorifico aditu decoratam. Omnibus oneribus immunem. Publico ſtudioſorum bono patere decrevit. Academicorum congreſſibus frequens. Ampliato editoque ſuis auſpiciis lexico. Tuſcum ſermonem ad ſummum nitorem & elegantiam evexit. Poſtremo non ſuae ſed publicae felicitati vivens. Editis illuſtribus chriſtianae pietatis exemplis. Conſtanti ſerenoque animo ſpreta ſeculi gloria. Anno aetatis ſuae ſexto ſupra ſexageſimum menſe I. d. XIV. h. XI. Imperii anno XIII. menſe VIII. d. XIV. aeterna immortalitate dignus deceſſit.

OPTIMO PRINCIPI

Publicae felicitatis propagatori. Pacis conſervatori. Pauperum patri providentiſſimo. Etruſcorum regum ex auguſta Medicea domo ultimo. Quietem & beati luminis claritatem precamini maeſtiſſimi Etruriae populi.

Ipſe Epigrammata ſubiecta legenda exhibui.

Ergo iacet Medicum, quibus Italis ora ſuperbit,
Splendor, & aetatis gloria, Gaſto, ſuae?
Gaſto pius felix populi moderator Etruſci,
Et Pater, & Princeps optimus, ergo iacet?
Nec, quo dilectos cives ſervavit, acerbae
A triſti eripuit vulnere mortis, amor?
Pectore, quo facilis fixit clementia ſedem,
Abſtinuit diras nec Libitina manus?
Infeſtamque ſibi ſenſit fera bella moventem,
Qui placidus laetae pacis amator erat?

Non illi toto celebrari profuit orbe
Munificum, inſignem iuſtitiaque virum;
Non rerum abſtruſas ſcrutantem noſcere cauſas,
Aetheraque ingenio ſuppoſuiſſe ſuo;
Dumque hominum mores multorum ſpectat, & urbes,
Linguarum varios edidiciſſe ſonos.
At miſera, infando ſaltem, Florentia, luctu,
Debuerantque malis parcere fata tuis;
Parcereque adflictae deſolataeque ſorori,
Altera quae Tuſci laus manet imperii.
Nempe nihil ſaevis eſt inviolabile fatis.
Sed cur flebiliter talia multa queri?
Mortales tantis vicit qui laudibus omnes,
Ad ſimiles Heros debuit ire Deos.

Otia qui placidis fecit tranquilla Camoenis,
Et ſtudia, atque artes egregias, coluit;
Ac pretioſa legens aevi monumenta vetuſti
Doctorum adgeſſit reliquias operum;
Collectamque ſibi gazam quemcumque tueri
Exhibitis cupidum iuſſit imaginibus;
Ardua quique oculis admovit ſidera noſtris,
Aetheris immenſas turre docente vias;
Et curam fovit, qua quis bene ſedulus herbas,
Vireſque herbarum diſceret innumeras;
Et lepor, & Tuſcae cunctis qui gratia linguae,
Et largae voluit ſubſpicerentur opes;
Maiorum Gaſto memoranda exempla ſequutus,
Sic tamen ut titulos, & decus, addiderit,
Fatorum terras praeda invidioſa reliquit.
Flent Muſae ereptum nobile praeſidium.
Digna tamen felix tantae fert praemia laudis
Parte ſui aeternum ſe meliore videns.

Dul-

Dulcia nam laetae condent dum carmina Muſae,
Gramina dum Tellus, dum feret aſtra Polus;
Dum culto ſermone loquetur Etruria, priſcae
Dumque erit aetatis reliquiis pretium;
Auguſti toto celeberima Principis orbe,
Quae ſupereſt, Virtus, Gloria, Nomen, erit.

Furfureorum Coetus Patroni Principis manibus, eleganti oratione a *Salvino Salvinio* Canonico Florentino laudato habita, & carminibus variis in eius laudem recitatis, iuſta perſolvit, in aedibus Stroctianis celebrato conventu.

BENEDICTVS LAMIVS.

ET quodnam animi mei propoſitum, eruditorum hominum vitas ſeu ſcribendi, ſeu colligendi, libertatem tam ſevera lege coerceat; ut mihi praeſcriptos vertentis ſaeculi fines ne latum quidem unguem excedere liceat; nec patriae pietati indulgens de *Benedicto Lamio*, genitore meo, in ipſo praeteriti ſaeculi termino vita functo, verba faciam; quum leges amor neſciat, & minimum temporis intervallum impedimento eſſe non debeat filio patris memoriam veneranti, quin eius actus, & qualiaecumque erga remp. litterariam merita, litteris mandata ſerae poſteritati tranſmittat? *Benedictus* igitur *Lamius* in hiſce Memorabilibus locum iure optimo habeat, qui anno MDCLXII. IV. Kal. Novemb. *Carolo Laurentii F. Lamio*, & *Felice Blaſia*, honeſtis paren-

tibus, Sancta Cruce, Etruriae ad Arnum oppido ortus, ita puerili aetate ſe exercuit, ſtudiiſque litterarum ſub *Micchaele Angelo Durantio*, ſacerdote antiquae ſimplicitatis, & erudito, ut tempora illa, patriaque, ferebant, ludimagiſtro, operam dedit; ut eius mentis vivida vi, ingeniique perſpicentia, a parentibus certo experimento intellecta, Piſas in illuſtri illo Atheneo in Medicinam incumbendi gratia mitteretur. Natus tunc erat *Benedictus* annos XVI. atque ibi doctrinis, egregiiſque artibus, operam per quinque annos tanta ſedulitate navavit, ut ſub *Antonio Avviſio*, & *Alexandro Marchettio*, ac *Paſchaſio Iannettio* deinde, Democriteam Phyſicam, & Geometriam; ſub *Ioſepho de Papa*, & *Ioſepho Zambeccario*, Medicinam; ſub *Laurentio Bellinio* vero Anatomen, penitus animo comprehenderit; & arctam celebrium horum Profeſſorum amicitiam ob ingenii praeſtantiam, ſpectatamque doctrinam, meruerit. Quum laurea igitur magiſtrali anno MDCLXXXIII. a *Ioſepho de Papa* inſignitus fuiſſet, & Medicinae amplius interiuſque noſcendae, exercendaeque, gratia Florentiam ſe contuliſſet, amicum inter alios, & familiaritate coniunctiſſimum, *Benedictum Breſcianium* habuit; *Franciſcum Redium*, Archiatrum inſignem, auditor perpetuo coluit, atque adſectatus eſt; eruditos *Laurentii Magalottii* congreſſus adſidue frequentavit; & *Iacobo Lapio*, Medico Florentino laudato, ſemper adhaeſit; cum quo & Florentia profectus epiſtolare commercium, quoad vixit, exercuit. Nam aliquos poſt annos

nos in patriam rediit, ubi *Ioanni Gacio*, qui Medicinam publice conductus profitebatur, in miniſterio deinde ſucceſſit, quo quidem munere multa cum laude functus eſt, a reliquis vicinorum oppidorum, urbiumque, Medicis plurimi factus, & inter alios ab *Hieronymo Manfredio* litterariis cum *Ant. Franc. Bertinio* Medico controverſiis noto; & a *Matthaeo Regalio* Medico Lucenſi praeſtanti, ac celebri, cuius litteras ad *Lamium* anno MDCLXXXVI. & deinceps datas, Medica eruditione refertas, nuper evolvi. Et profecto bonam apud doctos homines opinionem collegerat, qui ex eius de morbis iudicio, eorumque curandorum via ac ratione, cum ſcribendo, tum differendo, propoſitis, non unum de turba Medicum eſſe perſpicue intelligebant: quare *Ioſephus de Papa*, in magno pretio apud noſtrates habitus, & eximiis lucubrationibus editis famigeratus, ei adhuc tyroni, anno MDCLXXXIII. Senam ſcribens, adfirmavit, eum *tam recte ac ſapienter de natura & cauſſis morbi cuiuſdam feminae iudicaviſſe; & tot, tamque evidentibus, rationibus ſententiam ſuam confirmaſſe, ut nihil reliquerit ipſi quod adderet; adeoque ſe eius iudicium omnino & penitus adprobare; ei maximopere gratulantem interea, quod certis & indubitatis argumentis oſtenderet, ſe magno decori ſibi ipſi, praeceptoribuſque futurum.* Iacobus autem *Lapius* ad eum pariter Florentiae epiſtolam Latinam dans anno MDCLXXXVII. haec inter alia ſcribit, ipſiſſimis verbis relata: *Legi igitur, & relegi omnia, quae mihi narravit*

char-

charta illa epiſtolaris ad inſtar hiſtoriae Medicae, quam mihi miſiſti hebdomada praeterita, pro adverſa valetudine illius viri conſanguinei tui, Praepoſiti templo primario pagi Sanctae Crucis; & quod magis eſt, legi etiam & relegi eamdem hiſtoriam una cum amabiliſſimo quoque, & nunquam ſatis laudato viro in re litteraria Phyſico-Mathematica, & Medicinali, Ioſepho del Papa, praeceptore tuo, & cum ipſo conſideravi omnia, quae ex parte Medicinae theoretica dicta & ſcripta ſunt a te de idea & natura adfectionis praeter naturam, de parte primo & praecipue adfecta, de cauſſis tam externis, quam internis; tam proximis, quam remotis; de ſcopis curantiae, ac tamdem de prognoſi: omnia iterum dico dicta, & ſcripta tam bene & docte, ita ut nihil dicendum & reſcribendum ſit ad te circa ipſa. Huius tamen aegroti occaſione ſimultas quaedam inter *Lamium*, & *Ioannem Antonium Terentionium* Graniolenſem, tunc Sancti Miniatis Medicum, & nunc Medicinae in Piſano Lyceo Profeſſorem, exorta fuiſſe ex quadam *Lamii* Epiſtola anno MDCXCIII. exarata videatur: nam in ea *Lamius* queritur *Terentionium*, ut *mendacio clareſceret*, Praepoſitum illum reparatam ſalutem ſibi debere iactitaſſe; quum in colloquio cum eo ſemel habito, omnia quaecumque *Lamius* de morbi illius curatione cenſuerat, rata lubenter facileque habuiſſet; nec melius quam ipſe in prognoſi collimaſſet. Interea vero *Lamius*, non intra certos tantum Medicinae profitendae limites ſubſtitit, ſed & aliis doctrinis ſedulo inhaeſit; neque Philologiam neglexit,

xit, ut orationes Italice ab eo ſcriptae, & Gallicae linguae peritia, qua praeſtitit, luculente teſtantur. Italicorum inſuper Poetarum, & *Dantis* ac *Petrarcae* in primis, lectione delectabatur: & ſiqua carmina, lectu digna, ſed typis nondum vulgata, in eius manus pervenirent, exacte diligenterque deſcribebat; quod quidem & in egregio *Franciſci Redii* Dithyrambo laudabiliter praeſtitit. Quin & populares adoleſcentes quoſdam Coſmographiam, Geometriam, & Philoſophiam aliquatenus docuit; & in publicis diſputationibus quantum ſcientia, & rerum divinarum humanarumque cognitione praecelleret, acute doctequé diſſerendo non ſemel oſtendit. Illud autem in primis commemoratione dignum videtur, quod ad eum, quicunque in vicinia eruditiores haberentur, cum Medici, tum diverſae profeſſionis homines, frequenter accederent, qui cum iis de variis ſcientiarum argumentis adſidue diſceptabat: neque illos tantum inſtruebat amplius, cultioreſque dimittebat; verum etiam doctis ſuis ſermonibus *Dominicum* fratrem, & Canonicum ſacerdotem, ita formavit, ut ad Phyſicae neotericae fontes delibandos fidenter accederet, & praeter patriae rudioris morem de mundi ſyſtemate, mirandiſque naturae effectibus, *Galilaei*, *Redii*, *Ioſephi de Papa*, aliorumque celebrium Scriptorum commentariis nocturna diurnaque manu verſatis, deque ipſa re Metaphyſica, ut vocant, non ſine manifeſto ingenii perſpicacis indicio, cum amicis colloqueretur. Etſi vero fratres alios haberet,

Io-

Ioſephum, *Paſchaſium*, *Antonium Franciſcum*, (*Dominico* iam Sacerdote, *Hippolyto* Franciſcanorum cucullum induto, & *Geneſio* in anteceſſum mortuo) *Benedictus* tamen, reliquis caelibem vitam eligentibus, anno MDCXCI. uxorem duxit *Claram Stellam*, *Ioannis* F. *Franciſci* N. *Baldacciam*, popularem ſuam, annum aetatis viceſimum tunc agentem, ex qua quatuor liberos ſuſtulit, *Carolum* anno inſequenti natum, *Henricum* aequo pariter intervallo ortum, *Aloiſium*, quem biennio poſt uxor enixa eſt; & me tamdem *Ioannem* in lucem editum VI. Idi. Novemb. anno MDCXCVII. qui unus ſuperſum, memoratis fratribus immatura morte praereptis. Nam anno MDCXCVIII. *Carolus*, ſequenti *Henricus* atque *Aloiſius* una cum patre *Benedicto*, patruoque *Paſchaſio*, ſemeſtri ſpatio, acerbo funere elati ſunt. *Benedictus* enim quum bene firma valetudine nequaquam eſſet, languentesque vires ob pertinacem ſtudiorum ſedulitatem irreparabili iactura conſumeret, tabuit ſenſim, & poſt varia remedia, etiam ipſius *Franciſci Redii* praecedenti conſilio, incaſſum adhibita, praedicto anno, IV. Non. Aug. naturae conceſſit, & in communi familiae ſepulcro conditus eſt. Silentio haudquaquam praetereundum cenſeo, quum *Benedicto* mors proxima inſtaret, ſeque brevi humanis rebus ereptum iri ſentiret, iuvenem Medicum adſtantem, quem ſibi in publico munere ſucceſſurum cognoverat, monuiſſe & rogaſſe, ne ſuae familiae quemquam aegrotantem ita curaret, ut pharmacis compoſitis, & medicamentis

va-

varia rerum admiſtione temperatis, aut morbum produceret, aut mortem certam inferret: adeo ſuae arti, fallaci, vel inutili ut plurimum, diffidebat. Perhibent etiam dixiſſe, ubi praeſcriptam a *Franciſco Redio* diaetam obſervare animum induxit, ſe iam breviorem vitae viam inire; ſed viri prudentis eſſe, doctorum probatorumque hominum conſiliis & placitis adquieſcere. Apophthegma eiuſdem quoque eſt, naturae admodum conſonum, homines, qui poſt ſe liberos relinquerent, haud omnes integroſque ſibi interiiſſe videri, ſed deducta quadam ſuperſtitum traducum propagine magna ex parte permanere. Genitoris, fratrumque interitum dudum carmine defleveram, quum vitam meam hexametro verſu conſcribere adgreſſus eſſem: cuius quidem initium huc transferre fert animus, quum non incurioſam oppidi Sanctae Crucis, & conterminorum locorum, deſcriptionem contineat; & patris memoriam utraque oratione, vincta numeris, & ſoluta, celebrari par ſit. Illud igitur ita habet:

Qua flexu Etruſcus ſinuoſo labitur Arnus,
Et vallem inferior ſecat, ac foecundat amoenam,
In dextra exigui conſurgunt moenia ripa
Oppidi, & a Sancta Chriſti Cruce nomina ducunt.
Quot paſſus Piſae diſtant, qua mergitur undis
Aequoreis Titan, tot ad Arctos Luca recedit;
Naſcentis quamquam radiis Florentia ſolis

Adflatur prius, & ſpatio maiore diremta eſt.
Hoc veluti merita cingunt vicina corona
Oppida : nam clivo adſurgens propiore ſuperbit
Ficiclum ingens, ſtagnatumque paludibus humet
Cappianum, quod Iuxianae primordia cernit,
Quam Lacus effundit Novus, & qua erumpit in Arnum.
Iuxianae liquidis Falco Mons imminet undis
Arduus, & Puteus, nec non qui nomine Sanctae
Cenſetur Mariae, atque alter de vertice calvo
Mons adpellatus, parvo & qui nomina debet
Monticulus tumulo. Iacet aeque cominus agro
Caſtrum, barbaries voluit quod dicere Francum,
Conditione urbem quaſi liberiore fruentem.
Haec equidem dextris adſpectat, & adluit, undis
Arnus. At haud numero, nec ſorte minora ſiniſtris
Laetificat, ſeu quis Romani cernere Turrim,
Coenobiumque velit, quod Franciſcana peramplum
Gens colit; aut inter colles Talparius exſtans
Mons proſpectantem oblectat. Cui vitrea nomen
Vaſa dedere dehinc Mons eminet, & procul inde
Uno eodemque iugo Stibium, Ciculumque reſidunt.
Huic ſubiecta iacet Iucunda, atque urbs Miniatis

Ad-

Adſurgit procul, olim opibus praeſignis, & armis,
Diruta nunc late, populo nec culta frequenti;
Quam decorat ſacris Antiſtitis infula vittis.
His, aliiſque, agro ſparſis, circumdata caſtris
Stauropolis (Graio liceat mihi nomine Sanctam
Significare Crucem, & numeris parere Latinis,
Nunc patriam vocem, ut minus, indignantibus, aptam)
Contiguis Arni, vitreiſque adſpergitur undis,
Ficicli, & Caſtri media ac contermina Franci: &c.
Prodiit hic roſei dias in luminis oras
Ioannes, alias merito translatus ad urbes;
Cui genitor Benedictus erat, mortalibus aegris
Arte Machaonia doctus reparare ſalutem.
Hic dum naturae latebras, cauſſaſque repoſtas,
Scrutatur: dum ſolis iter, lunaeque labores,
Sideraque, obſervans animo caeleſtia templa
Pervadit, nimio ſtudiiſque incumbit amore
Egregiis, ſe languentem non ſentit, opemque,
Quam reliquis fert, imprudens ſibi denegat. Ergo
Tabidus, & ſeptem vix luſtra egreſſus, obivit
Infantem bimum, & nondum ſua damna valentem
Noſcere, Ioannem linquens, dum verteret annus

Proximus extremo ſaecli praeeuntis. Eodem
Tempore tres rapti fratres aetate tenella
Carolus, Henricus, Ludovicus; mortuus una eſt
Paſchaſius patruus. Parvo quot funera tractu
Extulit una domus! Quanto doluere dolore
Externata parens, cladi & ſupereſſe querentes
Franciſcus, Ioſephus, & is, quem dicere non eſt
Verſu, Dominicus, ſacrum indutuſque cucullum
Carolus! Hos patruos abruptae fragmine vocis,
Lingua haerente, tener Ioannes iure vocabat,
Luctibus in mediis dum luderet inſcius infans.
At mater Clara eſt; gemino quae Stella vocatur
Nomine, vivacis fato robuſta ſenectae,
Stauropolitis & ipſa &c.

Homo fuit *Benedictus* ſtatura iuſta, corpore macilentiore, colore pallenti, naſo ad aquilinum vergente, fronte lata, oculo vivido, capillo nigro; honeſtis moribus, animo modeſto, mitis ac facilis. Lucubrationem nullam typis deſcriptam vulgavit, ſed quaſdam manu exaratas reliquit, quae flammas, quibus ceteras morti proximus damnavit, feliciter evaſerunt. Eae ſunt:

Diſſertatio de vini natura) Italice
Orationes Sacrae)
Diſſertatio de natura & virtute Cinae.
Conſultationes Medicae.

Hiſto-

Hiſtoriae variorum morborum.
Diſſertatio de Cardialgia.
Excerpta ex variis Scriptoribus.
Epitome de morbis ſoporoſis.
Tractatus alii Medici.
Miſcellanea quaedam.

IOANNES BAPTISTA DE MIRO.

Anonymo Auctore.

IOannes *Baptiſta de Miro* Graniani, non obſcuri nominis oppidi mediterranei, non longe a Stabiis, natus eſt anno MDCLVI. Eum filium *Paullus*, vir nobilis, Iuris Conſultus, & Advocatus, Neapolitanus ex *Catharina de Athenaſio* ſuſcepit. Fratrem vero habuit *Vincentium de Miro*, unum ex Regni Curatoribus a *Carolo* Caeſare electum, & in Surrentinorum Nobilium Collegium reſtitutum. Neapoli adoleſcens monaſticam diſciplinam amplexus eſt D. *Benedicti*, Caſinenſis ſcilicet Congregationis, in Aſceterio S. *Severini*, ubi litteris operam navavit. Doctores habuit Philoſophiae, & Theologiae, ſui ordinis religioſos viros. Graecam linguam avide, & celeriter adripuit, eam praelegente *Gregorio Meſſerio*, eximio Neapolitanae Academiae Profeſſore; qui primus eamdem linguam pene fatiſcentem ſubſtinuit. Hinc veterum adſidua lectione omnem hauſit ſapientiam. Philoſophiam in eodem Coenobio docuit, & ſordibus barbarorum inquinatam abſterſit. Inde Venetias evocatus ſummo auditorum plauſu Theo-

Theologiam profeſſus eſt. Poſt plures annos in Collegio D. *Anſelmi* Romae Sacros Canones, maxima antiquae Eccleſiae diſciplinae eruditione, explicavit. Eius virtutes noſter Ordo multis honoribus decoravit. Primum in Abbatem: deinde in Procuratorem Generalem totius Congregationis: poſtremo in Praeſidem elegit. Acceſſit etiam Summi Pontificis *Innocentii* XII. munificentia, & alterum Vaticanae Bibliothecae Cuſtodem praefecit. Tantus vir, inter tot curas, antiqua Philologiae ſtudia, quae unice deperibat, ſomni cibique parcus, nunquam intermiſit. Ad eum noſtrae urbis in re litteraria principes accurrebant; inter quos *Franciſcus Galuppus*, Graece, & Latine doctiſſimus, cuius amicitia, & omnigena ſcientiarum, & totius antiquitatis peritia ſummopere delectabatur. Quin etiam ex ultima Britannia Diſſertationem, cui nomen inſcriptum: *Origines Neapolitanae Vrbis*, non alii legendam miſit, quam noſtro *De Miro*, Vir clariſſimus *Reinolds*. Eius tamen ſententiae de Neapoleos primis colonis, adſenſum noſter Abbas praebere non poterat: unde Diſſertationem haud minus reconditae eruditionis, licet in contraria euntem, epiſtolae forma ad ipſum *Reinolds*, non ſine promerito verborum honore, conſcripſit. Illam anno MDCCXXXIX. praeſtantiſſimus *Iac. Phil. D'Orville* Miſcellaneis Obſervationibus, quae Anſtelaedami eduntur, interſeri curavit, *Vol.* X. *Tom.* III. *pag.* 444. & 463. Poſtremis annis Bibliothecae cuſtodiae nuntium remiſit, & Neapolim ſeceſſit. Summus

mus vero Pontifex *Clemens XI.* ſapientiſſimum virum iam rude donatum annua largitione octo millium ſeſtertium proſequutus eſt. Heic, quamvis diuturno arthritidis morbo vexatus, ſellae, vel lecto, adfixus, nunquam a legendis antiquorum ſapientum exemplaribus oculos avertit. Vir integer vitae, & moribus candidus, vereque Philoſophus, morte occubuit anno MDCCXXXI. aetatis ſuae LXXV. Plura exſtant apud nos eius praeclari ingenii monumenta; a quibus edendis vir modeſtiſſimus abſtinuit. Ex illis eum, veluti ex ungue leonem, dignoſcere licet. Haec partim ad res Eccleſiaſticas, partim ad Philologiam, ſpectant. Quin Muſas etiam Graecas, & Latinas amavit: &, indigna quae lateant, multa ſervamus carmina. Hactenus eruditiſſimus Auctor, cuius elogio illud addere lubet, quod, quum ipſe Mediolani anno MDCCXXIX. verſarer, & cum viro docto, *Horatio Blanco*, aliquando conloquerer, quaereremque, quem Italum Philologum *Io. Clerico* illi celeberrimo comparare & opponere poſſem; ſine ulla haeſitatione reſpondit *Blancus*, *Ioannem Baptiſtam de Miro* non minori doctrina, & eruditione, quam *Clericum*, cenſendum eſſe; ingenii autem moderatione laudatiſſima, ſapientiſque animi virtute, longe praecellere.

FRAN-

FRANCISCVS VALESIVS.

FRancifcum *Valeſium* Roma protulit, qui *Carolo Valeſio* Burdigalenſi genitore ortus eſt anno MDCLXX. matre tamen Romana *Ioanna Mancinia*; hac, e gente honeſtiſſima; illo, ſcriptis eruditiſſimis editis celebri, & egregia praecipue opera, qua *Oderkum Rainaldum* in Annalium Eccleſiaſticorum compoſitione iuviſſe & ratum exploratumque eſt; & eorum inſuper duo Volumina inedita, inter *Franciſci* filii ſcripta reperta, indubitato argumento confirmant. *Franciſcus* igitur puer, paternis in doctrinae laudumque curriculo veſtigiis inſtiturus, primum Ieſuitarum ſcholas, ubi humaniores litteras, & ſcientias diſciplinaſque didicit; & ſub *Baldigianio* quidem praeceptore Philoſophiam, ſub *Eſchinardo* vero Mathematicam, animo comprehendit, alacriter adſidueque frequentavit; indeque iam adoleſcens ad Romanum Archigymnaſium gradum faciens, Graecanicae litteraturae ſub *Ruſſio* earum Profeſſore, ſub Anteceſſore vero *Carpanio*, iuris prudentiae operam dedit. Statim ac diſcipulorum ſubſellia reliquit, ad eruditum Conventum a famigerato *Ciampinio* inſtitutum crebro acceſſit, & in eo tanto ſacrae profanaeque antiquitatis cognoſcendae, ſequiorumque ſaeculorum hiſtoriae percipiendae amore incenſus eſt, ut ſtudio intenſo, & nec intermiſſa adſiduitate, in per-

amoe-

ramoenam utilemque huiuſmodi ſcientiam totus incubuerit, eiuſque peritiſſimus brevi tempore evaſerit. Hinc viri ad eum eruditi paſſim certatimque confluere, cognitiones lubenter communicaturum interrogare, lucem ab eo rebus obſcuris, dubiis explanationem, ac ſalebroſis facilitatem & ordinem quaerere, in omnibus denique conſulere ac ſciſcitari, quo deinde ab eo doctrina & eruditione locupletiores diſcederent. Et quidem perhibent pleroſque litteratos homines, qui noſtra aetate, commentationibus evulgatis late claruerunt, multa, & ea omnia eximia atque praeſtantia, ex ubere eius eruditionis fonte in ſuarum lucubrationum campos derivaſſe, atque ita famam celebriorem, nomenque illuſtrius, prudenter ac laudabiliter quaeſiviſſe. Hos inter, ut ferunt, *Philip. Stoſchius* fuit, Germanicae gentis homo, & vir antiquitatis conſultiſſimus, qui, quum in antiquas gemmas inſignes, litteriſque inſcriptas, commentari, commentariumque in vulgus prodere, animum induxiſſet, *Valeſii* amiciſſimi hominis opera plurimum uſus eſt, & multiiugi eius eruditione mutua paſſim accepta, lucubrationem ſuam abunde inſtruxit, diſtinxit adpoſite, eleganter exornavit. Sed mira fuit *Valeſii* in tanta hominum de eo opinione animi moderatio ac virtus: tantum enim abfuit ut huiuſmodi exiſtimatione efferretur aliquatenus, & popularis aurae vile mancipium inanem gloriolam captaret, ut illius πολυτριλήτου memor λάθε βιώσας, manum intra pallium perpetuo continens, aeter-

aeternum ſe turbae ſubduxerit; & modica ſua fortuna contentus, nec civium potentiorum limina triverit, nec honoribus & dignitatibus inhiaverit, nec populoſae civitati ſubſpiciendus extra ſuae domus ſepta pedem frequenter extulerit. Hinc *Stoſchius* laudatus, quum amicitiae tenax, & beneficii memor, *Valeſii* nomini & gloriae quoquomodo conſulere vellet, numiſma eius honori ab egregio Pictore & Architectone *Marco Tuſchero* elaboratum excudi fecit, in cuius averſa facie hanc epigraphen ſcribi voluit: *Bene qui latuit bene vixit. Ph. B. de Stoſch. Am. Opt. G. A. M. F. C. Romae* 1730. quae quidem inſcriptio eius indolis moriſque indicium eſt. Itaque *Valeſius* ignotus magis aliis, quam ſibi, anno MDCCXLII. menſe Maio naturae conceſſit, atque in D. *Mariae* in Poſterula ad Vrſum ſepultus eſt. Eius opera edita ſunt:

Acta Sanctorum Martyrum Felicis & Adaucti, ex Latina lingua in Italicam translata, Scholiiſque & Obſervationibus illuſtrata. Romae 1733.

Diſſertatio de tribus Statuis ex Farneſianis hortis in Capitolium translatis. Romae 1735. *inter Diſſertationes Academiae Cortonenſis.*

Inedita vero ſunt inter alia:

Epiſtola Latina ad Philip. Stoſchium, in qua de antiqua Comitum Turri erudite diſſertat.

M. Agrippae vita ex antiquis Auctoribus concinnata.

Nico-

Nicolai Laurentii F. vulgo Cola di Rienzo, *Vita obſervationibus locupletata*.

Hiſtoria Genealogica gentis Columnenſis.

Acta Sanctae Domitillae.

Collectio Diariorum a Stephano Infeſſura uſque ad annum 1700. *& a Valeſio continuata uſque ad annum* 1740.

VINCENTIUS DE MIRO

Deſiderio Sanchezio Auctore.

V*Incentius de Miro* natus eſt Graniani, non obſcuri nominis oppidi mediterranei, non longe a Stabiis, anno MDCLII. Patrem habuit *Paullum de Miro*, virum nobilem, Iuriſconſultum, & Advocatum Neapolitanum; matrem *Catharinam de Athenaſio*, fratrem vero *Ioannem Baptiſtam de Miro*, Abbatem Ordinis D. *Benedicti*, Caſinenſis ſcilicet Congregationis, virum omnigena ſcientiarum, & totius antiquitatis peritia clariſſimum. Neapoli adoleſcens litteris addiſcendis operam navavit, praeſertim vero Iuriſprudentiae, in qua adeo excelluit, ut a *Carolo* II. Hiſpaniarum Rege meruerit in regii Fiſci patronum deſtinari. *Carolo* II. vita functo, in Hiſpaniam ſe contulit ad *Philippum* V. *Borbonium*, qui ei in omnium regnorum monarchia ſucceſſit, a quo benigne admodum, & clementer, exceptus fuit. Quumque Neapolim ad munus ſuum obeundum rediret, audivit Genuae, regnum Neapolitanum ab armis *Caroli* VI. Auſtriaci occupatum; quare ibi

per

per aliquot menſes commorandum eſſe exiſtimavit, ut rebus compoſitis in Patriam reverteretur, quo ubi pervenit ab eodem *Carolo* Caeſare Magnus Regiae Camerae Locumtenens creatus, & in unum ex Regni Curatoribus, electus fuit. Quum vero paucis poſt annis Mediolani ageretur de finibus agrorum metiendis (ardua quidem, & difficilis provincia, a multis praeclaris viris iam ante tentata) *Carolus* Caeſar ob ſpectatam noſtri *Vincentii de Miro* ſummam integritatem, & animi conſtantiam, ipſi hanc curam demandavit, eumque ſupremum Praeſidem Mediolani elegit. Heic, incredibile dictu eſt, quanto omnium ordinum plauſu, & ſumma dexteritate ſuſceptum munus abſolverit, & exercuerit. Multa forte ſupereſſent, quae ad Ius Civile Romanorum illuſtrandum vir eximius meditatus fuerat; a quibus tamen abſolvendis continua Reipublicae adminiſtratae cura, & ipſa rerum gerendarum moles, eum abſtruxit. Denique annis, & laboribus gravis Mediolani obiit anno MDCCXXXII. aetatis ſuae LXXVIII. quum paucis ante mortem menſibus, ſupremis dignitatibus nuntium remiſiſſet. Haec ſunt quae de Viro Clariſſimo (quantum quidem ab eius fratre audivimus) tibi nuntianda exiſtimavimus.

ELE-

ELEONORA GONZAGA ETRVRIAE PRINCEPS.

QVid ni laudes & praeconia tua in his Memorabilibus meis celebrentur, *Eleonora Gonzaga*, Princeps nobiliſſima, in qua proclivitatem ſingularem, & benevolentiam incredibilem erga Muſas, earumque ſacris addictos homines, haud ſemel ſubſpexi, atque expertus ſum? Num in *Mediceam* gentem iure connubii tranſlata, auguſtorum Procerum indolem, & erga litteras litteratoſque viros amorem & propenſionem participaſti; vel potius magnanimitatem, munificentiam, comitatem, aliaſque virtutes egregias ex inclita proſapia tua, quae ſemper eximiorum titulorum & decorum gloria coruſcavit, tecum, veluti dotales, attuliſti? Tu enim ex *Vincentio* Guaſtallae Duce, & *Maria Victoria Gonzaga*, parentibus praeſtantiſſimis, anno MDCLXXXV. orta, & in paterna domo principali inſtitutione educata, deindeque in Sanctimonialium Parthenone virtutibus amplius exercita, ne minori animus cultu, & diſciplina formaretur, quam coeleſti forma corpus, & venuſtate praecelleret; anno MDCCVIIII. *Franciſco Mariae Mediceo* Principi, antea S. R. E. Diacono Cardinali, connubio iuncta es; ſtatimque quanto favore doctrinas bonaſque artes proſequutura eſſes oſtendiſti, cum doctis hominibus conloqui gaudens, & cum *Antonio Magliabechio* in primis, eius eru-

ditis feſtivisſque ſermonibus magnopere delectata; & ab adſidua ſublimis divinique Poetae, *Dantis Aligerii*, lectione diſtrahi non facile patiens; quum libris evolvendis perlegendisſque lubenter incumberes. At quum *Mediceum* illum Heroa, virum tuum, mors immatura anno MDCCXI. rebus humanis exemiſſet; & triennio poſt, Patre tuo etiam *Vincentio* vita functo, continuato prope luctu fortis conſtansſque mens tua quateretur; non tamen Muſas colere, & eximias artes adprobare deſtitiſti; ſed viros eruditos & cultos ad tuos congreſſus procliviter admiſiſti, Poetasſque praecipue; & ex iis illos, qui admiranda cantus extemporalitate, ſtupore ſimul conſeſſum adficerent, & ſuaviſſima voluptate perfunderent. Teſtis *Alexander Ghivizanius*, cuius feſtivos verſus, ſalesſque paullo mordaciores, aegre quondam tuliſti; quum ille iure quodam ſuo te, tacite munuſculo ei inter epulas dato perſtringentem, audacius confidentiusſque retaliare voluiſſet. Teſtis *Iacobus Antonius Lucchesius*, cuius poeticam facultatem promtumque ingenium demirata, etiam procuratorem tuum renunciaviſti. Teſtis *Io. Baptiſta Faſeolius*, cum quo familiariter conloquebaris, eius argutis dictis, ingeniique elegantiis mirabiliter capta, a quo & in Carminibus ſuis laudata fuiſti. Teſtis ipſe famulus, rei domeſticae a te praefectus, *Laurentius Baccius*, qui extemporali cantus facilitate praeſtabat, qua te maxime duceret, & oblectaret. Quin, adeo Poetas amaſti, & favore complexa es; ut ne caecus quidem, *Fogginius* cognomento, qui admirabili

extem-

extemporalia carmina fundendi facultate pollebat, & non minus faceta, quam amarulenta, dicacitate cantabat, tuae beneficentiae expers exſtiterit, quum, curioſitate quadam ducta, illum etiam verſificantem audire volueris. Quid autem de eo dixerim, quod, quum anno MDCCXXIX. *Antonius Ferdinandus* Guaſtallae Dux, frater tuus naturae conceſſiſſet, fratre ſucceſſore aegrotante, Guaſtallam primum, contendens, & anno inſequenti Vindobonam, de beneficiariae ditionis Guaſtallenſis adminiſtratione apud Caeſarem actura, profecta eſſes, tecum inter alios *Innocentium Montinium* Sarnenſem adduxiſti, hominem poetica facultate, elegantioribuſque litteris inſtructiſſimum, & Iuriſconſultum, qui tuam cauſſam patronus ſedulo accurateque defenderet. Vindobona autem tandem Florentiam anno MDCCXXXV. reverſa, ſolita doctorum hominum colloquia reſtituiſti, adſidueque propemodum ſpectanda Poetarum corona cingebaris, & praeter commemoratos, *Morandium* etiam, & *Verſarium*, *Biniumque*, ac me tandem ſaepius advocaſti, cum manens in urbe, tum ruſticans; utpote quae tu etiam Muſarum amica & ſocia, carmina elegantia meditabaris; & Italicam elegiam, memini, te ſcribentem quondam, deprehendi, quae e medio *Lucretio*, & *Ovidio*, iucundos lepidoſque ſenſus in ſe derivaſſe videretur. Quid quod dulcem etiam Muſices conventum incredibiliter amabas, & ipſa, quoque canoras fides digito modulante numeroſe pulſare didiceras, quare *Io. Baptiſtam Gamberuccium*, qui vocalibus Clavicymbali, ut

vocant, chordis ſonare ſcitiſſime noverat; & *Nicolaum Suſierum*, Germanum origine hominem, *Dominicumque Palafutium*, Florentinum, Citharoedos eximios & celeberrimos, in regia cubicula frequenter convocabat, quo cantoribus praeſtantiſſimis harmonia concordi adſonarent. Tanta autem fuit tua erga me clementia, ut quum ad Pontem Erae, ſaluti conſulendi gratia, anno MDCCXXXVIII. ſeceſſiſſes, reſciſſeſque me una cum *Ioſepho Clemente Binio* laudato non procul inde ruſticari, me ſtatim cum ſocio ad te arceſſiveris; quumque ad te acceſſiſſemus, eruditis conloquiis, cantuque extemporali, aliiſque laudatis exercitamentis adſidue nos occupaveris. Vtinam, Princeps magnanima, Etruriam noſtram tamdem non reliquiſſes, nec Bononiam, Venetias, Patavium, ubi morata viris doctiſſimis *Io. Baptiſta Morgagnio*, & *Alexandro Macoppio*, & *Ioanne Polenio*, aliiſque Profeſſoribus inclitis, quos in adverſa valetudine conſulebas, familiariter uſa es, inque alias Galliae Ciſalpinae urbes diſcurrens, & nos tuo iucundiſſimo adſpectu privaviſſes, & Italiam egregio decore & ornamento tam cito orbaſſes, morte obita Patavii anno MDCCXLII. Menſe Martio, & in D. *Antonii* ſepulta, quum heredem tuum Sereniſſimum *Franciſcum Lotharingum* Magnum Etruriae Ducem nuncupaviſſes; cuius manibus ego gratus & beneficiorum memor haec modo qualiacumque iuſta perſolvo; Principis quidem animo grandi, miti, facili, laeto, munificentiſſimo; corpore autem iuſta proceritate, bene compacto, venuſto, pulcerrimo; adeoque ab omnibus dilectae & laudatae. FRAN-

FRANCISCVS MARIA NICOLAVS GABBVRRIVS

Caietano Veracio Auctore.

INter ceteros, quos noſtris quoque temporibus Florentia, clarorum virorum parens, per multa faecula protuliſſe gaudet, *Franciſcus Nicolaus Gabburrius* iure ac merito poteſt adnumerari. Vir quidem, qui licet privatus eſſet, regum magnanimitatem animo aequaret, & coepta digna principibus moliretur. Florentiae ex inclita familia ortus eſt XVI. Kal. Ian. anno Dom. MDCLXXVI. Quale ſit eius familiae decus ex eo colligitur, quod ſui maiores ad primos reipublicae honores adſcenderunt uſque ab anno MCDXXI. inter quos eſt memorandus *Petrus Gabburrius*, qui anno MDI. nominatus ab *Aloiſio Caniſianio*, petiit cum *Petro Soderinio* primam reipublicae dignitatem, in qua *Soderinius* in perpetuum fuit ſubrogatus. *Franciſcus Nicolaus* parentes habuit *Eduardum Gabburrium*, & *Virginiam de Beccuto*, nobiliſſimam feminam, a quibus nil fuit praetermiſſum, ut, ſicut teſta recens ſuaviſſimo odore, ita ingenuus puer probis moribus imbueretur. Vix e pueris egreſſus uxorem duxit *Camillam Bonaccurſiam* ex patricia gente, ultimum ſuae familiae germen, quae immatura morte in ipſo aetatis flore peremta eſt. Tres filios reliquit viro, *Ioſephum*, *Andream*, & *Eduardum*; quorum natu maior primum

in Gallia, poſtremo in Hiſpania mercaturam fecit, *Philippo* V. Regi Hiſpaniarum maxime acceptus, a quo aerarii Praefectus in Baetica nuper electus eſt. *Andreas* a Patre Romam miſſus; & curae *Auguſtini Fabronii* S. Romanae Eccleſiae Cardinalis, eius conſanguinei, commendatus, & in Romano Ieſuitarum Collegio educatus, oſtendit in praeſens quam bene bonis moribus & facultatibus ingenuo viro dignis fuerit inſtructus. *Eduardus* vero magna indole praeditus, domi primum adoleſcens umbratica exercitatione detentus, litteris, & ſcientiis auctus, Piſis tamdem ſub *Joſepho Averanio* clariſſimo viro, aliiſque Profeſſoribus, utrique iuri ſedulam operam navavit, & laurea donatus Florentiam reverſus, pietate, & doctrina clarus, inter Canonicos Eccleſiae Metropolitanae fuit cooptatus. *Franciſcus Nicolaus* adoleſcens inter ephebos Etruriae Regibus inſervientes adſcitus, genio indulgens, nullam nobilem facultatem, ex plurimis, quibus in illo coetu efformantur ingenui iuvenes, eſſe ſibi negligendam exiſtimavit. In his quantum profecerit ex eo poteſt intelligi, quod omnibus eſſet adprime carus, & a Principibus, quibus liberaliter inſerviebat, in deliciis habitus. Quamobrem a *Coſmo* III. Magno Etruriae Duce praeter avitam *Commendam*, quam habebat (ita vocant patrimonia eorum Nobilium, qui in Ordine Equeſtri ſub titulo D. *Stephani* Papae, & Martyris a *Coſmo* I. inſtituto, piraticam in Turcas exercent) aliam obtinuit ex illis, quae, quum grati animi cauſa conferantur a noſtris Principibus, quos

quos penes huius Ordinis eſt ſemper ſuprema dignitas, *Gratioſae* adpellantur. Alio praeclaro munere *Coſmus III.* auxit *Gabburrium*, ampla eidem ſtatuta mercede. Illum enim elegit, ut Legatis, qui ab aliis Principibus ad Etruriae Reges mittuntur, ceteriſque Nobilibus aliqua dignitate fulgentibus, inserviret. Haec provincia nemini fortaſſe commodius poterat demandari; variis enim linguis loquebatur. Mira illi erat ſermonis iucunditas, comitas, & urbanitas; & quidquid pretioſius, & admirabilius adſervatur, ſeu in publicis, ſeu in privatis aedibus, noverat vir in omnibus eruditus; oſtendebatque doctis alienigenis, Florentiam inter celeberrimas totius Europae urbes iure, ac merito haberi. Praeter ceteras facultates, quibus *Gabburrius* delectaretur, Muſicen attenter excoluit; cui natura ipſa quum miram vocis ſuavitatem largita fuerit, quam etiam ſenex ſervavit, cantor exſtitit adeo excellens, ut omnes eum laudibus proſequerentur, faterenturque immenſas opes eum fuiſſe congeſturum, ſi eam artem in vitae ſubſidium ſibi comparaviſſet. Alia vero facultas totum hominem occupavit, Pictura ſcilicet; cuius egregiae artis elementa didicit ab *Honorio Marinario*, Pictore celeberrimo, quem ſatis commendant tot pulcerrima opera, quae paſſim exhibentur contemplanda. Quum pro viribus picturae operam navaſſet *Gabburrius* ſub tanto artifice, criticen in arte adeo exquiſitam adeptus eſt, ut in diiudicandis, & cognoſcendis Pictorum operibus nullus for-

taſſe exſtaret, qui certiori iudicio cenſoria virga uteretur. Id vero minime mirari ſubit; noverat enim omnes artis canones, & artificum magni nominis pene innumera delineamenta undique conquiſierat, & ex omnibus Sculpturae, & Picturae operum generibus aedes refertas habebat, ut ſpectaculo eſſent non modo civibus, ſed exteris quoque, qui Florentia tranſeuntes eum conveniebant, ut inſigne eius cimeliarchium admirarentur. Quod quum reperiſſent fama maius, ingenue fatebantur, coeptum illud regum, & magnorum principum amplitudine magis dignum videri, quam privato cive. Per plures annos in Pictorum Academia, quae Florentiae in ipſo renaſcentis artis exordio erecta fuit; & quam ad eiuſdem artis incrementum *Coſmus* I. honoribus, & privilegiis maiorem fecit, pro Sereniſſimo Magno Duce locum tenuit magna cum laude; & Pictoribus, quibus domi foriſque adſidue ſtipatus erat, in omnibus, quibus illis opus eſſet, praeſto fuit, nullo ſumtui parcens, ut illis opitularetur; curabatque utilia omnia undecunque ſibi advehi; quae Pictoribus neceſſaria forent, ut illis pro ſuo more largiretur. Verum non modo huic arti addicta iuventus multum illi debet, ſed veteres quoque artifices celeberrimi, quorum famam ut faceret diuturniorem, eorum opera temporis iniuriis obnoxia, ſive in pariete depicta, proprio aere delineanda, & nobilibus inciſoribus bono publico commiſit excudenda. Mos eſt tam illuſtris Academiae, ut in coenobio Patrum SS. Virgi-

nis

nis Adnuntiatae, nobiliores clariſſimorum artificum tabulas, quae in privatis domibus adſervantur, omnibus identidem contemplandas exponat. Poſtremum regiminis *Gabburrii* opus memorandum fuit, nempe ut mos ille per plures annos neglectus reſtitueretur. Anſam interim adripuit divinam artem magis atque magis extollendi; idque facere parabat Etruſco carmine, quod ſolemni adparatu in atrio Palatii Veteris omnium muſicorum inſtrumentorum concentu canendum propoſuerat. Hoc carmen elegantiſſimum fudit ad *Gabburrii* preces *Nicolaus Gualterius*, Archiater *Ioannis Gaſtonis* Magni Etruriae Ducis, vir cum arte medendi, & ampliſſima rerum naturalium cognitione, tum poetica facultate excellens. Sed quum tanti Principis mors in pina, deploranda per omne aevum, eodem tempore contigiſſet, quo tam laetum ſpectaculum inſtrueretur, communis laetitia in omnium lacrimas illico converſa eſt. Non tamen *Gualterii* carmen debito honore caruit; ſimili enim adparatu, quo Florentiae excipi debuerat, in Aula *Caroli* VI. Imperatoris exceptum eſt. Quod quum audiſſet clariſſimus *Petrus Metaſtaſius*, illud adeo probavit, ut *Gualterio* non antea ſibi cognito, humaniſſimis litteris gratularetur. At non modo ingenuis artibus ſtuduit *Gabburrius*, ſed litteras quoque, & praecipue Etruſcas Muſas, impenſe coluit. Academiis idcirco frequenter aderat, & illi praecipue, quae *Furfuris* nuncupatur, in qua primam dignitatem obtinuit anno MDCCXVII. In ſuo regimine illud contigit memorandum, quod

quod Dictionarium Catharinianum ab *Hieronymo Lilio*, in Academiae tam illuſtris contemtum vulgatum, ut refert doctiſſimus *Ioannes Lamius* in *Lilii* Vita, flammis aboleri *Coſmus* III. manu carnificis decreverit; Academici vero auctorem perduellem ex albo Academicorum expunxerint. Familiares habuit *Benedictum*, *Nicolaum*, & *Ioſephum Averanios*, *Philippum Bonarotam*, *Pandulfum Pandulfinium*, *Antonium Mariam Salvinium*, *Franciſcum Salvatorium*, *Benedictum Breſcianium*, aliosque clariſſimos viros. Eum ſummopere adamavit *Euſtachius Manfredius*, Bononiae decus, & *Ioannes Petrus Ianottus*, vir eruditiſſimus; & non modo cum Italis, ſed etiam cum Tranſalpinis magni nominis viris litterarum commercio frequenter utebatur. Anno ſexageſimo ſexto aetatis ſuae coepit ſenſim elangueſcere; id quod vix praeſenſit, quum antea ſemper firmiſſima valetudine uſus eſſet. Gangrena tamdem, quae in dextro crure dicto citius adparuit, oſtendit ei mortem imminere, quam nullo timore perterritus excepit, ut Chriſtianum virum decet VIII. Id. Maii anno MDCCXLII. Eius cadaver ſolemni pompa de more extulerunt Equites D. *Stephani*, & magna populi frequentia; atque in templo D. *Felicitatis*, in ſuae familiae ſarcophago, conditum eſt. Multa ingenii ſui monumenta reliquit. Nonnulla Etruſca carmina compoſuit. Duas habuit lucubrationes in Academia, quae ex triginta ſelectis Nobilibus conſtat; quaeque, quum nullam habeat certam ſedem, & modo hic, modo illic, congregetur, *Vagantium* adpellatur. Hi-

ſce

ſee lucubrationibus Etruſco ſermone exaratis divinum *Michaelem Angelum Bonarotam* à dicacitate cuiuſdam *Depilei*, aut quicumque alius ille ſit, qui fecit adnotationes Poemati *Alfonſi Freſnoemi*, Pariſiis edito, defendere inſtituit. Magnum aliud opus adgreſſus eſt, quod *Pictorum Abecedarium* inſcripſerat. In hoc nomina omnium artificum referuntur; eorum opera recenſentur, & illuſtrantur; corriguntur errores multi, qui in aliorum ſcriptis irrepſerunt; multa adduntur ab aliis omiſſa, & multa ſcitu iucundiſſima commemorantur. Homo fuit ſtaturâ procera, oculo glauco, forma ſpectabili, vultu ad hilaritatem compoſito, & numquam ſeneſcente. Eius ingenii monumenta, quae exſtant MSS. omnia Etruſca lingua compoſita, ſunt.

Diſſertationes duae pro Michaele Angelo Bonarota.

Carmina nonnulla.

Abecedarium Pictorum, opus magnae molis.

Et haec quidem ab eruditiſſimo *Caietano Verucio*, Sacerdote Florentino, & Eccleſiae D. *Miniatis inter Turres* Antiſtite, de *Gabburrio* litteris mandata fuerunt; at illis quaedam me addere cogit amor, quo Equitem hunc laudatiſſimum ſemper proſequutus ſum, ut noſtram amicitiam, eiuſque erga me benevolentiam, perſpectam omnibus ac teſtatiſſimam faciam. Vir igitur comis, & liberalis egregiarum artium patronus, & prope *Mediceae* amplitudinis, qua licebat, aemulus, ut quanti

ti Picturam, eiuſque myſteriis initiatos faceret, ſingulari documento demonſtraret, omnium ſui temporis Pictorum imagines; ab ipſis, quos referunt, artificibus μονοχρωματικῶς pictas, habere voluit, & magno ſtudio & cura conquiſitas in ſuo pictorio Muſeo digeſſit, & digno loco ſpectandas exhibuit. Vt autem trium Artium Profeſſores, quotquot Florentiae exſtabant, in ſui benevolentiam pelliceret, & ſe laudatos eorum labores maxime probantem, eoſque plurimi facientem amplius oſtenderet, ſemel in hebdomade, die ſolis videlicet, ſalutatum adventantes officioſe adfabiliterque in ſuis aedibus excipiebat, & calido omnes cocolatis potu recreabat. Quotuſquiſque autem ille eſt, qui exterus ex remotis regionibus Florentiam delatus, *Gabburrii* humanitatem incredibilem, & officia frequentia expertus non fuerit: modo eum aut Pictorem, aut Sculptorem, aut Architectum non contemnendum eſſe, vel amicorum litteris comitantibus, vel indicantibus popularibus, vel fama ipſa praeeunte, cognoſceret? Ex Florentinis vero a *Gabburrio* maxime amati, & protecti, promotique, fuere Pictores, *Gabbianius*, *Redius*, *Gherardinius*, *Dandinius*, *Sacriſtanius*, *Pulieſchius*, *Campilia*, *Puccius*, *Meuccius*, *Ferrettius*, *Soderinius*, *Vſſordius*, *De Moro*, *Anderlinius*, *Fortinius*, aliique; & praecipue feminae, quae pingendi arte praeſtantes, civitatem noſtram illuſtrant, ut *Fratellinia*, *Meſſinia*, *Bachevinia*, *Gozia*, *Cerottia*, *Meolia*, *Ferronia*, *Pariſia*, & ſiquae aliae nobili opificio laudem & adprobationem meruerunt. Adeo autem fuit *Gab-*

bur-

burrius iuſti tenax, & veritatis amator, ut non niſi indignabundus commemoraret, quam ſtultum iniquumque de *Ant. Domin. Gabbianio* iudicium *Leo Paſcolius* Peruſinus in Vita *Benedicti Lutii* protulerit; & tanti artificis peritiam eminentiſſimam defenſurus non ſemel mihi ſuaſit, ut Florentini Pictoris Apologiam ſcriberem, & iuris publici facerem: ſeque id ardentiſſime deſiderare profitebatur. Ex Sculptoribus vero commendavit plurimum *Foggi-nium*, *Broccettium*, *Ticciatium*, *Montacutium*, *Cornacchinium*, *Vallium*, Florentinos omnes; quibus addere lubet, qui aera conflant, & ſimulacra, anaglyphaque fundendo efformant, ut *Soldanium*, *Veberum*, & *Silvium*; quique aeri picturas incidunt, quas deinde Chalcographi exprimant; quales ſunt *Mogallius*, & eius filia, *Theodorus* Germanus homo, *Gregorius*, *Picchiantius*, *Franciſchinius*. Architectonem vero familiariſſimum habuit iuniorem *Galilaeum*: qua quidem ratione *Gabburrius* & ſe eximiarum harumce artium adprime peritum, & dignum in earum Collegio Sereniſſimi Principis Topotereten, & illuſtrium laudabiliumque ſtudiorum fautorem ampliſſimum, luculentiſſime comprobavit.

DOMI-

animus in hunc vehementer exarſit, qui, quum diſceptationem ab inveſtigatione veritatis ad iniurias migrare videret, adeo ſibi moderatus eſt, ut ab omni diſputatione potuerit reſilire. *Guglielminius* unum ſupra viceſimum aetatis ſuae tunc annum agens, a Magiſtro ſuo, cui Italorum more addictiſſimus erat, in arenam pro ipſo deſcendendi veniam petiit. Id *Montanarius* noluit, veritus ne Magiſtrum ſub Diſcipuli nomine deliteſcentem adverſarius ſubſpicaretur. Verum *Guglielminius*, ut ab hac ſe difficultate expediret, publicis Theſibus, quibus *Montanarius* haud intereſſet, contra *Cavinam* ad ipſas impugnandas accitum, Magiſtri ſui defenſionem ſuſcepit. Hoc veluti ſingulare quoddam certamen detrectavit *Cavina*, qui in Geometria *Guglielminio* impar erat, licet is in Sectionibus Conicis adhuc verſari fateretur. Itaque hinc inde pluria volumina ſcripta fuerunt ſuper argumento, quod paucis pagellis ita tractari poterat, ut veritas in propatulo collocaretur. Doctoris Medici lauream in Bononienſi Academia *Guglielminius* anno MDCLXXVIII. inſignitus fuit; at in medio huiuſmodi ſtudii curriculo, Phaenomenon, quod in coelo adparuit, a rei Medicae ſtudio ad Mathematicam ipſum revocavit. Hoc, annis MDCLXXX. & MDCLXXXI. Cometes fuit, qui neſcio quo peculiari fato, eruditos annos, quaqua patet orbis, incredibiliter commovit. Sententiam illorum, qui Cometas aeque ac Planetas corpora aeterna autumant, oppugnaverat *Montanarius* hoc nixus fundamento,

quod

ſionibus Bononiae peractis, eodemque anno Latine excuſis, *Guglielminius* nova ſuae in Aſtronomia peritiae praebuit argumenta. Eius meritum vel in natali ſolo praemia conſequutum fuit. Nam Senatus Bononienſis primum Mathematicae Profeſſorem illum iuſſit, atque univerſis ditionis Bononienſis aquis dirigendis moderandiſque praefecit. Itinerariorum Scriptores nobis referunt, aquarum Praefecti munus apud Perſas cum primis eminere, tum propter regionis aritudinem, tum etiam propter eius ſatis, & aequaliter, rigandae difficultatem. Contraria prorſus ratione munus hoc maximi momenti eſt apud Bononienſes, & generatim in Gallia Ciſalpina, ubi fluminum canaliumque multitudo, & diſpoſitio, incommoda parere poſſunt propemodum innumera, ſi aquarum Praefecti vel oſcitent, vel caecutiant. Enimvero in hac ſibi demandata provincia haud caecutiebat oculatiſſimus *Guglielminius*, qui nec oſcitanter in munere hoc ſuo perfunctorieque ſe geſſit; ſed ad publica commoda cunctas cogitationes convertit, ſuoſque nervos omnes intendit. Itaque iam inde ab anno MDCXC. primam, & anno MDCLXXXXI. alteram, Tractatus de Hydroſtatica Senatui Bononienſi dicati partem edidit hoc titulo: *Aquarum fluentium menſura, nova methodo inquiſita*. Eius in hoc libro fundamentum primarium, ab omnibus accuratioribus Philoſophis admiſſum, eſt, velocitates aquae ex tubo verticali aut inclinato effluentis eſſe reſpectu cuiuslibet momenti, ut radices altitudinis ſuperficiei ſuae ſuperioris; id

 quod

quod neceſſario in tota hac materia Parabolam invehit. Quando item aqua in canali horizontali fluit, id quod fieri poteſt, modo exitum, quo erumpat, habeat, idem principium ſubſiſtit; quia aqua ſuperior inferiorem impellens, velocitatem ei pro ſua altitudine imprimit. Si quis invenire vult in canali horizontali velocitatem mediam inter eam, quam fundus habet, & quae maior eſt ſemper; & eam, quam habet ſuperficies, quaeque minor eſt, vel etiam Geometrice nulla; deprehenditur ſtatim per Parabolae quadraturam hanc velocitatem eſſe ſemper ad eam, quae ima eſt, ut duo ad tria; & eſſe conſtanter ſitam ad 4. 9. altitudinis canalis a ſuprema parte ad imam diviſi. Quando certo experimento circa aquae velocitatem innitimur, quale *Guglielminii*, exempli gratia, eſt, quoque demonſtratur, aquam ab altitudine unius pedis Bononienſis cadentem, uno minuto ducentos ſexdecim pedes, & quinque pollices, aequabili motu percurrere, eius velocitatem, quoad omnes poſſibiles caſus, tenemus; & *Guglielminius* eiuſmodi velocitatum tabulam ſupputans concinnavit; quam nonniſi ad triginta pedum caſum extendit, quia maiora Europae flumina hanc profunditatem non excedunt. Si quis dimetiri vult quantitatem aquae, quae ſingulis minutis per canalem horizontalem diffluit, quemadmodum ſcimus eius mediam velocitatem eſſe ad 4. 9. ſuae altitudinis, neceſſe eſt illa 4. 9. in pedes & pollices convertere, & deinde in memorata tabula reperire eſt, quae velocitas caſui, vel

preſ-

preſſioni huius altitudinis conveniat; & ea eſt velocitas aquae media, quam per canalis altitudinem & latitudinem multiplicando, quaeſitam aquae quantitatem cognoſcimus. Hac via & ratione *Guglielminius* deprehendit, Danubium, modo ſupponatur ad ſua oſtia horizontalis, ut fere omnes maximi fluvii ſunt, ſaltem quoad ſenſum, in Pontum Euxinum XXXXII. circiter milliones pedum Bononienſium aquae ſingulis minutis effundere. Quoad canales inclinatos, longiori ſupputatione opus eſt, inſuperque anguli inclinationis canalis cognitione, ac deinde cetera paria ſunt. Huiuſmodi eſt generalis illius operis forma. Exactus nitidusque auctor eſt, & bona methodo procedens. Tantum paullo diffuſior fortaſſe videatur iis, qui Algebrae brevitati adſueverunt, ſimilis admodum in his, quae ad Mathematicam adtinent, ei, quem in Eloquentia & Poeſi, ſtilum brevem et conciſum adpellamus. At quilibet auctor pro patria regione ſcribit; & licet Italia, ſaltem in Europa, Algebrae incunabula dederit, haec ibi ſcientia non multum adhuc aetate profecerat, & Arctoas gentes erga ſe propenſiores invenerat. Quum Acta eruditorum Lipſienſia anno MDCLXXXXI. iudicium de hoc *Guglielmini* libro protuliſſent, *Papinius* in breviarium, quod illa exhibebant, ſtilum ſtringens, animadverſiones quaſdam & obiectiones oppoſuit, & iiſdem Actis inſerendas curavit. De his *Guglielminium* per Epiſtolam breviter *Leibnitius* admonuit, antequam Acta Lipſienſia in Italiam deferrentur. *Papinii* nomen ne fictum eſſet

V veri-

veritus eſt primum *Guglielminius*; at nullus dubitationi locus relictus eſt, poſtquam ipſe *Papinius* id confeſſus eſt: niſi huiuſmodi glorioſa confeſſio ſubſpecta eſſe poſſit iis, qui veram gloriam noverunt. Vidit tamdem Acta ipſa, & non amplius in hoc ſe traduxit ambiguum, ſcripſitque *Leibnitio*, ut huius controverſiae iudex eſſe vellet. *Papinius* credebat & conabatur demonſtrare aquam, quae e tubo iugiter pleno exit, velocitatem dimidio minorem habere, quam priorem aquam, quae ex eodem tubo, qui evacuatur, effunditur. Eius ratio erat, quia primo caſu aqua habet tantum motum aequabilem & uniformem; & in ſecundo, motum habet acceleratum, qui cadit, aut cadere reputatur. *Guglielminius* deſtruebat hanc opinionem magna modeſtia, qualis decet hominem, qui ſe errare potuiſſe credebat: & in tota ſua Epiſtola victoriam referre videbatur, & videbatur eodem tempore quaedam habere melius enucleanda, queiſque ſe ſibi ipſe ſubtraheret. Velocitates aquae, quae ſunt ut radices altitudinum, quum habeant exacte inter ſe eamdem rationem, atque velocitates corporum gravium cadentium, duo Antagoniſtae, & omnes alii Philoſophi, naturali quodam conſectario pariter opinabantur, velocitates aquae primori adſpectu ſe offerentes ex acceleratione, quam caſus efficeret, provenire; ſed nos poſt *Varignonium* oſtendimus, hanc opinionem, etſi obviam & ſpecioſam, eſſe falſam; & aliud eſſe principium eius rationis velocitatum aquae, omnino ab acceleratione diverſum, & eodem

tempore adeo ſimplex, ut ex eo non magna laus inventori accederet, niſi longo tempore etiam peritiores Geometras latuiſſet. Quum illud haud noſſet *Guglielminius*, in quaſdam ſalebras & difficultates incidit, ex quibus ſe eripere ſatagit ad aeris preſſiones confugiendo. Comprehendere aliquid eſſe verum non ſufficit; neceſſe eſt etiam, quando ulterius illud perſequi quis vult, veram cauſſam cognoſcere; ſecus enim falsa cauſa veri alicujus, errores certos parit. Epiſtolam *Guglielminii* ad *Leibnitium*, altera ad *Magliabechium* adverſus ipſum *Papinium* anno MDCLXXXXII. ſequuta fuit, in qua de ſiphonibus agit. Nam in Actis Lipſienſibus offenderat, *Papinium* ſiphonem Virtembergae elaboratum examinando, ſua falſa theſi abuſum fuiſſe. Hae duae Epiſtolae typis commiſſae fuerunt hoc titulo: *Epiſtolae duae Hydroſtaticae*. Sub idem tempus ortum fuit Bononienſes inter, & Ferrarienſes, de aquis diſſidium. Noſſe utrum Rheni curſus in Padum reducendus eſſet, cardo rei erat. Cardinalium *de Abdua*, & *Barberinii*, iudicio Pontifex Max. hoc negotium commiſit. *Guglielminius*, in quo uno ſita Bononienſium ſpes erat, erga duos illos Eccleſiae Principes ita ſe geſſit, talemque aditum ad eorum benevolentiam, & exiſtimationem ſibi patefecit, ut non in Bononienſibus tantum aquis, ſed & in Ferrarienſibus, ac Ravennatibus etiam, perutili eius opera uſi fuerint. Quum aquarum ſcientiam anguſtis antea limitibus circumſcriptam *Guglielminius* longe lateque ita diffuderit, ut ſcientiam propemodum no-

vam effecerit; Bononienſes in ſuo Athenea Profeſſoris *Hydrometriae* Cathedram, *Guglielminio* primum tradendam, erexere. *Hydrometriae* nomen, & Cathedra ipſa, tunc nova erant. Haec autem memoriam viri illius, cui ſuam utrumque originem debet, evaneſcere nullo unquam tempore patientur. At in ſuum aquarum ſtudium non ita ſeſe ingurgitabat, ut ceteris omnibus ſcientiis valediceret, in quarum nonnullas pro re nata idemtidem ſeſe abdebat. *Caſſinio* anno MDCXCV. reduci Bononiam, ubi celebrem Lineam Meridianam quadraginta ante annis in aede S. *Petronii* a ſeſe conditam, variiſque de cauſis nonnihil vitiatam, reparavit, *Guglielminius* praeſto fuit, atque de iis omnibus, quae ad huius operis Aſtronomici prorſus admirabilis conſtructionem ac reparationem adhibita ſunt, Commentarium typis mandavit; quo quidem poſtea ad Solis, Lunaeque motus accurate animadvertendos in annos complures uſus fuit. Anno MDCLXXXXVII. magnum opus ſuum *De natura Fluminum*, quod omnium eius operum praeſtantiſſimum merito praedicatur, publici iuris fecit, & *Bignonio*, per quem ſuperiore anno Pariſienſis Scientiarum Academiae Socius renunciatus fuerat, nuncupavit. Certitudinis Geometricae Phyſicis ſtudiis immiſcendae neceſſitatem, difficultatemque perſaepe inſuperabilem ſimplices Geometriae ideas in Phyſicam diſciplinam admodum complicatam immittendi, Praefatio luculenter oſtendit. Vulgaris gregariuſque Phyſicus, haud lecto *Guglielminii* libro, perſpectam ſibi eſſe fluminum na-

naturam arbitrabitur. Quem ſi legat, illud neſciſſe fatebitur, quod ſeſe habere pro comperto, atque explorato ipſe autumabat. Nos hic non referemus, niſi generales ſcopos huius Tractationis, & cogitandum relinquemus id, quod differentes principiorum connexiones, & in factis particularibus uſus, producere poſſunt. Flumina circa ſuos fontes ex aliquo monte ut plurimum defluunt, atque inibi velocitatem adquirunt a caſus acceleratione, ſed pro receſſu ab origine velocitas illa minuitur; nam aqua offendit uſque fundum & ripas, & varios obices in progreſſu, tamdemque per planitiem labitur, ubi minus declivis eſt, & ad horizontem, amplius inclinatur. Rhenus vix inclinatus eſt LII. ſecundis circa partem ſui curſus inferiorem. Si velocitas ex caſu adquiſita perit omnino, quod contingere poteſt duplicatis obſtaculis, & poſtquam curſus prorſus horizontalis evaſerit, ſola altitudo, aut preſſio, ſemper altitudini proportionalis, velocitatem aquae reddere poteſt, & eius lapſum reſtituere. Id autem proſpero eventu iuxta neceſſitatem exſiſtit; nam ea ratione, qua aqua velocitatem ex caſu adquiſitam deperdit, eadem eius profunditas creſcit & augetur. Partes aquae fluminis ſuperiores, & a ripa remotae, labi poſſunt ob ſolam declivitatem, etſi minimam; nam, quum nullo obice impediantur, minimum etiam declivitatis diſcrimen ſentire, ut ita dicam, poſſunt; ſed partes inferiores, quae fundum alvei verrunt, tam exigua declivitate ad lapſum non

iuvarentur, verum a ſuperioribus premuntur, atque ita impelluntur. Viſcus naturale partium aquae, & mutua quaedam interſe perplexitas, facit ut inferiores, motae ab altitudine, trahant ſuperiores, quae in canali horizontali nullum per ſe motum haberent, vel in parum inclinato exiguum. Ita inferiores eo caſu ſuperioribus motus ab illis accepti partem reddunt. Inde eſt pariter, quod ſaepenumero velocitas fluminis maior eſt in medio ſuae profunditatis: nam hae mediae partes & preſſae ſunt a dimidio multitudinis aquae, & ab alvei fricatura ſunt liberae. Deprehendere eſt an aqua fluminis quaſi horizontalis ob velocitatem in caſu adquiſitam, an ob altitudinis preſſionem, labatur. Sufficit eius curſui obicem perpendicularem opponere. Si aqua ſtatim elevatur contra obicem, labebatur ob velocitatem ex caſu adquiſitam; ſi aliquo tempore ſubſiſtit, labebatur ob preſſionem. Flumina alveum fere ſemper ſibi ipſa faciunt. Si fundus habuerit ſtatim magnum declive, aqua, quae conſequenter multam ex caſu vim habebit, ſecum feret partes terrae eminentiores, trahenſque inferius, fundum magis horizontalem efficiet. Quo aqua velocius currit, maiorem excavandi vim habet, quare illic fundus altior evadit, maiorque cavitas hic. Aqua, quae alveum magis horizontalem reddidit, ipſa quoque magis horizontalis evaſit, adeoque vim excavandi minorem poſſidet. Et tamdem, quum haec vis diminuta adeo fuerit, ut fundi reſiſtentiae aequalis ſit, tunc fundus conſiſtit,

que

ſaltem aliquo tempore, & profecto non exiguo. Fundus argillaceus reſiſtit magis, quam arenoſus, aut limoſus. Aliunde aqua rodit, & deterit ſuas ripas, & vi tanto maiore, quanto eius curſus directio eas magis perpendiculariter offendit. Itaque in rodendo, quaerit eas ſuo curſui parallelas reddere; & quum quoad fieri poteſt reddiderit, nullam aliam vim in eis eam ob cauſam exercet. Eodem tempore, quo eas rodit, alveum ſuum ampliorem effecit, adeoque & ſuae altitudinis & ſuae vis aliquid perdidit. Id quum quodamtenus contigerit, emergit item aequilibrium intra aquae vim, & riparum reſiſtentiam; & ripae firmatae ſunt. Ex hoc experimento conſtat, huiuſmodi aequilibria reapſe exſiſtere; nam flumina non excavant & ampliant ſuos alveos in infinitum. Aeque tamen contrarium contingit ei, quod hactenus diſſeruimus. Flumina, quorum aquae turbidae ſunt & lutulentae, ſuum alveum attollunt, deponendo in eo materias extraneas, ubi vim eas ſubſtinendi amplius non habent. Ripas etiam reficiunt; nam illae eaedem materiae iis adhaerent, & tectorium quoddam multiplex inducunt. Hae materiae ab aquae curſus medio longe repulſae ob earum lentum motum, ripas ipſas efficere poſſunt. Quum hi effectus contrarii fere ſemper ſimul contingant, concurrantque admodum differenter iuxta gradum, quem quilibet ſeorſum habet, difficile eſt diiudicare id, quod ex illis exſtabit. Nihilominus hunc implicatum concurſum exacte deprehendere

oportet, quando quis fluvium, exempli gratia, eiuſque curſum alio detorquere vult. Credet illum acturum ſemper ſecundum naturam, & talem alveum ſibi paraturum, curſumque, qualis ſibi congruet. *Guglielminius* refert ſub initium praeteriti ſaeculi Lamonem, qui in Padum *Primarae* influebat, ab hoc curſu detortum fuiſſe, quum eum cogere vellent, ut ſolus in ſinum Hadriaticum evolveretur. Contigit autem ut Lamo debilior factus ubi nonniſi ſuas aquas continuit, adeo alveum ſuum elevaverit limo ſabuloque depoſitis, ut altior deprehenſus ſit, quam Padus in profundioribus ſuis cavitatibus; & altiſſimis aggeribus cohiberi opus habuerit. Ex pluribus cauſis provenire poteſt neceſſitas fluvios aggeribus cohibendi. Hae primariae. I. Si flumina ſinuoſa ſunt & Maeandri, ripae, quae ea continent, eo loco, ubi fluxus ſunt, aquas elevant, maioremque vim tribuunt, qua ſeipſas illa rodant, & perforent, ac deinde in agros erumpant. II. Ripae debiles eſſe poſſunt, ut eae, quas ipſi fluvii ſibi fecerunt, extraneis materiis, quas vehebant, depoſitis. Tales ſunt ripae plerorumque fluminum Galliae Ciſalpinae; & non ſolum hae ripae, ſed planities ipſae, quas flumina efformarunt. Haud inutile fuerit obſervare, planities, quas adluviones efficiunt, altiores eſſe iuxta ripas fluminum, quae eas produxerunt, ac deinceps ſemper declinare ac deſcendere. Flumina, quae labuntur ſuper craſſiori glarea, congeries magnas eius in ſuis augmentis accumulare poſſunt, quae quidem

dem deinde eorum curſum detorquent. Nec exſuperabiles ſunt ut plurimum, Ligeri teſte: contra, quae fundum ex leviori arena habent, tractabiliora ſunt. Exiguus fluvius in magnum interdum influit, nec latitudinem ſuam amplians, & ne altitudinem quidem. Paradoxon hoc in eo conſiſtit, quod fieri poteſt exiguum fluvium immiſiſſe in magnum aquas ad ripas ſtagnantes, eas fluentes reddendo, quum antea quieſcerent, & velocitatem medii curſus augendo; & id eadem proportione, qua aquarum quantitatem auxit. Brachium Venetum Brachium Ferrarienſe abſorbuit, & Panari item, abſqueoquod ſuum alveum aliquatenus ampliaverit. Eodem modo ratiocinari oportet in omnibus fluminum ingentibus augmentis, & generaliter in omni novo aquae incremento, quod etiam velocitatem auget. Si fluvius, qui in alium, aut in mare influere vult, tantam vim non haberet, ut reſiſtentiam ſuperaret, elevaretur, aut quia eius velocitas retardaretur, aut quia aquae, quae eum excepturae eſſent, in eum refunderentur; ſed hac elevatione vim neceſſariam adquireret ut intrare poſſet, & ex eadem oppoſitione duceret, quam oppugnare deberet. Fluvius, qui perpendiculariter in alium intraret, vel contra eius curſum, detorqueretur ſenſim ab hac directione ab eo, qui illum exciperet, et novum alveum propre oſtia ſibi comparare cogeretur. Duorum fluminum in unum confluvium, ea velocius labi cogit; nam pro quatuor riparum confricationibus, nonniſi duas iam ſuperare habent; curſus etiam me-

medius a ripis remotus velocius labitur, et maior aquarum copia, rapidius mota, fundum amplius excavat, et priorem latitudinem minuit. Inde fit etiam ut flumina coniuncta, minus ſpatii in ſuperficie terrae occupent, ſinentia ut facile arva depreſſa ſuperfluas aquas in ea devolvant; et minus aggeribus, qui adluviones impendiant, egent. Haec emolumenta et utilitates tales ſunt, ut *Guglielminius* crediderit dignas, quae a natura ſibi proponerentur, quando confluentia flumina, tam multa produxit. Haec ſunt generaliora principia Tractatus *De natura fluminum*. *Guglielminius* ea adhibet ei omni, quod *Aquarum architecturam* adpellat, hoc eſt, omnibus operibus, quae aquas reſpiciunt, novis fluminum communicationibus, canalibus qui ducuntur ut regiones aridae irrigentur, obturationibus, exſiccationibus aeſtuariorum, locorumque paluſtrium etc. Liber hic in hacce materia ſingularis ingenti Litteratorum, plauſu exceptus fuit. Cremona, Mantua, aliaeque nonnullae civitates, ad inclitum aquarum Architectum confugerunt, qui opera, illis neceſſaria praecepit, atque omnibus opem tulit. Verum ars eius pro Placentia potiſſimum enituit, e qua, Pado potenter cohibito, nocui huius fluminis pavorem excuſſit. Bononiae Reſpublica Veneta *Guglielminium* invidit, cui Matheſeos Cathedram in Academia Patavina anno MDCLXXXXVIII. tradidit. Eius tamen Patria, ut, quantum fieri poſſet, ſuum ſibi *Guglielminium* adſereret, nec Profeſſoris Academiae Bononienſis titulum, neque

que ſolita ſtipendia eidem ademit. Ipſum tamen Veneti a tranquillis Gymnaſii Patavini exercitationibus, atque ab umbratili Litteratorum vita, haud ita multo poſt avocaverunt. Anno MDCC. in Dalmatiam ad Caſtrumnovum reficiendum, & aliquanto poſt in regionem Foroiulienſem ad rapidiſſimum torrentem, qui rura bene multa vaſtaverat, quique Palmae ipſi, maximi arci momenti, exitium minitabatur, valide coercendum miſſus fuit. Tantum erga publica commoda amorem praeſeferunt *Guglielminii* opera, ne iis quidem exceptis, a quibus Mathematica amoenitas abeſt; ut omnia haec itinera, atque omnes hi labores, inter vitae eius iucunditates ſint recenſendi. Fortaſſe publicae utilitati omnifariam inſerviendi deſiderium in cauſſa fuit, cur ipſe ad Medica ſtudia, quae videtur Mathematicis poſthabuiſſe, regrederetur. Anno MDCCII. in Profeſſoris Medicinae theoreticae Cathedra, illa, quam occupabat antea, relicta, Patavii ſedit. Superiori anno edita Diſſertatio *De ſanguinis natura*, & *conſtitutione*, quam longe lateque eius rei Medicae peritia pateret, & quantos, ut illam conſequeretur, labores exantlaverit, ſatis ſuperque oſtendit. Quod quidem clarius evincitur ex eius libro, cui titulus: *De Salibus Diſſertatio Epiſtolaris Phyſico-Medico-Mechanica*, anno MDCCV. Venetiis excuſo. Haud ita pridem omnes τῆς χημείας argumentationes tantum non ad aniles fabulas amandabantur; gratae illae quidem phantaſiae, at perobſcurae, inviſaeque rationi. Sana mox adparuit Philoſophia, quae arcanam hanc, & ſua quodammodo obſcurita-

tate gloriantem χημεῖαν, ad ſimplicem Mechanicam *Corpuſcularem* redigere adgreſſa fuit. Nihilo tamen ſecius non omnes ei labes deterſas fuiſſe, ipſamque plura veterum fictionum pluſquam poeticarum veſtigia apud nonnullos Auctores adhuc ſervare fatendum eſt. *Guglielminius* diligentiſſime curaſſe videtur, ne in ſuam haec irreperent Chymicam Diſſertationem, in qua ad perſpicuae, ſeveraeque Phyſicae normam omnia exigit, & in quam, ut a Chemia omnes ad unam ſordes abraderet, Geometriam ipſam invexit. In hoc quidem Tractatu non tam Chemia, quam Geometria, &, quod praeſtabilius eſt, Geometricus ſpiritus dominatur. Totius operis fundamentum eſt, prima principia ſalis communis, Vitrioli, Aluminis, & Nitri, habuiſſe ab initio a Creatore inditas figuras fixas & immutabiles, quae individuae ſunt reſpectu vis determinatae, quae eſt in materia. Sal commune primitivum, eſt exiguus Cubus; ſal Vitrioli, Parallelepipedon rhomboides; ſal Nitri, Priſma, quod triangulum aequilaturum pro baſi habet; & ſal Aluminis, Pyramis quadrangularis. Ex hiſce primis figuris profluunt illae, quas conſtanter ſervant in ſuis cryſtalliſſationibus, modo ab omni miſtione, & confuſione extranea, eximantur. Quum de ſalis actione agitur, *Guglielminius* Geometrice & Mechanice examinat proprietates harum figurarum reſpectu motuum, de quibus diſtincte admodum & noviter curioſiuſque differit. Nullum experimentum adfert, neque novas, quas ipſe fecerit, obſervationes: ſuum ſyſtema firmat illis, quas cele-

lebriores Auctores fecerunt, inter quos ſaepe laudat, collegas, quos in Academia regia Pariſienſi habuit, *Hombergium*, *Lemerium*, *Boulducum*, *Gotifredum*. Quum huiuſce Tractatus editio ad umbilicum perduceretur, Pariſienſis Scientiarum Academiae Hiſtoriam anni MDCCII. *Guglielminius* prae manibus habuit. In qua etiam quum *Hombergii* opinionem a ſua prorſus diſſonam reperiſſet, pro hac tutanda magno huic Chemiſtae reſponſum praebuit. Honeſtiſſimum enimvero illud fuit; ita tamen, ut ex honeſtate nihil infirmitatis, ſed potius roboris multum, depromeret. Duo inſuper Phyſica opera elucubratus eſt, quorum unum inſcribitur: *Exercitatio de idearum vitiis, correctione, & uſu, ad ſtatuendam, & inquirendam morborum naturam*, MDCCVII. alterum vero: *De principio Sulphureo*, MDCCX. Hic quidem annus *Guglielminii* & vitae, & ſtudiis, quae ad extrema (prope dixerim) vitae ſuae momenta perduxit, finem fecit. Qui minori ad litteras ardore rapiuntur, hi *Guglielminio* nimiam in ſtudiis immoderationem, quae firmiſſimam corporis eius habitudinem labefactavit, fortaſſis exprobrabunt. Ab huius viri, Minervae ſemper addictiſſimi adſpectu, in quo ſubagreſte, & ſubruſticum quippiam conſpiciebatur, Charites, Venereſque omnes exſulabant. *Contemtus Guglielminius habebat* (inquiunt Ephemerides Eruditorum Italiae) *urbanitatem illam fuco illitam, cui homines acquieſcunt, atque omnino aliam, quae nonniſi in corde moratur, ſibi effinxerat*.

MAR-

MARTINVS POLIVS.

Fontanellio auctore, Anonymo interprete.

MArtinus Polius ortus eſt Lucae XII. Kal. Februarias ex honeſta familia, quae vitam reditibus ſuis ducebat. Trium fratrum, quorum nemo profeſſionem exercuit lucroſam, maximus natu fuit. Natura ita comparatus erat, ut vehementer ad Chemiam propenderet; in quo quidem ſtudio aliquis ex eius patruis ipſi, vel patre invito, calcaria adiungebat. Sexdecim vix natus annos, ſola ipſum docente natura, cuius etiam praelectiones in paterna domo nonniſi furtim audiebat, Chymica medicamina conficere norat. Vt igitur ſeſe in libertatem vindicaret, Romam, ubi a patruo commoda ad Chymica ſtudia ſuppeditanda ipſi erant, duodeviginti annos natus migravit. Illic in Chymica ſtudia, nullo cohibitus fraeno, totum ſe abdidit, ſtudiumque metallorum primum adripuit. Novas complures excogitavit *Operationes*, quae multum exiſtimationis, & fortunarum ipſi pepererunt. Duodetriceſimum circiter aetatis ſuae annum agens, uxorem *Polius* duxit; qui anno MDCLXXXXI. a Cardinali *Alterio* Pontificii Aerarii Praefecto impetravit, ut ſibi tamquam Chymiſtae ſuo in publico loco & laboratorio medicamina conficiendi; & diſtrahendi poteſtas eſſet. Anno vero ſaeculari MDCC. id etiam *Polio* tamquam Pharmacopolae ex Diplomate licuit. Publica auctoritas partem Medicam Chymicae ei committere poterat, poſtquam ille eius partis, quae curioſos adli-

licit, tot ſpecimina dederat. Et ſi vero laboratorium ſit, ut ita dicam, tota in compendium contracta natura; et poſſit in eo quis eam partem conſiderandam eligere, quaecumque adriſerit, *Polius* tamen his concludi limitibus indignatus eſt. Chymiſtae librorum auctores non omnia, quae cogitant, quaeque norunt, memoriae prodere conſuerunt; hinc factum eſt, ut *Polius* ad quaerendum Chymicos, a quorum colloquiis doctior Romam rediret, totam variis itineribus Italiam pererraverit. In Galliam ſe quoque contulit, ut letale quoddam bellicum inventum, quod ipſemet excogitaverat, regios adminiſtros doceret. Rex accepto arcano, quod nimis exitiale videretur, uti noluit; inventori tamen annuum ſtipendium praebuit, & Mechanici ſui, Sociique exteri (ut vocant) *ſupernumerarii* regalis Scientiarum Academiae, donec aliqua ex octo Alienigenarum ſedibus vacaret, titulis ipſum inſignivit. *Polius*, auro, & honoribus acceptis, in Italiam remigravit, maioreque gloria inde coruſcavit, quam ſi Rex eius iuventum non ſuppreſſiſſet. Dolendum bona fide eſt pulverem pyrium, terribilem mortis adminiſtrum, non fuiſſe primum tanto Regi oblatum; haud utique tot eo clades hactenus peractae fuiſſent. Benefico Regi magnum opus ſuum, anno MDCCVI. Romae excuſum, cui titulus: *Triumphus Acidorum*, grati animi ergo nuncupavit. Huius operis ſcopus tendit ad probandum Acida iniuria accuſari tamquam cauſſam ſexcentorum morborum, quum ſupremum remedium contra ſint; et in hoc eorum *Triumphus* conſiſtit. Iuxta *Polium* Acida neceſſaria ſunt omnibus fermentationibus aut digeſtionibus, quae in-

ſte-

ſtomacho fiunt, ſeu alimentorum, ſeu medicamentorum, ſint; et quae malae ſunt, non ſunt; atque inde profluit origo innumerabilium morborum, quod fiant per materias Alcali nimis abundantes; nihilominus Acida in ſanguinem numquam penetrant. Quaſcumque huius analyſes *Polius* fecerit, ne atomum quidem Acidi ipſi exhibuerunt; praecipitant vero in inteſtina cum excrementis, & in venas lacteasnon intrant, niſi eorum vapor ſubtilis et animalis, quem calor naturalis elevat, et dulciſſimo oleo, atque Alcali volatili repletus eſt. Hic diſſimulandum non eſt, *Hombergium*, quum ſanguinis analyſin faceret, reperiſſe in eo exiguam Acidi quantitatem. Itaque ille erat articulus primarius ſyſtematis Poliani, qui inter duos Chymicos diſcutiendus erat; modo analyſes, quae aliquid certi non producunt, opponi poſſunt aliis, quae illud praebent. Ideo opus eſſet haſce attente et penſiculate examinare, et in iis aliquid fallaciae deprehendere. Sed particularis adverſarius, etſi plurimi faciendus, non tamen talis eſt reſpectu univerſae multitudinis Philoſophorum neotericorum, qui a *Polio* in libro ſuo oppugnantur. In eo ſe confidentiſſime declarat inimicum omnium Auctorum, et ſectatorum Philoſophiae corpuſcularis, ut vocant, quam ab Epicuro acceptam, et inde inſtauratam, contendit, cui ſubſpectam illius originem callide tribuit. Mirari non ſubit ſi Italus ita cogitat: ille ex ea regione eſt, in qua vetus Philoſophia adhuc regnat, quia vetus eſt; et omne id, quod vetuſtatem non ſapit, ſubſpectum eſt. In Britannia ipſa pariter non aliter corpuſcularis Philoſophia prope haberi iam coepit; quo nomine intelligo eam, quae claras

ideas,

ideas, figuras, et motus admittit. Forte in una regione omne novum reprobatur, in alia aliud non admittitur, niſi illud quod in ea natum eſt. Quidquid eſt, Philoſophia corpuſcularis deſeri non poteſt, niſi labendo in opiniones ſpecioſas quidem, et nobiles, ſed quae perſpicuitatis ſatis non habent: hoc tamen vitium non omnia corrumpit, et egregii etiam commentarii eo non carent. Commentarius *Polii* experimenta plurima non contemnenda; et diſputationes qua Chymicas, qua Medicas, commendabiles iis ipſis, qui illas omnino non admitterent; & innumera remedia noviter excogitata, et Medicis perutilia, complectitur. Ne Podagram quidem incurabilem eſſe putabat: tamen adhuc incertum eſt an medicabilis illa ſit; et interdum ſpes audax eo progreditur, quo deſperatio prudentior vel adſpirare numquam auſa fuiſſet. Quamvis autem recentiorum Philoſophia *Polio* plane puteat, & ſordeſcat; multa tamen liber eius complectitur; quae Chymicae, & Medicinae Profeſſoribus commodo eſſe poſſunt, atque emolumento. Anno MDCCVIII. Pontifex Max. *Polium* in Romanis adverſus Imperatorem ſcriptis militibus primarium Mechanicum elegit. Perraro quidem accidit, ut Chymicus tranquillis ſuis adſuetus experimentis, mortis repente aſſecla fiat, atque inter militum ſtrepitus, ac diſcrimina verſetur. Quum in hibernis, aeſtate elapſa, Pontificii milites hiemarent, *Polius* Venetias conceſſit, ubi viri principes, & docti, magnis illum honoribus certatim proſequuti fuerunt. Anno MDCCXII. Princeps *Cybo*, Maſſae Dux, *Polium*, ut de fodinis ſuis iudicium ferret, ad ſeſe accivit. Ipſe, ditiſſimis cupri, chalcanthique cum albi, tum viridis, fodinis inven-

ventis, nonniſi locupletato Principe, Principi valedixit. Anno MDCCXIII. in Galliam, adnuente Rege, reverſus, ſedem in Pariſienſi Scientiarum Academia vacuam a *Vivianio* relictam, *Polius* maxima cum voluptate occupavit. Verum, quum ab illius Academiae collegis omnibus Philoſophia *corpuſcularis*, a qua cane peius & angue *Polius* abhorrebat, coniunctis viribus propugnaretur; experimenta, & obſervationes recentes, adverſus ipſam a *Polio* in medium producta, nigris calculis reprobata fuerunt. *Polium* hac opinionum ſuarum improbatione triſtantem Rex ſtipendiis, atque honorum augmento ſolatus fuit, eique ut Lutetiam Pariſiorum, ubi eius pharmaca peculiari quadam ratione confecta collaudabantur, familiam ex Italia transferret, perbenigne praecepit. Eius igitur uxor, & liberi, domo, quae Romae ipſis erat, cognatis & neceſſariis derelictis, rebuſque omnibus, quas poſſidebant, feſtinanter, atque idcirco magna cum iactura diſtractis, navem conſcenderunt in qua multa incommoda perpeſſi, poſt exantlatos longi itineris labores V. Kal. Sextilis Lutetiam Pariſiorum ſeſe tandem receperunt. At illic ab ipſis non malorum ſolamen, ſed irritatio reperta fuit. Graviſſimo enim morbo correptus *Polius* ad interitum recta ferebatur, loqui nihil valebat, vix ſui compos erat, & coniuge, liberiſque ſuis aegerrime adgnitis, poſtridie adventus illorum animam efflavit. Miſerrimi illi, qui tam infauſtis avibus tam longum iter ſuſceperant, tanta fracti calamitate, prae nimia maeſtitiae, & angoris vi exanimes quoque ipſi videbantur.

FRAN-

FRANCISCVS LOTHARINGVS MAGNVS ETRVRIAE DVX.

NVllum adhuc Principum, qui in vivis ageret, ſcripto elogio laudavimus, licet plures hiſce commentariis fauſto ſemper omine inſeruerimus, quo noſtra perficeretur ſimul & nobilitaretur hiſtoria; at nullum etiam eiuſdem complementum illuſtrius, & coronidem ſplendidiorem invenimus, quam Sereniſſimum Principem, *Franciſcum* Lotharingiae Ducem, nomine tertium; ſecundum vero, ſi Etruriae Regum ſeriem, & ſubſceptum, translata in alios Lotharingia, Tuſcorum populorum imperium, conſideraveris. Hic igitur Heros ex inclita & regia & vetuſtiſſima Alſatiae Ducum progenie, quae cum auguſta *Lotharii*, *Caroli Magni* nepotis, gente adfinitatis iure coniuncta fuit, & per tot ſeculorum revolutiones ad nos uſque clara, potens, magnanima, celebris, invicta deducta eſt, nobis divinitus datus, qui poſt extinctos *Mediceos* Principes Etruriam ſupremus arbiter moderaretur & regeret; & iuſtitia ac ſapientia praeſtantiſſimus populos, alias beatos, florentiores efficeret, atque inſolita felicitate cumularet; poſtremum vertentis anni laborem, meamque noviſſimam commentationem, maximis eius erga litterariam rempublicam meritis, rebus praeclariſſime geſtis, & praecellenti Muſarum, bonarumque artium, favore ac

X pa-

patrocinio, commemoratis, luculenter ac magnifice ornabit, & numeris omnibus abſolutam immortali vita digniſſimam reddet. Tanti igitur Principis pater *Leopoldus* Lotharingiae Dux fuit, qui anno MDCLXXIX. ortus *Aloiſiam Eliſabetham Aurelianenſem* uxorem duxit, ex qua inter alios *Leopoldum Clementem* anno MDCCVII. *Franciſcum* anno MDCCVIII. & *Carolum* anno MDCCXII. filios, paternae indolis & virtutis heredes eminentiſſimos, ſuſtulit. At *Leopoldum Clementem*, Principem erudititiſſimum, anno MDCCXXIII. immatura mors rapuit, & Princeps iuventutis *Franciſcus*, inſtitutione optima educatus, evaſit, qui anno MDCCXX. a *Carolo* VI. Auguſto Vindobonam, ut apud ſe haberet, accitus fuerat. Nam quum *Leopoldus* Lotharingus *Leopoldum* Imperatorem avunculum habuiſſet, eiuſque adeo *Carolus* VI. Caeſar *Leopoldi F.* conſobrinus eſſet, is cognatum Principem noſtrum magnanimum, adhuc adoleſcentem in Caeſarea aula principalibus ſtudiis & documentis excolendum, evocavit ad ſe, & eum ſemper ardentiſſime dilexit, filiae ſuae natu maximae ſponſum digniſſimum deſtinandum. Heic non tantum bellicis artibus, militaribus exercitamentis, civilibuſque ſtudiis, quae principem prudentiſſimum, & ſtrenuum ducem, qualis iam, Maioribus ſuis dignus, evaſit, formare poſſunt, perfecte diligenterque inſtructus eſt; verum etiam *Langraeo* praeceptore, iuris Germanici cognitionem hauſit, & antiquariam numiſmatum ſcientiam, qua duce in vetuſtae hiſto-

riae

riae penetralia ſe inſinuavit, penitus animo comprehendit. Quum Vindobonae anno MDCCXXVIII. verſarer, *Franciſcus* Princeps apud Caeſarem adhuc erat; ſed quum anno inſequenti menſe Martio *Leopoldus* pater naturae conceſſiſſet, Vindobona diſcedere compulſus eſt, ut Lotharingiam, populoſque, quorum regimen ad eum devenerat, inviſeret, & ſe illis ſupremum iam moderatorem & Principem exhiberet; quare ſub initium anni MDCCXXX. illum Lutetia Pariſiorum tranſeuntem vidi, ubi Princeps praeſtantiſſimus, ut ille, qui Muſarum, bonarumque artium fautor ampliſſimus futurus erat, Muſeum Regium omnigenis eruditae antiquitatis reliquiis locupletiſſimum, Cruſazianum, aliaque privatorum civium inſigniora Cimeliarchia, ſpectare & contemplari voluit; deque numiſmatis, aliiſque cimeliis adpoſite ſapienterque diſſerendo, ſuae eruditionis ſpecimina praebuit. Deinde in Lotharingiam reverſus, quum rempublicam ibidem compoſuiſſet, & certum ordinem formamque gerendorum negociorum praeſtitiſſet, quodque nobis magis obſervandum eſt, in Lunivillenſem Academiam inſuetam numorum veterum eruditionem, & ſtudium, introduxiſſet, & patrem populorum optimum, & litterarum bonarumque artium amplificatorem munificum, dignumque illo patre filium, ſeſe oſtendit. Sciendum eſt enim *Leopoldum* Ducem, omnium Principum, qui eum in Lotharingia praeceſſerunt, erga doctrinas, egregiaque ſtudia, arteſque praeclaras propenſiſſimum fuiſſe; Bibliothecamque

in ſuo Palatio dedicaſſe, & ſcientiarum liberaliumque diſciplinarum Profeſſorum Collegium & Phyſicae empiricae, ut ita dicam, theatrum Lunivillae inſtituiſſe, *Caroli de Pfitſchner a Palude*, viri ampliſſimi, conſilio & opera maxime uſum. Anno MDCCXXXI. *Franciſcus* in Britanniam contendit, Londinique ſubſiſtens Regiae ſcientiarum Societati adſcriptus eſt, quo ampliorem illi ſuo nomine honorem decuſque conferret. Hinc per Bataviam, alioſque Germaniae tractus iterum Vindobonam profectus eſt, ubi anno MDCCXXXVI. *Mariam Tereſiam Auſtriacam*, *Caroli* Caeſaris filiam, natu maximam, Auguſtam feminam, & tam praeclariſſimis animi dotibus, quam egregia corporis forma, praeſignem, connubii iure ſibi copulavit. Quum vero Europae Reges ac Principes communi tranquillitati conſulere vellent, iamdiu in Cameracenſi Conventu ſtatuerant, ut in Etruriae regno *Carolus*, *Philippi* V. Hiſpaniarum Regis, & *Eliſabethae Farneſiae* Reginae, filius, *Ioanni Gaſtoni* Magno Duci, *Mediceorum* poſtremo, ſuccederet; iamque anno MDCCXXXII. ille in Italiam, & Etruriam advenerat, & Florentiae aliquantum conſederat; donec in Galliam Ciſalpinam profectus, & Aemilia, Parmaque & Placentia urbibus, potitus, Calabriam quoque & Neapolin, Siciliamque obtinuit, Rexque duarum Siciliarum, ut vocant, conſtitutus eſt. Regni Poloniae, quae antiquae Sarmatiae pars eſt, ſucceſſio huic bello occaſionem dederat, Galliarum Rege, *Stanislao Lenziſchio* ſocero im-

pe-

perium illud adferere conante; contra autem favente *Friderico Auguſto* Saxoni, nunc Regi, candidato adverſo, *Carolo* Imperatore; qui quum Italico bello ſe nimis premi & adfligi ſentiret, cum Gallo ea pacta conventa ſancivit, quibus Lotharingia Gallo addicebatur, Etruria autem a Principe Hiſpano in *Franciſcum* Lotharingum transferebatur. Quum haec inter duos illos Principes conveniſſent, Italiae pax reddita eſt; quumque anno MDCCXXXVII. *Ioannes Gaſto* Magnus Etruriae Dux mortem obiiſſet, Etruria Lotharingo ceſſit, qui anno inſequenti in Italiam venit, atque Etruriae poſſeſſionem praeſens accepit. Huc quidem una cum Auguſta Vxore & Sereniſſimo fratre *Carolo* delatus, magna civium occurrentium frequentia laetitiaque exceptus eſt; qui inſuper arcum lapideum, Romanorum more, eius honori conſtruere adgreſſi fuerant, qua parte Florentia Germaniam ſpectat, quaque novus Magnus Dux ingredi debebat. Huius molis Architecton fuit Lotharingae gentis homo, *Iadautus*, quem Princeps Sereniſſimus, hominem ſub ſuis auſpiciis eruditum, una cum reliquo ſuo comitatu Florentiam praemiſerat, & qui Architectonices peritia maxime praeſtat. Is igitur arcum Conſtantinianum ferme imitatus, illum multis ornamentis decoratum, deorum ſimulacris, tropaeis, & anaglyphis, res *Franciſci* geſtas repraeſentantibus, auxerat, cuius quidem equeſtrem ſtatuam a *Vincentio Foggınio* Sculptore Florentino affabre elaboratam, in ipſo arcus fa-

ſtigio collocaverat. Epigrammata quoque arcui addita ſunt ſequentia.

FRANCISCO III. LOTHARINGIAE DVCI AVGVSTO PIO FELICI MAGNO DVCI SVO ETRVRIA.

Et hinc.

AMPLIFICATORI BONARVM ARTIVM.

Inde vero.

PROPAGATORI COMMERCII.

Ea *Valentinus Duvallius*, Regiae Bibliothecae Praefectus excogitaverat, vir doctrina inſtructiſſimus & vere Philoſophus, cuius vitae narrationi aliquantiſper immorer neceſſe eſt; nam & ex hoc ipſo Lotharingorum Principum erga Muſas, & litteras proclivitatem facile arguere eſt. Natus hic in Burgundia ex agricolis inopibuſque parentibus anno MDCXCVI. ovibus paſcendis deſtinatur, quum infans in Lotharingiam traductus fuiſſet; qui quum puer eſſet ingenioſus & perſpicax, pueris aliis docentibus, litteras didicit. Hinc legendi amore captus & Eremitis quibuſdam Luniviila M. circiter P. remotis opitulantibus, quoſcumque libros habere poterat, cunctos perlegere, & iis, dum gregem paſceret, ſedulo incumbere; ita ut nihil ei huiuſmodi ſtudio iucundius gratiuſque contingere poſſet. Libros autem Geographicos in primis amabat, eoſ-

que

que Nancei emtos Autumno anni MDCCXVII. quadam die evolvebat, quum *Leopoldus Clemens*, & *Franciſcus*, Principes in ſilvam venandi ſtudio delati illum legentem deprehenderunt, ad eos adducentibus iuvenem comitibus. Annos XXI. natus tunc erat *Duvallius*, quum a Principum comite, *Carolo de Pfiſtſchner* laudato, e ſilvis & paſcuis eductus eſt, & Lunivillam adductus, unde ad Muſſii Pontem miſſus eſt, quo ſub Ieſuitis Latinae linguae operam daret; ſed ibi vix decem menſes ſubſtitit, illius ſcholae docendi methodum averſatus, & utilioris philoſophiae documenta perquirens; quare per ſe ipſe deinde omnia didicit; & biennio poſtquam ex eremo diſceſſerat Principis Bibliothecae praefectus eſt, qui eam admodum ampliavit, & in formam ordinemque ſpectandum redegit. Hic vero, quamquam *Leopoldi* Principis beneficentiam maxime expertus eſt, tamen & a ſucceſſore *Franciſco* munificentiſſime eſt habitus, cum ſtipendio aucto, tum titulis & honoribus impertitis. *Duvallius* igitur Florentiam delatus, quo & regiam Bibliothecam ſuam, & quidem lectiſſimam, Princeps inclitus tranſtulit, epigrammata illa compoſuit. Sed antequam Princeps Florentiam advenit, non multis ante menſibus *Sebaſtianus Blancus*, homo rei antiquariae peritiſſimus, & Muſei Medicei, cuius numiſmata primus omnium in certum exactumque ordinem concinnaverat, cuſtos, mortuus erat; quare de ſucceſſore eligendo actum, iſque iuſſus eſt, Principe eligente, *Antonius Cocchius* Mucellanus, Me-

 di-

dicus, vir multiiugi eruditione praeſtans, & *Xenophonte* Epheſio in Latinum e Graeco converſo, & publici iuris facto, aliiſque commentationibus editis, celebris; qui inſuper quoſdam antiquos de re Chirurgica Scriptores Graecos, qui manu exarati in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana adſervantur, & alias editi non fuerunt, accurate deſcripſit. Res quoque hoc eodem tempore contigit, quae eruditorum ſtudia diſcidit, & turbas inter litteratos homines excitavit. Editi fuerunt Sermones, ſeu Satirae, quaedam Latine, quibus eruditi male habebantur; adeoque hi facile ira exarſerunt, & Satiram quamdam, adverſus eos, quos illorum Sermonum auctores crediderant, ediderunt. Hi vero rem indigne aegreque ferentes, huius iniuriae, ut vocabant, queſti apud Praeſides civitatis & Magiſtratus ſunt, ſimulque ad *Franciſcum* Magnum Ducem, quos Satirae conditores ſuſpicabantur, detulerunt; at ille re bene diligenterque perpenſa, & ut ſua ſolita iuſtitia ac ſapientia uteretur, neque viros doctos, bonarumque artium, diſciplinarumque cultores, a laudabilibus coeptis ullo modo avocaret, litterarias contentiones, bellaque umbratilia, prodeſſe magis quam obeſſe, tacite declaravit. Quare huc reſpiciens Poeta cecinit:

Namque praeeſt iuſtus populo Regnator Etruſco
FRANCISCVS, *ſub quo vates non plectitur inſons*,
Et virtus ſecura viget.

Illud

Illud heic quoque non omittendum, eumdem Vatem ita de *Franciſco* Magno Duce, ob eius erga egregia ſtudia, bonaſque artes amorem cecinisſe:

-------- Iam iam clariſſimus aſtris
Aethereis vindex veluti delapſus, Etruſcos
Inviſat populos, & praeſens numen amicas
Exhilaret gentes, FRANCISCVS. *Scilicet ardens*
Pannonici ad trepidas ripas modo fulminat Iſtri,
Atque relaturus ſuperato ex hoſte triumphos
A noſtro infeſtos avertit limite Thraces:
Tunc vero Alcides alter, monſtra horrida paſſim
Egregiis ſtudiis, Tuſcaeque inimica quieti
Sternet, & invictus patria virtute domabit.
Tunc Phoebum, & doctas foveat pax alma Camoenas,
Atque renaſcentes orbis mirabitur artes
Eximias, tanto demum ſub Principe tutas.
Scilicet ut Xenophon, atque admiranda Dionis
Virtus, atque Epaminondas, proleſque Philippi
Tigridos & Gangis domitrix, Caeſarque Latinus,
Non tam bella gerit, Martiſque incenſus amore
Aſpera conlatis invadit proelia ſignis;
Quam dulces curat conceſſa per otia Muſas,
Et pacis ſtudia, atque artes amat ille decoras,
Principibus grande exemplar.

Franciſcus Magnus Dux igitur Florentiae morabatur, remque publicam ſapientiſſime procurabat; & alias quoque Etruriae urbes inviſere non omittebat, ut Senam, ubi carminum Italicorum & Latinorum concentu celebratus eſt; & Piſas, & Liburnum, ubi con-

gruis honoribus, & obſequiis exceptus fuit. Eius autem Archiater, quem ſecum adduxerat, *Ioannes Baptiſta Baſſandus* erat, vir qui celeberrimi *Boheraavi* auditor fuit, & doctrina & eruditione ita praecelluit, ut a *Boheraavo* ipſo laudibus ferri meruerit; cuius cognitione & amicitia comparata *Ioannes Targionius* Epiſtolam eruditiſſimam de quodam papilionum genere ei inſcripſit, ac anno MDCCXLI. typis vulgavit; dolendum tamen quod Archiater doctiſſimus, hoc, inſequenti anno, naturae conceſſerit. Aſt, ut ſuam in litteras propenſionem *Franciſcus* teſtatam omnimodis & perſpectiſſimam faceret, quum coeptum illud laudatiſſimum *Muſei Florentini* maximopere commendaſſet, iamque quartum eiuſdem operis volumen vulgandum eſſet, illud ſibi nuncupari paſſus eſt; quumque pecunia ei edendo deeſſet, illam e regio aerario munifice ſuppeditari iuſſit; quare iure optimo operis egregii editores his verbis eum adloquuntur: *In hac heroum ſerie Tu quoque numerandus es, Magne Dux Sereniſſime, qui vetuſta numiſmata & quidem perrara, & inſignia, ſumma diligentia undique a te collecta, tuas delicias adpellas, ſervaſque una cum gemmis antiquis eximii operis in ſplendidiſſimo Cimeliarchio, quod Genio tuo Auguſto dedicaſti. Quoties enim magnus ille tuus, vereque regius animus, a gravioribus curis divertit, gravibus hiſce atque eruditis oblectationibus mirifice ſeſe reficit. Nec minore ſtudio Bibliothecam tuam luculentiſſima librorum ſupellectile refertam locupletaſti. Quum animadverteres nil eſſe numiſmatis illuſtrius,*

ſtrius, nilque perennius, Heroum Auguſtae gentis tuae Lotharingiae ſeriem, ab optimo magnanimoque parente tuo Leopoldo inchoatam, perfeciſti atque auxiſti, demandata cura eximio numiſmatum caelatori tuo SanEturbano; eidemque nuper iuſſiſti ut vultus Principum omnium Auſtriacae domus auguſtiſſimae pulcherrima numiſmatum ſerie caelaret, additis emblematis litteriſque, ut inclita eorum geſta caelo & aeternitate digna, victricia arma, perpetuus amplificandae tuendaeque Chriſtianae fidei & religionis ardor, ſumma Iuſtitia, Pietas, Clementia, Sapientia, Liberalitas, Beneficentia, virtutes denique omnes, magis magiſque toto terrarum orbe, Te hos Heroas conſecrante, celebrentur. Iure igitur ac merito fauſtiſſimo hoc die, quo nominis tui annua laetitia ac pompa ſolemniter celebratur, hoc opus Muſei Florentini, in quo perrara maximi moduli numiſmata regii Tui Muſei exhibentur atque illuſtrantur, devoto humilique obſequio Tibi conſecramus; proditque tamdem ut regiam tuam in nos liberalitatem ac beneficentiam, ut quantocius in lucem prodiret, teſtetur; atque ut omnes intelligant, Te auſpice ac favente, augeri in dies ſtudiorum decus & gloriam: nec minus, Te ſoſpite, laudent vigilem animum tuum ad publicam tranquillitatem, quam vel ad litterarum ingenuarumque artium ſplendorem, praeſidium, & ornamentum, aeterna Dei providentia deſtinatum. Prodiit hoc volumen anno MDCCXL. quum iam anno MDCCXXXIX. menſe Aprili *Franciſcus* Magnus Dux in Germaniam cum Auguſta uxore, & Sereniſſimo fratre *Carolo* remigraſſet, iis mandatis reli-

ctis,

ctis, quae ad publicam tranquillitatem conſervandam, & litteras, egregiaque ſtudia reſtituenda, maxime conducerent. Et quidem res ipſa comprobavit, quanta cura & deſiderio huiuſmodi rerum Princeps ſapientiſſimus teneretur; nam anno inſequenti Academia Regia Lunivillenſis Florentiam translata, in qua nobiles adoleſcentes egregiis artibus, equeſtribuſque ſtudiis, inſtruuntur & exercentur, celebrari coepit, Profeſſoribus partim iiſdem manentibus cum Lotharingis, inter quos *Golardus* Germanici Iuris conſultiſſimus, & *Vitriarii* praeceptoris decus; ac *Vareingius* Mechanicus plane admirandus, *Leopoldi* Ducis iuſſu ac ſumtibus in Britannia ſub celebri *Deſaguillerio* Mathematicis diſciplinis adprime inſtructus, & *Franciſci* beneficentiam incredibiliter expertus: tum Florentinis, noviter additis eruditiſſimo *Ermenegildo Marmio*, Mathematices Doctore, & me *Ioanne Lamio* generalis hiſtoriae Magiſtro. Cura quoque diligentior de Atheneo Senenſi habita eſt, illudque reſtitutum, Anatomes Profeſſore *Ioanne Bianco* Medico celeberrimo Arimino evocato, & lauto ſtipendio conducto anno MDCCXLI. quum eidem Atheneo praeeſſet *Pompeius Nerius*, Auditor, ut vocant, & Iuris conſultus eximius. Sed & Botanica Societas Florentina ſuum habuit ſub tanto Principe incrementum, a cuius munificentia horto omnigenis plantis colendis in Medicum uſum publice deſtinato liberaliſſime donata eſt; & quidem raro liberalitatis exemplo. Quin id ſat non fuit Principi naturalem ſcientiam omnimodis promoventi; ſed hoc eodem

eodem anno MDCCXLII. *Ioannem Targionium*, Botanices Profeſſorem, laudatum elegit, qui Etruriam peragraret, penituſque pernoſceret, quo hiſtoriam eiuſdem naturalem deinde conſcribere poſſet, & de metallis, fodinis, lapidibus, terris, arboribus, herbis, aquis, aliiſque id genus rebus agere, & loqui; ſumtuſque omnes ipſe in opus laudatiſſimum ſuppeditavit. Quid de Bibliotheca *Magliabechiana* dixerim, quam in ordinem redigi & ipſe poſt *Ioannem Gaſtonem* praedeceſſorem voluit, & omnia ea fieri, quae ut publice celebrari poſſit, peragenda ſunt; atque ad hoc aes neceſſarium ex regio aerario erogari & impendi: quare iure merito marmorea Protome ei in eadem Bibliotheca dedicata eſt. Quum autem in Palatina Bibliotheca ingens librorum Orientalium copia a *Mediceis* Principibus prudentiſſime ac magnificentiſſime comparata exſiſteret; nec eorum umquam catalogus exactus concinnatus fuiſſet; quum nec *Euſ.* *Renoudotus*, nec eius praeſidio fretus *Ant. Magliabechius*, abſolutum umquam praeſtitiſſent; Principi fautori Muſarum inclito placuit, ut is demum fieret, & numeris omnibus abſolveretur. Quare, quum Florentiae *Evodius Aſſemanus*, Syromaronita, Archiepiſcopus Apamenſis, alia de cauſa verſaretur, ei litteratura Orientali inſtructiſſimo, & linguarum multarum callentiſſimo, provincia haec demandata fuit; quam quidem ille Spartam optime adornavit, opuſque ad umbilicum deduxit, adiecto etiam Catalogo aliorum librorum Orientalium, qui in Bibliotheca Laurentia-

tiana, exſiſtunt; quod quidem opus nunc ſub
prelo eſt, brevi in lucem proditurum. Huius
auctorem Princeps beneficentiſſimus non ſine
praemio reliquit, & auri vim insuper largitus
eſt, ut typis quam citius evulgari in publicum
poſſet. Sed & illum maxime praedicandum fe-
cit, quod quum Bibliotheca Laurentiana a *Me-
diceis* Proceribus dedicata, & ad tria millia
Codicum rariſſimorum MSS. complexa, *Clementis*
VII. Pont. Max. iuſſu & inſtitutione a Canonicis
Baſilicae Laurentianae in annuo miniſterio ſi-
bi invicem ſuccedentibus cuſtodiretur, & qui-
libet per annum Bibliothecarii munere fun-
geretur; nec conſtans unquam cuſtos eius eſ-
ſet, magno detrimento ſtudioſorum, extero-
rumque hominum, qui ſaepe pro erudito Bi-
bliothecario, qui universae Bibliothecae opes
intime noſceret, rudem aliquem hominem
cuſtodem, temere & forte fortuna praepoſi-
tum, offendebant, qui ne titulos quidem &
tegmina Codicum noverat; *Franciſcus* ſapien-
tiſſimus Regnator, communi bono & erudi-
tioni conſuluit, perpetuum Bibliothecae cu-
ſtodem adſignans, & *Antonium Mariam Biſcio-
nium*, ſcriptis editis notiſſimum, & illius Bi-
bliothecae cognitorem eruditiſſimum, eum
eſſe praecipiens. Non tamen hic omittendum,
tam Catalogum Codicum Orientalium, quam
hunc Cuſtodem Bibliothecae Laurentianae per-
petuum, viro ampliſſimo, & eruditiſſimo,
Comiti *de Richecurte*, rem ſubgerenti & pro-
moventi, ut illi, qui egregia illuſtriaque
opera iugiter meditatur ac perficit, a nobis
eruditiſque omnibus deberi; is enim Magno

Du-

Duci auctor fuit, ut res haſce utiliſſimas & Florentiae ſuae, & univerſae litterariae reip. benigne praeſtaret. Sed Principis providi cura Piſas etiam reſpexit, earumque Atheneum illuſtre ac celeberrimum beneficiis adficere non omiſit. Nam nec nimium Profeſſorum numerum, qui illic hactenus docuerant, probavit; & contractiorem laudans eximios & doctiſſimos eſſe voluit, quos in poſterum electurus eſſet. Iamque primus omnium, qui ad profitendum in Piſana Academia a Magno Duce *Franciſco* electus eſt, fuit *Thomas Perellius*, vir doctrina, eruditione, & abſoluta diſciplinarum cognitione praeſignis, qui ſub *Guidone Grandio* Mathematicam penitus animo comprehenderat Piſis; & Bononiae ſub famigerato *Euſtachio Manfredio* Aſtronomiae, & coeli motibus, ſiderumque periodis, obſervandis, operam dederat. Hic igitur largo ſtipendio conductus Aſtronomiam Piſis docere coepit anno MDCCXXXIX. & eodem ferme tempore iuris publici Profeſſorem in eadem Academia Princeps renunciaverat *Banduram*, Senenſem hominem, qui in Germania per multos annos magna cum ingenii laude Iuriſprudentiae, aliiſque diſciplinis vacaverat; & anno MDCCXLI. *Thomas Monelia*, Dominicanus Florentinus, vir multa doctrina conſpicuus, & commentario accuratiſſimo *de Annis Chriſti*, *& utriuſque Philippi Chriſtianiſmo*, quem *Franciſco* Magno Duci dicavit, publici iuris facto celebris, Cathedrae hiſtoriae Sacrae & Eccleſiaſticae merito praepoſitus eſt. Quid quod duo alii Piſani Profeſſores per haec eadem

tem-

tempora duo egregia opera Magno Duci *Franciſco*, tamquam vere Muſegetae, conſecraverunt? Vnus fuit *Alexander Politus*, Scholarum piarum Clericus Regularis, qui quum Euſtathii Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Scholia in *Dionyſii* Periegeſin iterum e Graeco in Latinum ſermonem tranſtuliſſet, hanc ſuam elegantem Interpretationem Principi Magnanimo conſecravit, a quo ingens ſtipendii augmentum, praemium debitum retulit. Alter vero fuit *Nicolaus Gualtirius*, Medicus, qui quum inſigne opus, teſtaceorum animalium, quaecumque in ſuo divite Muſeo ſervat, iconas, & deſcriptiones continens publici iuris hoc anno MDCCXLII. feciſſet, Principi Sereniſſimo inſcripſit. Sed non de praeſtantioribus hiſce doctrinis tantum optime meretur Princeps auguſtus, verum etiam de minoribus artibus, quibus impenſe delectatur ac favet. Iam quanti Sculpturam faciat in *Sancturbano* ſuo demonſtrat; quanti Architectonicen in *Iadauto*, quem ſuis ſumtibus, ut diximus, erudiendum curavit; quanti picturam, in *Chamantio*, quem protegit. Adde, quod peritiſſimos aulaeorum artifices ex Lotharingia Florentiam tranſtulit; & quos Florentia iam eximios & excellentes habebat, ne diſcederent iuſſit, & ſolita ſtipendia iis tribuit. Sed & Muſicen amavit plurimum, nec Florentiae deſpectam habuit, omnibuſque, qui eam ibi ſeu cantu, ſeu fidium, & ſpiritalium organorum pulſatione profiterentur, inſignibus & eximiis ſalaria continuavit; praecipue, quum quantum laudis ea de cauſſa ipſi acceſſurum

eſſet,

eſſet, *Vincentius Maria Riccardius*, Senator & Eques, Gazophylaxque ſupremus, ei demonſtraſſet, & preces pro illis porrexiſſet. At illud, quod in primis in tanto Principe, eiuſque imperio, commendandum videtur, eſt, quod beatam libertatem viris litterarum amantibus, & doctrinis penitus percipiendis addictis concedit, ut in omnium Philoſophorum ſententias inquirere valeant, & quaſcumque doctrinas examinare ac docere; modo ratio eas probet, nec damnet religio, cui vel omnium veterum Philoſophorum placita adverſantur, vel nulla: nam ſi recta & prava diſcernas, & bona ſeligas, illorum doctrina Religioni favet & opitulatur; ſi miſta omnia indiſcriminatim probes & tuearis, religionem oppugnant ac deſtruunt; ſive ea *Plato* proferat, ſive *Ariſtoteles* ſonet, ſive *Epicurus* doceat, ſive *Antiſthenes* inferat, ſive *Zeno* proponat, ſive *Potamon* commentetur, ſive alius quicumque excogitet atque pronunciet. Hinc bene quidem ac ſapienter non inlepidus Poeta canebat:

Vtilia & bona ſunt tibi quaeque volumina: tantum
Selige doctrinam, quae vera eſt, reiice falſam,
Et rectum caute ac pravum diſcerne.

Proh! quantorum malorum cauſſa fuit cogere publicos Profeſſores, ſcientiarum Magiſtros, ad certi alicuius tantum Philoſophi, vel Theologi doctrinam tradendam; & hunc vel illum veritatis canonem declarare! Iam ſub

Fran-

**

Franciſci imperio ſereniſſimo nullae obſtant a ſole veritatis nubes: coelum eſt apertum & liquidum, aquilaeque ingeniorum libere volant, quo in illo ſidere lucidiſſimo aciem defigant, & quid ibi deprehenderint tuto, ac libere praedicent: quam quidem beatitatem longaevam, immo aeternam, ſub Principe magno, ſapiente, iuſto, erudito, ſtrenuo, invicto, munifico, clemente, conceptis votis a Deo Opt. Max. enixe precamur. Vtinam tot bellorum tumultu ipſe non turbaretur abſtrahereturque a laudatiſſimo propoſito egregia ſtudia, bonaſque artes promovendi & amplificandi: mentemque ſedatam atque tranquillam ad pacis munera & artes placide convertere poſſet: quanta doctae Minervae incrementa noſtra Etruria ſubſpiceret, quanto amplius litterae, ſcientiae, doctrinae, liberaleſque diſciplinae augerentur & creſcerent! Stimulos ſponte currenti adderet Auguſta Coniux, *Tereſia* Regina, quae ſapiens, fortis, & invicta late regnat, imperium paternum tuetur, hoſtes caedit atque repellit, victrix tamdem de iis claros triumphos agit: vera Herois & virago, alteraque Pallas, bellis aeque gaudens armiſque, & pacis ſtudiis eximiiſque artibus favens; adeo ut, quum anno elapſo Vindobona hoſtibus ingruentibus Podonium ſeceſſiſſet, illucque pretioſam gazam, & ſupellectilem regiam tranſtuliſſet, inter cariora cimelia copioſiſſimam Bibliothecam numeraverit, eamque ſecum adſportari voluerit. Adderet ſtimulos & Frater inclitus, ſtrenuus, atque magnanimus, *Carolus*, qui & Martis ſtudia

dia colit, & Sapientiae documenta perſequitur, Muſaſque amat, & doctrinas ac literas fovet ac protegit, cum evolvendis libris, tum egregiorum artificum operibus contemplandis, quum per otium licet, perpetuo intentus: exemplar Principibus omnibus imitandum, qui fortunis, opulentia, imperio ad praeclara coepta ſubſcipienda, exſequendaque; non ad luxum, voluptates, inertiam perſequendas fovendaſque uti debent. At quia Princeps cultor iuſtitiae maximus eſſe debet, ut ſubditos populos beet, & ſuam ditionem ſerena pace ac felicitate tranquillet, adeo ea *Franciſco* ſapientiſſimo cordi eſt, ut antequam *Ludovicus Antonius Muratorius* egregio Commentario *De Iuriſprudentiae defectibus* Principibus ſtimulos adderet, iniuſtitiam omnem e medio, quoad fieri poſſet, ſublaturus ita VIII. Virum, penes quos animadvertendi in facinoroſos homines Florentiae ius eſt, leges & inſtituta reformaverit, & nihil ad eorum miniſtros lucri ex criminalibus cauſis provenire iuſſerit, certo tantum ſtatuto ſtipendio contentos: ne forte auri ſacra fames eos interdum tranſverſos ageret, & a recta iuſtitiae via, non ſine populorum damno & vexatione, declinare & exorbitare compèlleret. Quid quod ne ab ullo quidem ſubditos ſuos in ius vocari, & poenis inrogatis multari patitur, niſi ſe prius conſulto, & venia impetrata; tanta Paſtor hic populorum vigilantiſſimus ſolicitudine ſatagit, ne quod gens ſibi a Deo commiſſa detrimentum capiat, ac ſe inſcio ullo modo periclitetur ac

pereat.

****

pereat. Hinc etiam adminiſtris & conſiliariis utitur laudatiſſimis, quos inter & clariſſima illa nomina, *Marcus de Craon*, Sacri Romani Imperii Princeps excellentiſſimus, & *Richecurtius* laudatus Comes prudentiſſimus, aliique notiſſimi, ſapientia omnes, doctrina, nobilitate, ſublimes atque conſpicui.

IOAN-

IOANNES BLANCVS, SEV IANVS PLANCVS

Auctore Anonymo.

IAnus Plancus Ariminenſis natus eſt anno a Chriſti ortu MDCLXXXXIII. a. d. III. Nonas Ianuarias; eo ipſo die, ut ipſe dicere eſt ſolitus, quo natus eſt *M. T. Cicero*, ut ex Epiſtolis ad *Atticum* cognoſcimus. Parenteis dabuit honeſtos, quippe qui ex materno genere criginem ducebat a *Pandulpho Collenuccio*, *Plinii* defenſore, & Hiſtoriarum Scriptore, quem *Sfortia* Piſauri Tyrannus crudeliter obtruncaverat; paterno vero genere fuit, ut diximus, honeſto. *Plancus* autem noſter, licet pater eius *Hieronymus* in puerili ſua aetate fato functus fuiſſet, ut vix octavum annum attingeret, tamen ad ſtudia litterarum animum eo tempore mature adiecit, in quibus per totam aetatem pene innutritus eſt. In iis vero praeceptorem adhibuit nullum, ſed, ut Gargettius olim, αὐτοδίδακτος plane fuit. Apud Loiolitas tamen in patria, uſque ad XI. annum primis tantum Latinae linguae rudimentis operam dedit, ſed illas minutias, & tricas, ut Gargettius ille, ſapienter ac mature dimiſit, & lectioni Hiſtoricorum, Geographicorum, Botanicorum, Chymicorumque, ac variae eruditionis librorum ſe conſecravit: ſed praecipue Botanicam in deliciis habuit, ut per quinquennium ſingulis diebus, mane, ſi ſudum

 eſſet

eſſet coelum, & interdum veſpere, extra urbem Arimini eſſet, ut vel montanas, vel marinas herbas contemplaretur, colligeretque; ut eas deinde domi cum *Matthiolo*, quem unice tunc lectitabat, conferret. In quo ſane ſtudio quum lingua Graeca opus eſſe maxime intelligeret, propter varias controverſias, quae a *Matthiolo* cum reliquis rei herbariae Scriptoribus ex bene vel male intellectis *Dioſcoridis*, *Theophraſti*, *Galenique*, & reliquorum Graecorum, verbis excitantur frequenter, ad linguae Graecae ſtudium animum adplicuit ſuum, in quo ſtudio ſolus per ſe tantum profecit, ut & ſciret Graece, & ſatis apte vim illarum controverſiarum noſceret. Verum anno MDCCXI. aetatis ſuae decimo octavo, quum forte fortuna germanum fratrem minorem natu inviſeret, qui Ordini Minimorum nomen dederat, quique tunc Arimini ſub *Iohanne Bernardo Calabro*, eius Ordinis Doctore Phyſicam audiebat, & ſcripta fratris vidiſſet, iis adlectus, quod vulgares Peripateticorum doctrinas non continerent, quas non minus ſemper *Plancus* oderat, quam Grammaticorum, & Rhetorum minutias; ſed *Gaſſendi*, & *Maignani* placita explicarent, tunc Hiſtoricis, Botanicis, ceteriſque variae eruditionis libris *Plancus* vale dixit, totumque in Philoſophiae ſtudium ſe immerſit: & licet per duos menſeis tantum acutum Calabrum illum audiſſet, ultra eum audire noluit, quod is eo tempore iuſſus fuerit a *Vico* totius Ordinis Minimorum Magiſtro Supremo, ab *Epicuri* hortulis deflectere, & in Peripateti-

teticorum caſtra tranſire. Quare *Plancus* repudiato novo hoc fratris, & Calabri ſtudio, in pervolutandis *Gaſſendi*, & *Carteſii*, eorumque ſectatorum, libris totus fuit, quibus mox & Geometriae, & rerum Nevvtonianarum notitiam adiecit. Per quatuor annos in huiuſmodi Philoſophicis exercitationibus verſatus eſt; ac per ea tempora ſub *Ioanne Staio* Cretenſi, qui mox Archiepiſcopus Edeſſenus a *Clemente* XI. Pont. Max. renunciatus eſt, quique tunc Arimini in Seminario, *Ioannis Antonii* Cardinalis *Devia* iuſſu, Graecam linguam per aliquot menſeis docuit, exactiorem Graecae linguae exercitationem Philoſophicis ſuis ſtudiis *Plancus* adiunxit, in qua exercitatione comitem habuit Calabrum tranſfugam illum Philoſophum, *Felicemque Paleſium* Patavinum, qui litteras Latinas, & Artem Oratoriam in eodem Seminario docebat: quorum *Plancus* ſociorum ſtudia longe antevertit omnia, ſoluſque brevi relictus eſt; uſus eſt tamen ipſorum amicitia, & *Antonii Leprotti*, *Caeleſtinique Pezzanghetti*, qui tunc Arimini apud *Deviam* erant, alter ut Medicus ei eſſet, & Philoſophiam Seminarii alumnis explicaret; alter vero ut ſuffectus ei in Philoſophia fuit, ita in eodem Seminario poſt *Staium* Graecas litteras docuit. His amicis illuſtribus in patria, & in adoleſcentia uſus eſt *Plancus*; quorum quidem *Paleſius* in Sicilia in Regio Collegio Borbonico Rhetor occubuit; *Leprottus* vero duorum Maximorum Pontificum factus eſt Romae Archiater; alter demum Tiburis a *Benedicto* XIII. creatus

 eſt

eſt Epiſcopus. Quum vero omnes hi eruditi viri Arimini tunc eſſent, & quidam alii, apud *Deviam* congregatus eſt, eodem *Devia* Cardinali ſuadente, coetus quidam, ſeu Litteratorum, ut vocant, Academia, in aedibus ipſis Epiſcopalibus; in qua Academia ſingulis diebus Veneris tres Diſſertationes eruditae recitabantur. Huius Academiae factus eſt a ſecretis *Plancus*, qui *Pindarum* explicans, ſecundus poſt *Deviam* ipſum loquutus eſt in primo congreſſu, & deinde in aliis permultis iuxta ordinem, quem ſors ipſi obtulerat. Mirati ſunt tunc omnes *Planci* in lingua Graeca, in Phyſicis, Ethiciſque, atque in omnimoda eruditione peritiam, & ſimul in vernaculo ſermone facundiam. Placuit enim tunc *Planco* ſermone uti Etruſco, quamquam idem aeque poterat & Graece & Latine. Sub haec tempora *Plancus*, qui & Iura ſalutaverat, & Hiſtoriae Eccleſiaſticae, Sacraeque Theologiae non ignarus erat, a civibus ſuis, & ab amicis, ut alicui certae facultati immoraretur, quae ſibi, & ceteris prodeſſet, expoſtulari, & quaſi adiurari. Sed *Plancus* qui leguleiorum artes, & tricas in pretio numquam habuit, & Sacerdotii vincula metuebat, ad artem Medicam animum adiungere, ad id non repugnante, quin immo ipſo *Leprotto* maxime ſuadente. Quare anno MDCCXVII. Bononiam Medicinae addiſcendae cauſſa conceſſit, in qua urbe ut eam addiſceret conſuetudine *Plancus* uſus eſt ſua, ut Doctores quidem ibi audiret bene multos, ſectaretur vero neminem. Vſus tamen eſt in primis familiariter

in

in artis Medicae ſtudio *Matthaeo Bazzano*, quo Doctore, & promotore poſt triennium fere a. d. nempe V. Idus Quintil. anno MDCCXIX. Bononiae in Medicina, & in Philoſophia togam ſumſit. Bononiae quum eſſet non ſolos Medicos theoreticos, & practicos audivit *Plancus*, ut vulgares artis Medicae ſtudioſi faciunt, quibus unice lucrum cordi eſt; ſed Anatomicos, Botanicos, Geometraſque, quin immo eruditos quoſcumque, ſectatus eſt. Quapropter uſus eſt familiariter *Valſalva* illius Academiae inſigni Anatomico; *Beccario* Empiricae Philoſophiae Doctore, *Laelio Triumphetto* Botanico. At in primis familiariſſime utebatur *Ioſepho Montio*, viro in Botanicis, & in Hiſtoria naturae peritiſſimo, quocum fere ſemper erat, & feſtis diebus una montana Bononiae loca inviſebat, ut plantas inſpiceret, lapides, terras, conchaſque illas foſſileis, quas Diluvianas adpellant, quibus mirum in modum ager Bononienſis abundat. Vſus quoque eſt familiariſſime *Ghedino*, *Martello*, & *Comitibus* fratribus, apud quos noctu ſingulis diebus coetus virorum Doctorum cogebatur, & *Platonis*, & *Galilaei* libri legebantur, & *Demoſthenis*, & *Ciceronis* ſummorum Graeciae, & Latii Oratorum. Neque tantum in audiendo, legendoque Bononiae verſatus eſt *Plancus*, ſed etiam in agendo, perſcribendoque. In omnibus enim coetibus Philoſophicis, Mediciſque, quos Academias vocant, intererat ſemper *Plancus*, atque in iis tum diſſerendo, tum diſputando, primas ubique tenebat. Huius vero *Planci*

diligentiae ſpecimen habemus, ut videbimus, in actione, quam publice edidit contra *Blancum* Taurinenſem, & contra *Tacconium* Bononienſem. Poſt receptam togam, ſeu lauream, Ariminum conceſſit, ubi per treis menſeis Medicinam gratis pauperibus popularibus ſuis fecit, & ſimul eo tempore ſplendidam orationem concinnavit, quam Bononiam reverſus pro ſtudiorum inſtauratione in Archigymnaſio a. d. XIV. Kal. Novembris anno MDCCXX. publice recitavit. Huic *Planci* orationi interfuerunt tunc, ut mos eſt, *Origo* Cardinalis Legatus, *Cavaniglia* Prolegatus, Vexillifer Iuſtitiae, ceterique Bononienſes Magiſtratus, & doctorum virorum Collegia, cum permultis aliis eruditis viris; inter quos auditores habuit maxime illuſtreis *Guidonem Abbatem Grandium*, & *Coeleſtinum Gallianum*, Curiae Neapolitanae ſplendidiſſimum Praeſulem, qui tunc Bononiae erant, ut exundanteis parui Rheni aquas cognoſcerent, alluvioneſque ſuas, ſi fieri poſſet, Hydrometricis artibus curarent; quos auditores longe ſane celeberrimos *Planco* adduxit tunc *Euſtachius Manfredius* vir ſummus, & *Planci* amicus, & laudator ſemper, dum viveret, maximus. Poſt recitatam illam orationem per duos treiſve menſeis Bononiae adhuc permanſit *Plancus*; verum poſtea media ipſa hieme Patavium conceſſit, ut doctiores homines illius Academiae audiret, ſibique in amicitiam conciliaret, ut reipſa fecit; ac in primis *Morgagnium* celeberrimum Anatomicum ſalutavit, & *Polenum*, & *Vallisnerium*, & *Lazzarinum*,

Bar-

Burghiumque , apud quos ſemper verſabatur . Familiariter tamen uſus eſt tunc *Bacchinio* S. *Benedicti* Abbate, qui tunc Patavii in D. *Iuſtinae* Coenobio manebat, apud quem *Valliſnerius* frequenter , *Lazzarinus* , & *Burghius* divertebantur, cauſſaque fuit poſtea *Plancus*, una cum *Galliano* , & *Franciſco Zambeccario* Bononienſi, qui tunc Patavium inviſerant, ut *Bacchinius* ad Gymnaſium Bononienſe Publicus Eccleſiaſticae Hiſtoriae Doctor contenderet, ubi poſt paucos menſeis mortuus eſt, magnum ſui deſiderium Bononienſibus relinquens . Quatuor fere menſibus *Plancus* moratus eſt Patavii , ubi non ſolum viros doctos coluit, & audivit, verum etiam aliquot loca agri Patavini luſtravit , ac praeſertim omneis Aponenſeis fonteis ſemel, atque iterum inviſit , & Arquatum conceſſit , ut ſacros divini *Petrarchae* cineres, domumque, fontemque, lucoſque eximii illius vatis ſalutaret. Ex iſtis omnibus amoenis itineribus *Plancus*, ut ſolet, onuſtus ſemper domum redibat herbis, lapidibus, conchis, ceteriſque rebus ad Hiſtoriam naturae , vel ad antiquitatem pertinentibus . Circa dimidium menſis Maii Bononiam eſt reverſus , una cum *Ioanne Caccia* , qui modo B tanicus e. Taurinenſis , & qui tunc Patavii , & Venetiis *Planci* fuerat ſocius (nam dum morabatur *Plancus* Patavii bis Venetias cum *Caccia* conceſſerat , non tantum ut naumachiam illam ſolemnem ſpectaret , quam pro Sereniſſimo Mutinae Principe magnifice inſtruxerunt Veneti , ſed ut littus Venetum herbis , & con-

 chis

chis refertiſſimum cognoſceret) Bononiae per aliquot aeſtivos menſeis moratus eſt *Plancus*, deinde Ariminum venit patriam ſuam, quo perpetuo ibi maneret, ut per multum tempus quidem, licet interdum moram hanc perrumpens, ut peregrinaretur, fecit. Arimini quum eſſet, & ibi certam ſedem quodammodo ſibi fixiſſet, ſolitis Philoſophicis, Geometricisſque ſtudiis perpetuo addictus fuit; at praecipue Anatomen coluit, adiutoresque aliquot, & auditores in hac re habuit; inter quos *Petrum Paulum Lapium*, egregium Medicum Ocularium, & Lithotomum, qui *Planco* adiutore, & ſuaſore edidit anno MDCCXX. Epiſtolam pro artis ſuae defenſione contra calumnias *Antonii Cocchii* Tuſculi Medici, in qua multa acute, & acriter diſputat, ut probet Cataractam membranam interdum reperiri, & hoc morbi genus non ſemper cryſtallini humoris eſſe glaucoma, ut male tamquam pro ſuo primo invento contendebat *Cocchius*, quum id non primus invenerit, dixeritque ipſe *Cocchius*; ſed ante ipſum & *Briſſaeus*, & *Maetrianus*, & *Heiſterus*, aliique; & quod membrana Cataracta in Academiam ipſam Pariſienſem a *Litrio* ſit allata, eamque acriter defendat *Wholohouſius* Medicus Ocularius Britannus, ipſique membranae omnino infenſus non ſit vel *Morgagnius* ipſe in Adverſariis ſuis. Anno MDCCXXII. quum Arimini Chirurgus primarius illius urbis, vir ſatis quidem indoctus, imperite admodum *Magneſia* Arſenicali ad ulcera, ad vulnera, ad tumores, ad omneis denique

exter-

externos morbos, vel ad Cancros ipſos magno aegrotantium incommodo, & interdum morte ipſa, uteretur; quod remedii genus inſignis ille Italiae circulator *Anonymus* ad omneis externos morbos tamquam alteram Panaceam, Chirurgum illum docuerat; *Plancus* ſuorum civium miſertus, quos imperite, & crudeliter torqueri, & necari videbat, *Marci Chillenii* nomine doctam, & elegantem Epiſtolam Piſauri edidit, qua Chirurgi ignorantiam detexit, vireiſque illius remedii confutavit, & patriam ſuam peſte illa liberavit. Per haec tempora *Plancus* a *Ludovico Contareno* Patricio Veneto invitatus fuit, ut Venetiis ſecum eſſe vellet, ac deinde Patavium, & reliquas ditionis Venetae urbes inviſeret, ac demum Mediolanum ipſum extremis Bacchanaliorum diebus peteret. *Plancus* libenter adſentitus eſt liberalibus *Contareni* ſuaſionibus, quamquam ipſi ſuaves tantum eſſent futurae, ſed ad res eius domeſticas plane inutiles, & damnoſae revera exſtiterint. Verum *Plancus* lubenter, ut diximus, ſuaſiones illas admiſit, & Venetias ſe contulit, ubi a *Contareno* familiariter exceptus varias eius villas in agro Patavino luſtravit, & praeſertim in Ateſtina villa, in montibus Euganeis poſita, per aliquot hebdomadas ruſticandi cauſſa diverſatus eſt. Amoeno iſto receſſu multum valetudini ſuae conſuluit, quam, antequam in Venetas terras proficiſceretur, imminutam valde, adſiduiſque ſtudiis, & Anatomicis ſectionibus fractam prorſus, ſentiebat. Sanus igitur, & robu-

buſtior, in Euganeis montibus ipſo autumno factus eſt, ut inde una cum *Contareno* alacriter iter per reliquas Venetae ditionis terras adgrederetur; ut reipſa poſt D. *Martini* feſtum adgreſſus eſt, & Vicetiam, Veronam, Brixiam, ac Cremam denique luſtravit. Varios eruditos homines in hiſce urbibus cognovit, & Veronae praeſertim doctiſſimum, nobiliſſimumque virum *Scipionem Maffeium*. Cremae moratus eſt ultra duos menſeis: deinde Alaudum, & Mediolanum venit, & circa initia veris per eamdem viam una cum *Contareno* Venetias rediit; ac tandem Bononiam reviſens, & veteres amicos, circa finem menſis Aprilis in patriam iterum ſe recepit. In patria quum eſſet, uſus eſt familiariſſime, ut antea, *Leprotto*, *Deviae* Cardinalis Medico, quocum nobiliſſimam, doctiſſimamque feminam *Lauram Bentivolam*, *Franciſci*, *Deviae* Cardinalis fratris filii, uxorem frequentabat; cuius feminae, & filiorum, dum *Leprottus* ad comitia Pontificia Cardinalem Romae ſequutus eſt, *Plancus* erat Medicus; cui etiam in litteris, & in Philoſophia praeſertim, operam ſuam praeſtabat. Hos patronos quum haberet *Plancus* magis alacriter ſtudia ſua Philoſophica, Anatomica, & Botanica proſequebatur, quibus amoeniorum litterarum ſtudia admiſcebat, & praeſertim Graecorum librorum lectione, & Etruſcorum delectatus eſt, atque in Etruſcae linguae ſtudio tantum profecit, ut cum eloquentiſſimis eius linguae compara_retur; idque teſtantur tres vel quatuor eius narrationes, quas eximio *Boccaccii*
ſtilo

ſtilo per ea tempora conſcripſit, & ſingulis annis Bacchanaliorum diebus Bononiam mittebat ad *Comitum* illorum Coetum, quem, ut diximus, Bononiae quum eſſet, frequentabat. Narratiunculas iſtas, ſeu ludicras Hiſtoriolas, quas Itali Novellas appellant, ad Certaldenſis ſummi illius oratoris ſtilum ita exigit *Plancus*, ut ab iiſdem ipſiuſmet *Boccaccii* non dignoſcerentur. Haſce permultis propter venuſtatem, & elegantiam praedicavit *Martellus*, *Planci* magnus, vetuſque amicus, praeſertim vero *Cornelio* Cardinali *Bentivolo*, *De latere* tunc, ut vocant, Aemiliae Legato, qui fama harum rerum permotus ad *Plancum* per ſe humaniſſimas litteras dedit, ut ab eo narratiunculas illas impetraret. Quae litterae apud *Plancum* in perpetuum humanitatis, & virtutis Principis illius doctiſſimi teſtimonium adſervantur. Anno MDCCXXIV. Apenninos monteis, qui in conſpectu Arimini ſunt, una cum duobus amicis *Nicolao Bonamico*, & *Bernardino Cavalerio* Ariminenſibus, Botanices ſtudioſis, luſtravit, ut primum S. *Marini* liberae civitatis ditionem peragraret, deinde, ut altiſſimos Carpineae monteis inviſeret, ac demum ut ad ſacros *Franciſci*, & *Romualdi* in Vernia, & in Camalduli receſſibus foret, ut illa loca non ſolum cognoſceret, verum ut herbas, aliaque permulta ad rem ſuam etiam colligeret. Reverſus in patriam propter nimium aeſtum, qui eo anno Arimini fuit, ut multi aegri tunc eſſent; & propter laborem, quem in iis curandis pertulit, difficultate inteſtinorum gravi,

vi, & teneſmo per multas hebdomadas circa aeſtatis finem laboravit, ut multi de eius ſalute dubitaverint. In autumno, ut melius convaleſceret, Fanum ſe contulit apud amicum ſuum *Pizzium* Bononienſem, & illius urbis Medicum primarium, apud quem per menſem moratus eſt, venationibus una cum *Silvano* altero eius amico, & Medico, ſeſe obleƈtans, & deambulationibus per vicinos colleis, & lacus. Ad finem huius anni *Leprottus* una cum *Planco* ſeƈtionem inſtituit in cadavere viri, Cardinalis *Deviae* famuli, in quo rarum aneuriſma repertum eſt in arteria Bronchiali *Ruiſchii*. Hanc ſeƈtionem *Leprottus* per Epiſtolam ad *Beccarium* Bononienſem ſcripſit, in qua Epiſtola multae aliae Anatomicae ſeƈtiones, quas una Arimini habuerant, adiiciuntut. In ea autem Epiſtola ad *Beccarium* ſic perhonorifice praefatur *Leprottus* de *Planco*, quae integra in Commentaria Academiae inſtituti Bononienſis pag. 343. relata eſt: *Vt enim ſemper noſtris Anatomicis exercitationibus quum Bononiae commorarer intereſſe perhumaniter ſolebas, ſic nunc in maxime raram, ut opinor, mibi autem, & praeſtantiſſimo viro Iano Planco, cuius ingenii excellentiam optime noſti, novam prorſus, & inauditam diſſeƈtionem una nobiſcum incidiſſes*. Et in fine pag. 352. poſtquam multa per univerſam Epiſtolam de *Planco* praedicaverat, ſic concludit. *Iam vides, Beccari amiciſſime, non tam mea ad te ſcripſiſſe, quam aliena, aut certe cum Planco noſtro communia, ſed tum ſumma eius humanitas, tum perfeƈta, quae inter nos ſine*

omni

omni contentione harum rerum communio intercedit, illud fecerunt, ut leve quidem, fidum tamen hoc amoris erga te mei argumentum deeſſe non pateretur. Is plurimum te ſalvere iubet. Huius Epiſtolae, quod in ea *Rivini* foramen in auris tympano confirmatur, meminit clariſſimus *Morgagnius* in Opere ſuo noviſſimo, de *Valſalva* Epiſtola V. pag. 98. *Certe ſeta foramen illud factum non fuiſſe, quod illuſtriſſimus, doctiſſimuſque Pontificius Archiater Antonius Leprottus olim, cum clariſſimo, & utriuſque noſtrum amico Iano Planco Ariminenſi in decenni puero conſpexit ex illius accurata deſcriptione intellexeris*. Circa finem anni MDCCXXV. a *Leprotto* invitatus, qui tunc una cum *Devia* Cardinali Iubilaei cauſſa Romae erat, Romam & ipſe *Plancus* conceſſit, in qua urbe non ſolum antiquitates, & ſuperba vetera, ac nova aedificiorum monumenta, templa nempe, theatra, palatia, aedes, & bibliothecas cognovit; ſed una cum *Leprotto* ſapientiſſimos eius urbis homines inviſit, atque in ipſorum amicitiam, & familiaritatem receptus eſt. Vſus eſt cum primis familiaritate *Petri Aſſalti* Medici, eruditi viri, & excellentis Philoſophi, & *Coeleſtini Galliani*, & *Ioannis Baptiſtae Reſtae*, & *Ioannis Bottarii*, & *Gaſparis Cerati*, & *Antonii Nicolini*, ſummorum virorum, qui tum Romae degebant, apud quos ſtatis diebus coetus quidam eruditi cogebantur, quibus intererat ſemper *Plancus*. Romae item cognovit *Brunum Tozzium* Vallumbroſanum, humaniſſimum hominem, & in Botanicis adeo peritum,

ritum, ut *Petri Michelii* noſtrorum temporum eximii Botanici, praeceptor exſtiterit. Per duos menſeis circiter moratus eſt Romae *Plancus*, deinde Neapolim ſe contulit, in qua urbe innumeros eruditos viros cognovit, at praecipue uſus eſt familiariter *Blaſio Caryophilo*, *Conſlantino Grimaldo*, *Nicolao Cyrillo*, *Grazinio*, *Martinio*, *Franciſco Bonocorde*, aliiſque permultis. Neapoli quum eſſet, Veſeuum, qui tunc iugiter die noctuque parvas igneas eructationes habebat, inviſit, & prope os ipſum igniuomum fuit; & arenam, & lapides varios combuſtos ibi collegit. Puteolos item venit, & Cumas, ut veſtigia antiquitatis noſceret, & balnea, & loca Averna, ceteraque mirabilia, quae in iis regionibus ſunt, contemplaretur. *Plancum* hoc tempore moratum fuiſſe Neapoli egregium habemus teſtimonium in libro *Nicolai Creſcentii* de Methodo aegros aqua frigida curandi *pag.* 143. ubi dicitur *Plancus* ex ipſa Etruria viſus eſſe Neapolim adventaſſe; & ingenio, doctrinaque non vulgari vir, atque acutiſſimus praedicatur, ut brevibus verbis quidem, ſed profunde argumentaretur. Per menſem, & ultra, Neapoli moratus eſt, cognovitque Neapolitanos eruditos eſſe, ac vere cordatos viros; deinde Romam reverſus per alios duos menſeis ibi moratus eſt, uſus conſuetudine eorumdem amicorum, & *Franciſci Blanchini* inſuper, quocum interdum intererat obſervationibus ſuis circa Veneris ſtellam, ut ipſe *Blanchinus* teſtatur in Opere ſuo poſthumo; ac demum circa finem Aprilis in patriam rediit. Re-

ver-

verſus in Patriam quum vidiſſet *Ioannem Baptiſtam Blancum* Taurinenſem, librum ſuum de Hepatica Hiſtoria recudiſſe, in quo *Caietani Tacconii* Medici Bononienſis Epiſtola reperiebatur, plagium turpiſſimum continens, & multa falſa, ineptaque, atque abſurda referens; *Plancus* a *Ioſepho Puteo* Medico Bononienſi, & nunc altero ex Archiatris Pontificiis per epiſtolam provocatus, Taurinenſis hominis, & *Caietani Tacconii* detexit plagium, impoſturas, & ignorantiam, per Epiſtolam, quam Latine Bononiae, una cum illa *Putei* Archiatri edidit. In hac Epiſtola auctor noſter primum publice *Planci* nomine adpellari coepit, quod antea tantum in privatis Latinis litteris factitaret, ut a turba reliquorum diſtingueretur, qui nomine, & praenomine eius ſimili adpellantur. Noſtri enim genuinum nomen eſt *Ioannes Biancus*, quod paullulum ab ipſo Academicorum noſtrorum temporum more immutatum eſt, ut linguae Latinae genio ſeſe accommodet, & ab aliorum turba, qui hoc nomine donantur, ut diximus, diſtinguatur. Haec *Planci* Epiſtola, ut litterarii Commercii Norimbergenſis Auctores in ſuis Actis aiunt pag. 4. anni MDCCXL. *pervulgata valde eſt: totum enim tunc Anatomicum, & Medicum regnum permiſcuit. Biancus* quidem Taurinenſis, & *Tacconius* Bononienſis plagii, & manifeſte impoſturae conſcii, ſiluerunt, manuſque victas dederunt. At nebulones quidam, ſcioliqne varii, varia tunc ſuppreſſis, vel confictis nominibus ediderunt. *Garanus* in primis Bononienſis, qui tunc Florentiae exſulabat,

labat, propterea quod Bononiae e Medico turpiter factus eſt Lanius, & reipublicae Bononienſis vectigalium fraudator, ineptiſſimam fabellam clam edidit, in qua non minus *Planco*, quam *Puteo*, & *Tacconio* popularibus ſuis infenſus erat, ſed inepte; nam vim quaeſtionum plane ignorabat. Ita *Raynaldus Dulsobus* Medicus alter Bononienſis, *Sbaraliae* ultimus ſectator, & Anatomicorum ſtudiis infenſiſſimus hoſtis, duas Epiſtolas ridicule ſub *Copronymi*, & *Mengonii* nomine edidit, in quibus non minus, quam ineptiſſimus ille *Garanus* quaeſtionis vim non noverat, ſed tantum modum, quo *Putei*, & *Planci* Epiſtolae conſcriptae erant, notabat; & nimiam diligentiam in Anatome, tamquam Medicis non neceſſariam, inepte carpebat. Ita *Bolbonius* quidam Bononienſis Grammaticus, qui Auguſtae Taurinorum artem ſuam putide docebat, neſcio quid in Epiſtolas illas ſubpreſſo nomine, at non minus inepte, & indocte, quam ſuperiores populares ſui, conſcripſit. His ineptiis ſapienter reſponſum nullum fecit *Plancus*, eo contentus quod videret a probis, doctiſque viris ſuam probari ſententiam, ut reipſa adprobata eſt a *Laurentio Heiſtero* Anatomico clariſſimo, qui bis *Planci* Epiſtolae meminit honorifice in ſuo compendio Anatomico. Ea enim non ſolum Taurinenſis, & *Tacconii* comprimit audaciam, ſed cadaveris ſectione opportune tunc facta multa in medium adducit, quae contra utrumque faciunt, ac praeſertim contra Taurinenſis placita. *Planci* Epiſtola recuſa fuit magni-

gni-

gnifice Lugduni apud Batavos, una cum duabus aliis Epiſtolis longioribus doctiſſimi *Morgagnii* contra Taurinenſem illum; nam, ut cuique adparet, pro *Morgagno* contra Taurinenſem ipſum ſteterat *Plancus*. Menſe Octobri anni MDCCXXVI. circa finem, quum Epiſtolam illam iam edidiſſet, & quum *Devia* Cardinalis Ariminenſi Epiſcopatu ſe abdicaſſet, & *Bentivolus* a Provinciae Legatione, multas controverſias in Patria *Plancus* habuit, ſed verbales tantum cum aliquibus popularibus ſuis, qui quum circulatorem quemdam, nomine *Caracciolum*, tuerentur, qui a *Bentivolo* antea in exſilium pulſus fuerat, & Interregni tempore Ariminum redierat; *Plancus* qui verſutias, & technas, illius impoſtoris detexerat, ac praeſertim ignorantiam, eius defenſores, ne morborum ſedes verae Anatome per *Plancum* detegerentur, contra Anatomen ipſam declamare coeperunt, *Plancum* ad tribunalia deferre, quod is quaſi violatae religionis reus eſſet, qui tam impune mortuorum cadavera dilacerare auderet, & viſcera eorum interdum domum aſportare, ut contemplaretur. Id facinus eſſe maximum dicebant. Riſerunt quidem Magiſtratus omnes ineptiſſimorum hominum accuſationem. Verum *Maffeius* quidam *I. C.* qui a *Devia* Cardinali Vicarius in Epiſcopatu relictus fuerat, accuſationem ſuſcepit, & *Plancum* ſuadere, & admonere, ne in poſterum cadavera ſecaret (ſecandum enim erat mox ipſi unum aegri cuiuſdam iam morituri, qui pectoris hydrope animam agebat, & a circulatore illo

pro aſthmatico curatus fuerat.) Contendebat enim inepte *Maffeius* ille mortuorum cadavera a nemine ſecari poſſe, neque ſi ab Epiſcopis, & conſanguineis venia impetraretur, ut *Plancus* reipſa ſemper impetraverat; at facultatem hanc Roma petendam eſſe. Verum tunc a *Laura Devia* compreſſa fuit *Maffeii* ſententia & a nobiliſſima, ſapientiſſimaque femina edoctus fuit Vicarius ille veniam hanc Roma non eſſe petendam, ſed ſufficere ſi ab Epiſcopis, & a mortuorum conſanguineis peteretur. Exemplum adduxit vel *Philippi Bentivoli* patris ſui, cuius cadaver Bononiae ſectum fuit hoc pacto. Diſſectum igitur per *Plancum* hydropis cadaver illud, & impoſtura detecta, & invidioſorum hominum turbae compreſſae. Adventu autem novi Ariminenſis Epiſcopi *Renati Maſſae* Neapolitani, tantum abſuit ut Anatomes ſtudium Arimini deferbuerit, ut ſibi fingebant accuſatores illi, ut ipſe *Planco* benigne conceſſerit ut cadavera omnia quando opus fuiſſet, & conſanguinei non repugnarent, ſecaret. Quin immo in Noſocomio Ariminenſi *Barbettae* Chirurgo, *Planci* auditori, locum dari iuſſit, ut cadavera omnia quae vellet ſecare poſſet. Per haec tempora *Ioſephus Puteus* Orationem, & Epiſtolam Anatomicam ad *Petrum Molinellum* Bononienſem, Pariſiis tunc degentem, & *Planci* amiciſſimum, ſcripſit, in qua Epiſtola bis *Planci* honorifice meminit, & praeſertim *Planci* obſervationes de glandula Thymo memorat. Anno MDCCXXVII. quum Arimino *Devia* Cardinalis, & *Leprottus*, deceſ-

ceſſiſſent, & Philoſophia propterea, & reliquae bonae artes Arimini pene iacerent, *Plancus* Philoſophiam docere coepit privatim; atpoſtea tot Auditores habuit etiam ex finitimis Arimini locis, ut vix totidem in famoſis Italiae Academiis Profeſſor alius publicus numeret. Hoc anno circa dimidium Iunii cum aliquot amicis, & praeſertim cum *Andrea Battaglino* adoleſcente erudititiſſimo, ac in Philoſophia auditore ſuo, iter Alpinum iterum ſuſcepit, ac Pennam primum venit, deinde Verniae, Camaldulis, & Valliſumbroſae Coenobia viſitavit; ac demum Florentiam, Piſas, & Liburnum, in quibus locis, & praeſertim Florentiae, multa vidit, multoſque cognovit. Inter ceteros vidit iterum *Brunum Tozzium*, & de facie cognovit *Michelium* ipſum, quem antea tantum fama noverat. Cum iſtis viris erat ſemper, ipſique eum ad Clariſſimum Senatorem *Philippum Bonarotium* adduxerunt, ad *Antonium Mariam Salvinum*, ad *Breſcianum*, ad *Marmium*, ad *Andreinum*, ad ceteros denique, qui tunc aliqua eruditionis, & doctrinae fama vigebant. *Plancus* ſuavitate horum virorum, & urbis Florentiae pulcritudine captus negotioſos ſocios in patriam dimiſit, & per plures dies cum amicis iſtis novis diverſatus eſt, ut tandem ſolus Bononiam petiierit, quo veteres amicos reviſeret, ac poſtremo in patriam media ipſa aeſtate reverteretur. Anno MDCCXXIX. quum multos auditores in Philoſophia haberet, & inter hos egregios adoleſcenteis, domi ſuae Bacchanaliorum tempore privato theatro con-

ſtructo ſplendide per illos agi curavit *Martelli Phemiam*, non quidem ut nobiliſſimo, doctiſſimoque *Maffeio* diſpliceret, ſed ut hanc fabulam *Meropi* eius, quam putide agebant cives, & mercatores quidam Ariminenſes, opponeret. Huius fabulae actio ſplendidiſſima fuit, ut vel ipſum Epiſcopum ſpectatorem, & nobiliſſimos quoſcumque, lectiſſimaſque feminas habuerit; tamen varias turbas excitavit inter vulgus Arimini, & foris, de quibus more ſuo riſit *Plancus*. Sequenti anno quum *Plancus* nobilem matronam viduam viſitaret, quae Scirrho in ſiniſtra mamma laborabat, eamque Palliativa cura in vita, ut mos eſt, detinere ſtuderet, Ariminum Piſauro *Mazzacuratus* Medicus Bononienſis adventavit, qui eam quodam ſuo remedio Mercuriali curare integre velle praedicabat, cui modeſte ſeſe oppoſuit *Plancus*, auctoritates quaſdam adducens, experientias, & rationes, quibus probabat Mercurialia Cancris non convenire. Verum *Mazzacuratus* conſtanter, & iactabunde adſerens eam ſuo remedio per os adſumto, ſingulis diebus, vel alternis, intra viginti dies ſanam omnino fieri poſſe; *Plancus* tacuit, & mandatis eius obedire velle in ſe recepit, ut ſancte reipſa fecit. Verum tantum abſuit ut generoſa mulier ſanaretur, vel melius ſe haberet, ut in peius ſalivatione, & ſpirandi difficultate, maioribuſque doloribus, in dies rueret, ac tandem poſt XXV. dies circa aeſtivum ſolſtitium fatum obiierit, quemadmodum ipſe *Plancus* praedixerat. Quamquam *Mazzacuratus* indeſinenter Piſau-

ſauro inepte ſcriptitaret mulierem illam, licet tot maioribus incommodis poſt ſuum pharmacum vexaretur, tamen futurum eſſe ut brevi ſalutem ſuam recuperaret. Multas etiam falſas praedictiones in aliis aegris publicavit Arimini *Mazzacuratus*, & inuſitata, ferinaque remedia iis praeſcripſit. *Plancus* tunc quoque ad ea ſiluit, ſed quum *Mazzacuratus* in fine anni ſectionem quamdam cadaveris nobilis pueri Piſaurenſis ſcripſiſſet, & hiſtoriam morbi illius, *Plancus* adrepta occaſione per *Petrum Chiſium* diſcipulum ſuum, ut ad *Laurentium Sanctinium* Medicum Epiſtola publice ederetur curavit, in qua cenſura illius ſectionis, hiſtoriaeque erat, & ſimul malae curationes Arimini a *Mazzacurato* factae notabantur. Epiſtola haec edita fuit Arimini circa initia anni MDCCXXXI. Verum Piſaurum adlata, *Mazzacuratus* quum videret multa facta, eaque veriſſima, contra ipſum recitari, & ſolidiſſimis rationibus eum perſtringi, ad malas artes confugere, & non tantum ſe in ea Epiſtola laeſum fuiſſe, quam nobiliſſimam Piſauri civitatem, quam *Plancus* tamen numquam nominaverat, neque aliquo pacto deſcripſerat. Id perſuaſit multis ſimplicibus viris, qui *Annibale Oliverio* ſuadente, qui tunc in Aula Piſaurienſi multum poterat, fecerunt, ut cauſſa, quae mere privata erat, inter *Plancum*, & *Mazzacuratum*, publica fieret; & Piſaurenſes clamores non ſine riſu ad ipſum Pont. Max. deferrentur, qui ut eos ſedaret iuſſit, ut Piſauri, & Ravennae Legati rem cognoſcerent, & turbas com-

componerent; ut revera per *Maſſaeum* Cardinalem Ravennae Legatum factum eſt, qui a *Planco* iuſſit ad Piſaurenſeis epiſtolam ſcribi, in qua declararet cum iis rem non fuiſſe, ſed tantum cum *Mazzacurato*; & ſic compoſita fuit haec controverſia, quae non minus permiſcuit Anatomicum, & Medicum regnum, quam illa cum Taurinenſi. Verum paullo poſt poenituit Piſaurenſeis *Plancum* aliquo pacto laceſſiſſe, ut *Mazzacuratum* circulatorem pene contra fas tuerentur; nam ipſe oblitus beneficii, & timens ſibi ne Piſauri eius technae detegerentur, Vrbinum ſe recepit, ubi in hunc diem contra Vrbinatium ſententiam aſſidua Principum virorum prehenſatione ſe ſuſtentat. Hoc anno, quum Ariminum rumor adlatus eſſet de prodigioſa quadam, & repentina fere combuſtione corporis nobilis viduae *Corneliae de Bandis*, *Andreae Battaglini* materterae, quae combuſtio Caeſenae a. d. XII. Kal. April. acciderat, *Plancus* inſoliti huius Phaenomeni curioſitate permotus, *Battaglino* ipſo ſuadente, Caeſenam ſtatim una cum *Ioanne Maria Cello*, viro in Mathematicis erudito, & *Battaglini* domeſtico, & *Laurentio Santino* Medico, petiit: verum ibi tantum locum, ubi combuſtio facta dicebatur, conſpexit, & parietes toto odore ſpiranteis, & fuligine conſperſos vidit; ſed quum ipſi cadaveris reliquias ſpectare non licuerit, ut in animo habebat (a conſanguineis enim id impetrari non poterat, quod tamen per Dominicanos, ubi ſepultae erant, facile licuiſſet) re infecta Ariminum rediit, & ſu-

& ſuper hoc caſu metuens ne aliquid nefarii in ipſo lateret nil conſcribere voluit, quamquam ipſe melius, quam alii multi, qui id poſtea egerunt, facere potuiſſet; ſed tantum breves Notulas, ſeu *Poſtillas*, ut vocant; in narrationem, explicationemque ineptam ſane utramque Anonymi cuiuſdam edidit: Quae Notae una cum Epiſtola ad *Mazzacuratum* turbas non parvas, & riſum excitarunt. Potuiſſet ſane, ſi voluiſſet, Notas alias in tot narrationes, explicationeſque aliorum multorum edere, qui ſuper hac re tunc ſcripſerunt, praeſertim quum narrationes illae fabuloſa multa, & falſa continerent; verumtamen Notulis illis brevibus, ut rideret, tunc contentus fuit. Sequentibus annis *Plancus* Philoſophicis ſuis exercitationibus pacato animo operam dedit. Saepenumero Bononiam ſe contulit, praeſertim dum ibi eſſet *Andreas Battaglinus*, qui ſtudiorum cauſſa illic manebat. Praeter veteres amicos multum tunc una cum *Battaglino* conſuetudine utebatur *Proſperi* Cardinalis *Lambertini*, Bononiae Archiepiſcopi, nunc Summi Romani Pontificis, litteratorum hominum amici, & fautoris ampliſſimi, qui deinde ſemper *Planco* favit, & beneficiis cumulavit, ut nuper fecit, qui ipſi benigne conceſſit, ut libros quoſcumque vetitos, vetandoſque legere, & retinere in perpetuum poſſet, & de *Planco* perſaepe clementer amiceque loquitur. Bononiae etiam ſaepenumero domum ſapientiſſimae feminae *Laurae Baſſiae* frequentabat, & cum ea tum privatim, tum publice, coram principibus viris diſputavit,

praeſertim anno MDCCXXXIII. coram Sereniſſimo Mutinae Principe in *Antonii Simonettae* aedibus, Mediolanenſis viri nobiliſſimi, eruditiſſimique. Eo anno Bononiae cognovit etiam eximium Mathematicum *Andream Celſium* Svecum, qui ad ipſum litteras dedit, ut Ravennae res Gothorum perbelle inſpicere poſſet; nam *Celſius* praeter Mathematica, res etiam Gothorum, gentis ſuae, ut putant, curabat. Arimini eum excepit, aeſtumque marinum ipſi oſtendit, mariſque varias alluviones & eventa. Poſt *Celſi* diſceſſum ab urbe Arimino, menſe Maio *Plancus* una cum diſcipulis ſuis obſervationes maritimas inchoare coepit, quas quinquennii ſpatio perfecit. Noctes enim quamplurimas hoc tempore vigilavit, & interdiu permultas horas frequentiſſime ad mare una cum ſuis erat, ut varios aeſtus maris in Lunae ſyzygiis, & in quadraturis, per aequinoctia, & per ſolſtitia obſervaret. Cum iſtis maritimis obſervationibus etiam eas, quae ad hiſtoriam naturae pertinent, coniungebat; nam, quum multas horas ad mare quotidie eſſet, marinas conchas, & alias res inter maris purgamenta ad littus obſervabat, eaſque, ſi quid in iis eſſet notatu dignum, domum aſportabat, ut melius vel nudis oculis, vel lente vitrea inſtructis, contemplaretur. Hoc pacto praeſertim obſervavit ſedimentum quoddam marinum, quod quaſi arena quaedam eſt ex minutiſſimis conchis integris, & fractis conſtabat, quod ſedimenti genus frequentiſſimum eſt poſt procellas in littore Ariminenſi, ut in littoribus omni-

omnibus. In hoc ſedimento deprehendit innumera conchiliorum genera rei naturalis Scriptoribus incognita, inter quae primum locum ſibi vindicarunt varia Cornuum Hammonis, Nautilorum, & Orthoceratium genera, quae omnia a *Planco* nominibus peculiaribus diſtincta, & notata ſunt. Quare poſt quinquennaleis iſtas obſervationes librum edidit diligentiſſimum, duabus partibus diviſum. Primae parti de Conchis minus notis nomen inſcripſit; alteram vero partem ſpecimen aeſtus maritimi ad littus, portumque Arimini nuncupavit. In prima expoſuit conchas, & alias res marinas minus notas, ac praeſertim Cornua illa Hammonis, & Orthoceratia, pro quibus laudes, & gratias multas apud eruditos ſibi promeruit, quod haec nativa primus in mari ſuo detexerit; nam in montibus reperiuntur quidem varia Cornuum Hammonis genera, ſed nativa adhuc deſiderabantur. Sic clariſſimus *Ioannes Philippus Breynius* Gedanenſis Orthoceratia in montibus prope Gedanum varia reperit, at nativa, ſeu vere marina, adhuc ignota erant. Per *Plancum* igitur evidenter confirmatum eſt Hammonitarum, & ὀρθοκεράτων genera, quae in montibus reperiuntur, corpora, marina olim & illa fuiſſe, & non luſus naturae eſſe, ut aliqui Philoſophi ſatis vulgares quidem crediderant. Quare ab omnibus rei naturae ſtudioſis laudes ſibi promeruit, ac praeſertim a clariſſimo *Breynio* Gedanenſi, qui humaniſſimas litteras *Planco* dedit, quibus ipſi gratulatur de hoc felici inventu, & *Plancum*, ut vere *Lyn-*

ceum

ceum vel *Lynceis* oculis inſtructum, commmendat. Sibi etiam laetatur, quod ſententiam ſuam inſciens confirmaverit. Quae *Breynii* Epiſtola una cum *Planci* reſponſione brevi Lucae edetur in quadam Collectione Opuſculorum ad rem Phyſicam ſpectantium. In ſecunda parte eius libri, quae eſt de aeſtu maris, omnia exponit maris eventa tredecim propoſitionibus, in quibus multa ſunt nova, & quae alii numquam obſervarunt. Hunc etiam librum avide exceperunt eruditi, & laudibus Auctorem ſuum cumularunt, quod tum ex litteris ad *Plancum* datis, tum ex variis Ephemeridum libris, ut ex Florentinis, ex Venetis, ex Norimbergenſibus, adparet. Praeterea permulti uſi ſunt in libris ſuis, *Planci* obſervationibus, & auctoritate, ut Lucenſes in controverſia, an eorum Viaregii ſilva ſit recidenda; Romana Rota in controverſia Praeſulis *Oliverii* Piſaurenſis contra *Ioſepham Bentivegnam* Ariminenſem; *Morus* in libro ſuo, aliique. Verum ſoli Ephemeridum Trevoltianarum Compilatores male de *Planci* libris ſenſerunt, idque non tantum quod Compilatores illi invidioſi ſint, & Italici nominis hoſtes infenſiſſimi, quam ex male intellectis *Planci* verbis in ſua Praefatione ad librum de aeſtu marino. Is enim notavit Academicos quoſdam Pariſienſeis, qui aere publico ad Dunquerquii, & ad alios oceani portus Galliae miſſi fuerunt, ut obſervationes marinas circa aeſtum pararent; ipſi vero unicam tantum obſervationem confecerunt. Obſervarunt enim ſolum, qua hora ſtatis temporibus mare

re intumeſceret, ex qua obſervatione Ephemeridas conſtruxerunt, quibus nautae ſcire poſſent portus illos commode capere, ceteras vero obſervationes penitus neglexerunt. *Plancus* igitur in Praefatione ait: *Quare adparet bonos illos Gallos utilitatem quamdam mercatoriam ante oculos habuiſſe, ceteraque pene neglexiſſe; ſed maius eſt quod ſibi contemplandum proponant Phyſici, quam ingreſſus navium in portus, vileque Rauduſculum. Quibus enim modis terram quatiat Neptunus, eamque contineat, ut ait Homerus, inquirendum, idque modis miris, variiſque fieri videbimus*. Compilatores illi male intellexerunt voces illas *Bonos Gallos*, & de univerſa Gallorum gente dictum crediderunt, & quod ſimplicitatis eam notaſſet *Plancus*; quod utrumque falſum eſt, & ex Logicae, & Grammaticae in illis Compilatoribus defectu. Nam *Plancus* non univerſam Gallorum gentem notavit, ſed tantum Academicos illos, qui ad Dunquerquii, & ad reliquos Oceani portus ſe contulerunt, qui per vocem *illos* ſatis deſignati fuerunt. Praeterea vox *Bonus* Latine non idem ſignificat, quod Gallice *Bon Homme*, aliter ſimplicitatis notatus fuiſſet *Homerus* ipſe ab *Horatio*, quando de eo dixit: *Indignor quandoque Bonus dormitat Homerus*. Indignabatur enim Horatius quandocumque *Bonus* dormitabat *Homerus*. Ita indignatus eſt *Plancus*, quod in obſervationibus illis tantum dormitaverint Boni illi Galli, quos tamen aliunde plurimi ſemper fecit, & facit. Verum *Plancus* brevi edet Epiſtolam, qua compeſcet Trevoltianorum argutias,

tias, & ignorantiam. Ad initia anni MDCC-XXXV. obiit *Andreas Battaglinus*, *Marci Battaglini* Epiſcopi, Scriptoris Eccleſiaſtici, fratris filius, Patricius Ariminenſis, *Planci* vetus amicus. Is nimio ardore litterarum, quibus in fine Muſicae ſtudium adiunxerat, pro qua addiſcenda Bononiam conceſſerat, ubi pluries, ut diximus, a *Planco* fuerat viſitatus, tabem ſtudio gignente contraxerat, qua poſt triennium fere conſumtus eſt. Is teſtamento legavit *Planco* quinque mille & c c H. S. nummum, & univerſam ſuam eruditam Bibliothecam; ſed *Battaglinus* non ſororem, quam unice habebat, ſcripſerat heredem (oderat enim eam odio Vatiniano) ſed *Boncettios* fratres Advocatos, qui non niſi poſt longas tergiverſationes *Planco* ſolverunt legatum, & leguleiorum more, calumnioſe verba teſtatoris interpretando, exiguam tantum partem Bibliothecae illius dederunt; cui acquievit *Plancus*, quum ipſe liteis ſemper odio habuerit. At *Battaglino* gratus titulum fecit eius ſepulchro, qui in vita *Battaglini* per *Plancum* fortaſſe edetur una cum Ecloga elegantiſſima *Fernandi Antonii Ghedini* Bononienſis in obitum *Battaglini*, cui quoque *Battaglinus* duo mille H. S. nummum legaverat. Hoc ipſo anno MDCCXXXV. circa dimidium menſis Maii una cum *Ludovico Ricciardello* Patricio Ariminenſi *Plancus* iterum per aliquot dies Florentiae fuit, ut ſecum adducerent *Franciſcum Tanuccium* Lithotomum Florentinum, qui calculum e veſica nobiliſſimo viro *Carolo Franciſco Marcheſeleio*, familiae ſuae ſupre-

mo,

mo, & Arimini decori, eximeret, ut revera per *Tanuccium* factum eſt, ſed adverſa fortuna; nam vir nobiliſſimus poſt aliquot dies a ſectione doloribus & macie confectus occubuit, magno *Planci* animi dolore, cuius ſepulchro itidem *Plancus* titulum fecit. Florentiae tunc quum per aliquot dies commoraretur *Plancus*, veteres amicos ſuos inviſit, ac praeſertim *Petrum Michelium* Botanicum eximium, cuius ope & de facie nobiliſſimum virum *Io. Vincentium* Canonicum *Capponium* cognovit, Societatis Botanicae Florentinae tunc Praeſidem, & *Planci* amicum; item *Ioannem Targionium* Doctorem Medicum, qui poſtea Muſei Micheliani fuit heres, & in horto Botanico eius ſucceſſor, cum quo tunc in ipſo horto Tigrim diſſecuit, quae tunc in ferarum Sereniſſimi Magni Ducis Conclavi morbo perierat. Item cum doctiſſimo, honeſtiſſimoque viro *Nicolao Gualterio* Regiae Celſitudinis Archiatro amicitiam, & familiaritatem iniit, cui poſtea frequenter Arimino litteras, & res naturae miſit, ut inſtructiſſimum Muſeum ſuum amplificaret, quod ex libro magnifico, & diligentiſſimo ipſiuſmet *Gualterii* de Conchis cognoſcimus, in quo frequenter *Plancus* laudatur. Dum una cum *Tanuccio* Ariminum peteret non viam, quae Bononiam ducit, tenuit *Plancus*, ſed Arretio, Cortona, & Peruſio iter tenuerunt, ubi Traſimenus Lacus a *Planco* fuit obſervatus, & alia Antiquitatis monumenta, & naturae, per ea loca contemplatus eſt. Antequam librum illum de Conchis, & de Aeſtu Maris ederet an-

anno MDCCXXXVII. circa finem menſis Maii Venetias navi petiit, in quo itinere varias obſervationes in canali Ravennae, & ad oſtia Padi fecit. Deinde etiam Venetiis aeſtum marinum obſervavit, littuſque Venetum ſaepenumero luſtravit. Varios doctos homines cognovit, & praeſertim exteros, qui in Aſcenſionis celebritate, vel Vindelicorum Principes, vel eum, qui Walliae nomine eſt inſignitus, tunc comitabantur. Inter ceteros uſus eſt conſuetudine *Ioannis Gheſeli* Norimbergenſis, viri eruditi; quem antea noverat Arimini, quocum tunc ſemper erat; & cum Equite de *Sandoſtio* Conſilii Neocomenſis pro Boruſſiae Rege in Helvetia Praeſidis, & cum egregio, nobiliſſimoque adoleſcente *Tetrico Zimmermannio* Livonienſi ex urbe Riga, quocum & Patavii fuit, & Bononiae in reditu per plureis dies, ac demum Arimini per aliquot dies ſecum fuit, ut patriae antiquitates, & res naturae, quas *Plancus* in ſuo Muſeo adſervat, ipſi oſtenderet. Reverſus in patriam, quum ipſi fas non amplius eſſet ad mare uti domo quadam publica, qua antea utebatur ad marinas obſervationes, propterea quod militibus tunc occuparetur, qui vigilabant pro ſuſpicionibus ſolitis peſtilentiae, quae tunc graſſari dicebatur per varias Pannoniae provincias; ipſe ſibi de ſuo domum maritimam ad littus maris conſtruxit, quae eſſet octangula. Singuli autem eius domus anguli ad octo ventorum Italicorum plagas erant converſi, ut angulus unus Auſtro, alter Septemtrioni, & reliqui Orienti, Occidenti,

ti, Vulturno, Circio, ceteriſque octo, ut diximus, Italorum ventis reſponderent; quos ventos una cum reliquis omnibus, qui triginta duo ſunt, & in angulis domus illius ſpeculatoriae pulcre depicti fuerunt, & in lateribus, ut quiſque ſciat ope verſatilis pinnaculi in vertice domus poſiti, qui nam ventus quocumque tempore ſpiret. Intus ſpeculam Chartis Geographicis, Maritimis, Aſtronomiciſque ornavit, & aliquot Teleſcopiis, quae modo omnia, ut audivit, expilarunt milites Hiſpani. Praeterea in fornice rima ad meridiem erat excavata pro obſervatione tranſitus ſiderum per meridianum Arimini. Pluteis variis inſtructi ſunt parietes pro libris, inſtrumentiſque ad marinas obſervationes, & ad Aſtronomicas. Sed quod magis mirum multis viſum eſt, puteum excavari curavit, qui aquas dulciſſimas, & gelidas ferebat, licet perpauculis paſſibus a marinis fluctibus diſtaret; puteuſque ipſe, licet aqua dulcis ſcatens, cum mari ipſo aeſtuat, licet non ita exquiſite. In animo erat ut in fornice aſteriſmi depingerentur, quod tamen non perfecit. In hac domo, ſeu marina ſpecula, obſervationes ſuas *Plancus* proſequutus eſt, quas demum anno MDCCXXXIX. Venetiis aere ſuo apud *Paſchalium* edidit. Antequam is liber ederetur inter opuſcula Calogeriana editae ſunt duae *Planci* Epiſtolae, quae explicationes continent, & obſervationes Aurorae Borealis, quae bis Arimini per *Plancum*, & per adiutores ſuos tum in ſpecula, tum alibi, obſervata fuerat, in quarum

pri-

prima *Honorii Galletti* Medici Ravennatis notavit ſimplicitatem, & in altera *Euſebii Sguarii* adoleſcentis Veneti inſcitiam, & loquacitatem. Inter haec quoque opuſcula Epiſtola alia *Planci* reperitur ad *Baptiſtam Lunadaeum* Medicum Elpidianum in Piceno, in qua *Plancus* multa acute diſſerit de foetu bicipiti, quem *Lunadaeus* in Elpidii oppido ſecuerat. Circa finem anni MDCCXXXVIII. quum in ditione Ariminenſi graſſari coepiſſet peſtis bovina, quae ex contagione ex bobus, qui ex Croatia, & ex Illyrico, Fanum, & Piſaurum venerant, orta erat, *Plancus* ab Ariminenſi Magiſtratu vocatus fuit, ut ſententiam ſuam ſuper hoc morbo diceret. Reſpondit ipſe, ut occiderent bovinas beſtias omneis tum aegrotas, tum ſanas, quae reperirentur in duobus ſtabulis Ariminenſis ditionis (nam initio tantum in his aegrotare coeperunt) deinde ſtabula illa igne, & aceto purgarent, & homines ipſos. Verum hoc remedii genus Ariminenſi Magiſtratui non placuit, quare in dies gliſcente peſte per vicinos agros, decrevit Ariminenſis Magiſtratus, *Planco* ipſo ſuadente, noſocomium bovinum in vico Catholicae indicere, qui eſt ad confinia Arimini, & Piſauri, ubi morbus inſtare coeperat, in quod noſocomium bovinum armenta aegra adducebantur, ut curarentur. Reliqua vero, quae ſana domi remanebant, una cum poſſeſſoribus ſuis interdictum eſt, ne per XL. dies ultra ſtabulum, & haram egrederentur; deinde cautum fuit ut igne, ſulphure, & aceto ſtabula, veſtes, & homines ipſi purga-
ren-

rentur. *Plancus* interim iuſſu *Iulii* Cardinalis *Alberoni*, Aemiliae de Latere Legati, ad vicum Catholicae una cum Medico Veterinario profectus eſt, & bovem illico ibi mortuum, & adhuc tepentem ſecari iuſſit, quin immo una diligenter ſecuit & ipſe. Itemque magnus alius bos moribundus eodem modo vivus ſectus eſt, ut morbi genus intime cognoſceretur; & quum videret hoc nil aliud eſſe niſi acutiſſimam febrim cum variis viſcerum inflammationibus coniunctam, remediis opportunis curari iuſſit; hiſtoriamque harum ſectionum, & aliarum, quas poſtea paravit ex ſe Medicus veterinarius, conſcripſit, una cum remediis & per varias Italiae provincias deferri curavit. Quin immo Ravennae ipſe fuit, & Legato omnia narravit, qui liberaliter *Planco* conceſſit ut omnia remedia, quae ſuaſerat, aere publico totius provinciae pararentur. Hac *Planci* diligentia factum eſt, ut morbus, qui perniciem provinciae illi, & reliquis finitimis minabatur, ultra non ſerperet, armentaque aegra brevi convaleſcerent. Huius morbi hiſtoria a *Planco* conſcripta, & cautiones brevi publici iuris fient in Opuſculis Calogerianis. Anno MDCCXXXIX. circa dimidium menſis Octobris quum *Plancus* totus in eo eſſet, ut ſuas obſervationes maritimas ederet, Ariminum venit *Iulius* Cardinalis *Alberonus*, *Planci*, ut vidimus, amicus, & fautor, quem ſalutavit, & poſtridie eius diei ab *Alberono* ipſo una cum *Barptolomaeo Bonzetto* iuris perito in Marinianum oppidum fuit accerſitus; quod oppidum tunc non amplius inſtar libe-

rae civitatis regebatur, ſed in dictionem Pontificiam curante ipſo *Alberono* iam tranſierat, ut *Plancus* eius facti Inſcriptionem ſcriberet, quae ad Pont. Max. ſimulacrum adponeretur, & ſimul cum *Bonzetto* deditionis tabulae, & leges aliquot novae ſcriberentur; quibus omnibus brevi per *Plancum* confectis, & per *Bonzettum*, ipſe una cum eo Ariminum rediit, antequam turbae illae univerſo orbi notae excitarentur. Poſt editas obſervationes illas maritimas, quas frequenter memoravimus, menſe Iulio *Plancus* iterum Venetias anno MDCCXL. conceſſit. Prius enim hoc anno, ut ipſi in animo erat, non potuit propter duas lectiſſimas feminas, quae Arimini Maio, & Iunio menſe graviſſime aegrotarunt, quibus, ut ſanarentur, *Plancus* manus medicas admovebat; quarum tamen una forma, ingenio, & moribus praeſtans, *Planci* amica, magno ſui moerore occubuit, ut ipſi deinde & amici, & patria ſordeſcere coeperint. Venetias igitur non tam, ut prius decreverat, oblectandi animi cauſſa, quam levandi ſolandique doloris ergo, conceſſit. Venetiis amicum ſuum *Gheſolium* Norimbergenſem invenit, qui ex Germania redierat, quocum ſemper fuit, donec Venetiis moratus eſt. Cum eo frequenter eximium mercatorem *Ioſephum Smithium* Britannum adibat, qui inſtructiſſimam rariorum librorum poſſidet Bibliothecam, apud quem ſingulis diebus feſtis nobiliſſimi doctiſſimique viri conveniunt, *Paſchalici* nempe fratres Senatores ampliſſimi, *Lodolus Minorita*, *Gheſolius*, aliique. Venetiis quum foret Pata-

Patavium inde conceſſit, ubi veteres amicos *Morgagnum*, & *Polenum* ſalutavit. Deinde Veronam ſe contulit, & in itinere per duos dies Vicetiae moratus eſt, ubi ope Comitis *de Schio* Medici, *Andream Moranum* venerandum ſenem, Poetam olim, mox Botanicum, & Mathematicum ſalutavit, & *Checcoccium* Canonicum; item in amicitiam receptus eſt *Ioannis Baptiſtae de Valle* egregii Pharmacopoei, & hiſtoriae naturalis peritiſſimi. Veronae a *Scipione Maffeio* humaniſſime exceptus eſt, & ab eius aſſeclis *Seguierio* excellenti Botanico, & Abbate *Vallarſio* viro docto, & erudito. Apud *Maffeium* de facie cognovit *Spadam Grezzarrae* Archipresbyterum, qui collectionem poſſidet variorum piſcium, qui inter lapides montis Baldi reperiuntur, quorum aliquot dono *Plancus* accepit a *Vallarſio*, & Vicetiae a *Io. Baptiſta de Valle*. Ipſeque *Spada* de his piſcibus, ac de aliis rebus marinis, quae in montibus reperiuntur, opuſculum cum figuris edidit. Veronae fratres *Rotarios* viſitavit, & patris Muſeum inſpexit. Pater enim eorum tunc Hemiplegia ex Apoplexia aegrotaverat. Venetias reverſus iterum cum amico ſuo *Gheſolio* ſemper erat, & Venetiis moratus eſt per plures dies quam ab initio decreverat. *Petrus* enim *Paſchalicus* unus ex Reformatoribus, & *Laurentius Theupolus* alter, ipſi ſi paullulum maneret ſpem dederant fore ut per ipſos fieret Patavii Medicinae profeſſor primarius. Verum brevi evanuit ſpes illa, quod *Emo*, qui apud ſocios plurimum poterat, iis perſuaſit, ut *Pla*-

 cen-

centinus qui iam profeſſor erat illeic Medicinae extraordinarius, primarius crearetur, ut eius Cathedra omnino ſubprimeretur, & ſic melius Gymnaſii Patavini aerario conſuleretur. Venetiis, quum hoc tempore eſſet, in domo *Smithii* turbinem obſervavit aqua plenum, quem Veneti vernacula lingua *Scione*, vel *Biſſabova*, & Britanni *Vater Spount* adpellant, qui tum murum Capuccinorum everterat, & duas naves onerarias merſerat, & aliquot homines necaverat. Deſcriptionem huius turbinis accuratam ſcripſit *Leprotto*, qui tum in Cardinalium Conclavi Romae concluſus erat, quo etiam tempore *Plancus* magna cum ſui animi laetitia Venetiis audivit *Proſperum* Cardinalem Lambertinum amicum, & fautorem ſuum, Pontificem Max. creatum fuiſſe, & *Leprottum*, ut anteceſſoris, Archiatrum eius confirmatum eſſe. Gratulatorias dedit utrique *Plancus* epiſtolas, a quibus reſponſiones tulit humaniſſimas. Venetiis eo tempore *Plancus* alios amicos ſibi comparavit, ac praeſertim *Bernardinum Zendrinum* eximium Mathematicum, qui valde cupiebat, ut *Plancus* in ditione Veneta maneret. Frequenter igitur cum ipſo erat, & cum eius aſſecla *Thoma Themantia* Architecto, qui olim Arimini fuerat, ut egregium *Auguſti* pontem, & arcum magnificum eiuſdem Imperatoris ibi viſitaret. *Plancus Themantiam* ſtimulavit, ut librum ſuum de hiſce vetuſtis, & celeberrimis monumentis ederet, ut revera poſtea anno ſequenti fecit, & Ariminenſi civitati dicavit, in eoque libro frequenter *Planci* memi-

mi-

minit, quod ipſe non ſolum ſuaſor, verum etiam in multis adiutor edendi libri fuerit. Praeter *Zendrinum*, & *Themantiam* uſus eſt tunc familiariſſime Abbate *Arrigonio*, Cive Veneto illuſtri, qui *Plani* propter *Battaglinum* vetus erat amicus, quique ampliſſimum, ditiſſimumque antiquorum numiſmatum poſſidet Muſeum. Item utebatur familiariſſime doctiſſimo *Apoſtolo Zeno*, viro in omni eruditionis genere clariſſimo, atque in re nummaria praeſtantiſſimo, qui etiam nobiliſſimum Muſeum poſſidet, & inſtructiſſimam Bibliothecam. Cum iſtis rei antiquariae peritiſſimis viris tunc *Plancus* frequenter verſabatur, quod antequam Venetias peteret, Muſeum antiquitatis ſuo rei naturalis adiunxerat. Emerat enim ab *Angelino Gervaſonio*, *Ioannis Baptiſtae* fratre, Muſeum eius univerſum, & libros ad res antiquitatis pertinentes. In hoc enim Muſeo non ſolum numiſmata copioſiſſima omnium generum, & metallorum reperiuntur, ſed aerea ſimulachra, & marmorea, vetera inſtrumenta, pondera varia, ac demum, quod caput eſt in eo ultra CL. antiquae Teſſerae variorum generum reperiuntur. *Ioannis Baptiſtae Gervaſonii* amicus fuerat *Plancus*, titulumque Latinum fecit eius ſepulchro, & poſt eius mortem curavit, ut ederetur eius Epiſtola ad *Frangipanem* Romae Senatorem, in qua res variae eruditae explicantur, praeſertim vetuſtiſſimum Chriſtianum epitaphium a *Planco* Arimini in quodam Veſtalium coenobio detectum. Huic Epiſtolae Praefationem addidit, in qua breviter Elogium, ſeu Vita *Gervaſonii* narratur,

& in fine aliquae Notae Criticae reperiuntur, quibus inter cetera ſubobſcure anachroniſmus, & illiberalitas *Oliverii* Piſaurenſis in amicum defunctum notatur. Epiſtola haec *Gervaſonii* cum Praefatione, & notulis edita eſt Venetiis in Tomo V. Miſcellaneorum eruditorum. In hoc Tomo edita eſt etiam Epiſtola *Ioſephi Zinnanii* Patricii nobiliſſimi Ravennatis, & in Hiſtoria naturali peritiſſimi, *Planci* amici. In hac Epiſtola deſcribuntur obſervationes variae circa reſpirationem. Vitam, nutritionem, & generationem conchyliorum. Epiſtola haec ſcripta fuit ante aliquot annos ad Academicos Inſtituti Bononienſis, verum *Plancus* ne ſepulta iaceret, ut tot aliae res, quae ad illam Academiam ſcribuntur, curavit ut Venetiis ederetur, paruamque Praefationem ipſi adiunxit. Anno MDCCXLI. a. d. 3. nonas Maias eo ipſo die, quo *Plancus* diſputationem publicam de univerſa Philoſophia pararet, quam *Nicolaus Maſſa* Epiſcopi Ariminenſis fratris filius diſcipulus ſuus data omnibus arguendi facultate ſuſtinendam adgrediebatur, litteras perhonorificas accepit a *Thoma Perello* Piſis Aſtronomiae Profeſſore, amico ſuo, quem olim Arimini, una cum amico ſuo *Petro Michelio* exceperat, quemque Bononiae ſaepe viderat, quibus regii Conſilii Etruriae procerum nomine *Plancus* honeſto honorario invitabatur, ut Senis Anatomen publice doceret in ea Academia, quam ſapienter inſtaurare cogitabant. *Plancus* aſſentitus eſt ſtatim liberalibus iſtis, ac perhonorificis invitationibus, atque ad *Perellum* reſcri-

ſcripſit ſe praeſto eſſe iuſſa regii Conſilii Procerum exſequi. Verum quum negotium ad multum tempus diſtraheretur, & *Plancus* de Senas veniendo non amplius cogitaret, & iam ut alia pararet Senogalliae fuiſſet, deinde Anconae, ut quaſdam obſervationes nauticas conferret, in patriam reverſus poſtridie nonas Sextiles a *Perello* inopinato novas litteras accepit, quibus certior factus eſt ipſum iam Magni Ducis Etruriae decreto Anatomicum Senis creatum fuiſſe; pararet propterea ſeſe, ut libris, atque Anatomicis ferramentis Florentiam circa dimidium menſis Octobris veniret, & cum *Pompeio Nerio*, cui demandata erat Senenſis Vniverſitatis Studiorum cura loqueretur, & mandata ad munus ſuum ab eo acciperet. Et mox *Plancus* ab ipſomet *Nerio* humaniſſimas litteras ſuper his rebus accepit, quibus acceptis *Plancus* ſarcinas colligere, & amicis, & patriae valedicere. Verum nuncio hoc Ariminum adlato, & quum rumor iam increbreſceret, *Plancum* ſarcinas colligere, brevi patriae, & amicis nuncium remiſſurum, & quum forte fortuna ad haec acceſſiſſet, ut multi tunc nobiles viri, & matronae, aliique cives, & externi coeli vitio aegrotarent, & a *Planco* feliciter curarentur, ad Decuriones omnes ordines concurſare, eos exorare, increpare denique, & quaſi turbas agere, ut curarent *Planco* ut honeſtum praemium decerneretur, ne ipſe urbe Arimino decederet. Merita enim eius in patriam extollebant, quod non tantum per tot annos Medicina facienda morbis

civeis ſuos liberaret, verum etiam quod publice ſcientias varias, & eruditas linguas liberaliter doceret, & ſine invidia promoveret. Quis enim deinde, inſtabant, filios noſtros, & noſmet ipſos ab Orci faucibus eripiet? Quis adoleſcenteis optimis artibus, & egregiis diſciplinis informabit? Quis patriam denique univerſam vel editis libris, vel edendis; vel ſtudioſis aedificiis ad rem Botanicam, vel ad alia opera naturae contemplanda, exornabit? His & aliis permultis, tum per ſe ipſos permoti Decuriones ſtatim XII. Virum collegium convocarunt de *Planco*, ſi vellet, retinendo. Collegium vero hoc XII. virale, apud quod decreta ius eſt decernendi, ut a Senatu poſtea confirmentur, honorifice prius *Planco* decrevit ut in patriciorum ordinem ipſe referretur, & ut annuo VIII. mille H. S. nummum praemio ipſi darentur. Quod utrumque ſequenti die Senatu frequentiſſimo confirmatum eſt. Deinde *Planco* oratores miſſi ſunt, ut patriae miſereri vellet, & munera tam liberaliter, licet ſero, a patria ipſi oblata non repudiaret. *Plancus* per aliquot dies cogitabundus manſit, num patriae munera ſuſciperet, & inter Ariminenſeis ſuos, ut amici ſuadebant, & exorabant, maneret, an Senas concederet. Verum apud *Plancum* plus fidei datae ſacramentum potuit, quam maioris lucri ſpes, & patriae amor; praeſertim quum probe noſceret quoſdam homines non uni urbi, ſed orbi univerſo eſſe natos, ut *Socrates* olim, qui non Athenienſis, vel Graecus dici paſſus eſt, ſed mundanus,

nus, univerſo ſcilicet orbis foro procreatus. Quare *Plancus* gratias retulit civibus ſuis, quod ne diſcederet tam honorifice ornaſſent, & ad dictum diem Florentiam venit. Itinere varias Aemiliae ſuae urbeis praetergreſſus eſt, & Bononiae triduo manſit, ut amicos ſalutaret, verum perpaucos tum ibi invenit. Permulti enim tunc autumni tempore ruſticabantur. Salutavit tamen *Bazzanum* antiquum Doctorem ſuum, *Herculem Laelium*, & *Beccarium*, quem pro antiquis Medicis practicis ultra modum, & praeter rationem praeoccupatum invenit. Cum *Laura Baſſia* doctiſſima femina multum loquutus eſt, quam tunc *Veraſio* Medico nuptam, & duorum filiorum matrem cognovit; cum ipſa vero loqutus eſt, cur non Palladis, ſeu Minervae inſtar virgo manſiſſet, quae ab *Homero* ſapienter ἀτρυτώνη, indomita ſcilicet, dicitur. Florentiae fere per XL. dies ſumma cum iucunditare moratus eſt, quod & amicos ſuos veteres *Gualterium*, *Balluvium*, *Capponium*, *Targionium* reviſeret, quibus cum omnibus litterarum, & rerum commercium habebat Arimini *Plancus*, propter inſtructiſſima Muſea, quae horum quilibet poſſidet; deinde tunc novos ſibi amicos comparavit, *Lamium* nempe doctiſſimum virum, & *Stoſchium*, & *Gorium* eruditiſſimos homines, quos tantum antea fama, vel per litteras, & non de facie noverat, & alios quamplurimos. Vſus praeterea tunc eſt familiariſſime *Thoma Perellio* fautore ſuo, & *Zenobio* eius fratre, viris acutiſſimis, & in omni litterarum genere apprime

me verſatis. Cum his ad *Nerium* doctiſſimum, atque honeſtiſſimum virum, Academiae Senenſis Moderatorem acceſſit. Ipſeque *Nerius* humaniſſime *Plancum* excepit, & ſaepe Faeſulano otio ſuo liberaliter invitavit, ac denique ipſi litteras ampliſſimas ad Curatores Academiae Senenſis dedit; quibus acceptis Senas circa finem menſis Novembris ſe contulit; atque ibi in ſchola magna Academiae ſtatim luculentam orationem habuit, quam in Florentino otio ſuo concinnaverat, qua laudes Anatomes generatim, utilitatem, & neceſſitatem complexus eſt, ſimulque ad hanc facultatem adoleſcenteis omneis ſtudioſos, Medicos praeſertim cohortatus eſt. Et ſequentibus diebus Anatomicas ſuas exercitationes inchoavit cadaverum ſectionibus, tum in ſchola magna ſolemnibus praelectionibus, tum in noſocomio publicis exercitationibus. Verum in progreſſu ſuarum Anatomicarum exercitationum obſervavit *Plancus* reliquos Senenſes Profeſſores in eum quodammodo omnes coniuratos eſſe, ut ſolemnibus eius praelectionibus nunquam vel admodum raro intereſſent; &, quod iniquiſſimum eſt, ſtudioſos adoleſcenteis a *Planci* auditione avertere curarent, eoſque ſi ipſum audirent minis deterrerent; quinimmo aliqui eorum auſi ſunt *Planco* ipſi aperte inſultare. Verum *Plancus* more ſuo ſpretis horum homuncionum malis artibus, & inſolentia, acrius munus ſuum perſequutus eſt, & ſpatio ſex, ſeptemve menſium, quibus Senis moratus eſt, c c & amplius cadavera tum per ſe, tum per adiutores ſuos, in noſo-

comio

comio diſſecuit, & diſſertationes in quaslibet humani corporis parteis publice habuit. Quum *Planci* ſtudium, & diligentia honeſtiſſimis viris quibuſque, qui Senis ſunt, praeſertimque nobilibus quam maxime probaretur, exercitationibus eius, viri, & adoleſcentes primariae nobilitatis intererant frequentes, & ſemper, easque diligenter, ut memoriae melius mandarent, deſcribebant. Diſputationes etiam de quaeſtionibus Anatomicis publicas inſtituit, & ſuper his Diſſertationes ab Auditoribus ſuis recitari iuſſit; inter quos tum diſſerendo, tum diſputando *Franciſcus Marius Paſinius* Patricius Ariminenſis eminebat. Is adoleſcens quum ſit, & a *Planco* Arimini in Philoſophia, & Lingua Graeca erudiretur *Plancum* ipſum Senas ſequutus eſt, ut in iis rebus, & in multiplici doctrina plenius, uberiusque informaretur, qui tamen antea tum per ſe, tum *Planco* ipſo adiutore, tantos progreſſus fecerat, ut Senis nemo vel in primis exercitatus homo cum eo comparari poſſit. Ita enim extempore ipſe vel Graece, vel Latine loquitur, ac de rebus Philoſophicis, Anatomicis, Botanicis, ac demum de omnimoda eruditione diſſerit, ut aequalem Senis, nedum ſuperiorem habeat neminem. *Plancus* itaque quum Senis tam acriter tum per ſe, tum per auditores ſuos munus ſuum exſequeretur, brevi obmutuerunt homunciones illi, qui contra ipſum initio nimis audacter, & imperite adſurexerant. Obmutuit & in primis *Leo Pagliaius* Philoſophiae Profeſſor in illa Accademia vere diobolaris, qui per univerſum annum vix uni-

cam

cam quaeſtiunculam de Aſtrologorum vanitate auditoribus ſuis explicare potuit; qui licet ita ſit, tamen contra hoſpitalitatis iura auſus eſt per aliquot menſeis ineptiſſimos diſcipulos ſuos in domum *Planci* emiſſarios mittere, qui ipſi referrent, quae diceret, & quae doceret *Plancus*, Graeculis illis nebulonibus ſimilis, quos *Iuvenalis* notat, qui *Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri*. At improbi & perditi licet auditores illi, nil ipſi referre potuerunt, niſi in *Planci* aedibus exquiſitiorem Philoſophiàm, Geometriam, Linguam Graecam una cum reliquis bonis artibus doceri, quod ne horum holum quidem apud ipſum *Pagliaium* fieri poterat. Is tali improba exploratione, ſeu inquiſitione non contentus, avertere auditores a publicis *Planci* Anatomicis exercitationibus contra Vniverſitatis iura, & Principis mentem conatus eſt, & loco verae Anatomes, quae rebus ipſis, cadaverum ſcilicet ſectione per *Plancum* docebatur, umbratilem aliam Anatomen domi intra privatos parietes, & pene chartaceam ex *Pinelli* cuiuſdam ſcriptis docere, vel, melius dicam, effutire, coepit. Quo audito, *Plancus*, ne adoleſcentes corrumperentur, ſuppreſſo nomine frequenter huius hominis in ſuis publicis exercitationibus compreſſit audaciam, atque inſcitiam, tum quod Anatome non tam bene domi in chartis ſolis addiſcatur, ut in rebus ipſis, proptereaque a Principibus publicos Anatomicos, ſeu cadaverum diſſectores, & non chartaceos Doctores Academiis praefici, qui adoleſcenteis inſtituant,

tuant; tum quod Pinelliana illa chartacea Anatome multis erroribus ſcateret, ut diſerte *Plancus* oſtendit, tum in dura matre, quam a cranio cum *Baglivo* male remotam facit, tum in horta aſcendente, quam cum veteribus admittit, tum in hymene, quem aperte negat, tum quampluribus aliis erroribus, quos *Plancus* omneis ipſa cadaverum ſectione confutavit. *Pagliaius* ipſe, & reliqui fere omnes Senenſes Medici, quum viderent malis artibus nihil profeciſſe, & *Plancum* auditores habere nobiliſſimos, & ipſe publice, licet ſemper ſubpreſſis nominibus, eorum malas artes, & inſcitiam traduceret, quod veram Anatomen contemnerent rem Medicis apprime neceſſariam, & rei Medicae ſtudioſos adoleſcenteis ab ipſo *Planco* iurgiis & minis ipſis averterent; & quod caput eſt, quum ipſi praviſſima medendi ratione inſtructi ſint, aegros brevi conficerent omneis, tum purgationibus immodicis, tum ſanguinis detractione in univerſis morbis, tum pravo veſicantium uſu, ut reipſa tunc faciebant in Senenſi Scalae Noſocomio nobili, ubi tunc populari quodam intermittentium febrium morbo ingruenti, aegros omnes ad Orcum brevi pravis illis remediis mittebant. Pro quo morbo advocatus in conſilium *Plancus* ab *Raynerio* Equite *Piccolomineo* nobiliſſimo, *Planci* fautore, & Noſocomii illius Rectore, *Plancus* reſpondit aegros illos ſanari poſſe omneis ſolo copioſo corticis Peruviani uſu, demtis illis purgationibus, ſanguinis miſſionibus, & veſicantibus, quae omnia tantum aberant ut morbi vim

extin-

exſtinguerent, ut eam adaugerent, morbumque ipſum ex benigno in letalem transmutarent. Medici irati in *Plancum*, quod eorum inſcitiam detexiſſet, eum Magiſtratui Senenſi, quem *Baliam* nominant, accuſarunt, dicentes popularem hunc morbum praecipue in Noſocomio illo invaleſcere (licet & in urbe eodem pacto invaleſceret) quod *Plancus* nimis cadavera ſecaret, ut neminem fere ſineret intactos membris Orcum inviſere. Effluviis igitur peſſimis diſſectorum cadaverum infectum Noſocomium univerſum, & mox urbem ipſam Senenſem inficiendam, ſi cadavera ulterius ſecarentur. Magiſtratus, quum ab urbe tunc abeſſet Eques *Piccolomineus* Rector, *Ambroſium Lutum* Patricium Senenſem, & Noſocomii aerarii Praefectum advocavit, ut *Planco* cadaverum ſectio interdiceretur. Verum vir nobilis ſapienter reſpondit, *Planci* non eſſe accuſandam, vel aliquo modo puniendam diligentiam, ſed ſubſpiciendam, & laudandam. Ceterum tantum abeſſe ut cadaverum effluvia cuiquam nocuiſſent, ut *Plancus* ipſe ut *Papinius* Ariminenſis contubernalis ſuus, ut *Bertus* lector, ut *Giſmundus* Medicus Eugubinus, ut *Onuphrius Valentinus* Arretinus, ut *Franciſcus Calurius* adoleſcens Piſtorienſis, *Berti* adiutores, qui una ſemper inter cadavera verſabantur, ut denique tot auditores, atque inter hos nobiliſſimi viri, qui Anatomicis exercitationibus intererant frequentiſſimi, nullo umquam morbo vel minimo a cadaverum effluviis ſint adfecti. Contra vero illos adoleſcenteis inerteis, quos ab Anatomes

ſtudio

ſtudio inique averterant Medici illi, febribus tactos fuiſſe, & illorum aliquos prava illa medendi ratione occubuiſſe, & ita Deo O. M. Iudice factum eſſe, ut *boni* adoleſcentes ſervarentur, improbi vero, indocti, & inertes morbo illo, & nece ipſa torquerentur, ne mali Medici quum fierent, inſonteis perderent. Ita in hoc iudicio, inuſitato quidem, de nimia diligentia victor evaſit *Plancus*, & adverſarii eius confuſi. Non ſolum *Plancus* Senis de Anatome, ut munus ſuum ferebat, exercitationes illas luculentas inſtituit, & privatim Philoſophicas, & eruditas alias; ſed horis ſubciſivis, quando ſudum erat coelum praeſertim veris tempore per Senenſem agrum vagari, ut in montibus, atque rivis conchas, quas diluvianas adpellant, inſpiceret, & colligeret, quibus multum abundat Senenſis ager; tum ut herbas per campos contemplaretur, in quibus omnibus comitem ſemper habuit *Papinium*, alioſque honeſtiſſimos, tum externos, tum Senenſes adoleſcenteis. Et quum Senis Botanicorum librorum, ut fere ceterorum omnium, maxima ſit inopia, ut ne *Turnefortii* quidem inſtitutionum liber Senis reperiretur, nedum alia Botanices Luminum *Dodonaei*, *Bauhinorum*, *Moriſoni*, & reliquorum Botanicorum libri, & quod incredibile pene eſt, quum ii libri ab iis, quos minime decebat, eo quod eos non haberent, vituperarentur, & unice *Matthiolus* proponeretur, ipſe curavit ut Florentia Senas *Tourneſortius* adduceretur, & ex ipſo, & ex aliis, quos ſecum adduxit, praeſertim ex *Linnaeo*, hiſto-

riam

riam Botanicam, & Botanices inſtitutiones conſcripſit, & *Paſinio*, reliquiſque illis affeclis ſuis veris tempore dictavit. Verum quum ver iam eſſet praeterlapſum, & aeſtas iam inſtaret, una cum *Paſinio* circa Solſtitium Florentiam ſe conſerre ſtatuit, quod ut faceret non recto tramite florentiſſimam hanc urbem petiit, ſed antiquitatis, rei rei naturalis, & Botanices deſiderio veterum Etruſcorum ſedes inviſere, & circumiacenteis monteis, & agros pervagare in animo prius habuit. Quare una cum *Paſinio* prius Pientiam venit, deinde Montis Politiani nobile oppidum vidit, ubi liberaliter ab Equitibus *Pucciis*, quos Florentiae antea noverat, exceptus, una cum iis in domum *Petri Bucellii* nobiliſſimi viri venit, qui antiquitatis egregium Muſeum poſſidet, & praeſertim urnas multas Etruſcas, & figlinas, ut vocant, Etruſcorum characteribus ſignatas, & idola, inſtrumentaque varia illius gentis quae magna diligentia, & ſumtibus ex univerſa fere Etruria conquiſivit *Bucellius*. Apud ipſum cognovit P. *Berettam* Mediolanenſem ex Ieſuitarum Ordine, doctum, & nobiliſſimum hominem, item alios permultos nobiles viros Politianos, quos generatim multum affabileis, & hoſpitaleis, novit, quibuſcum per aliquot dies fuit, ut non ſolum antiquitates illius urbis, ſed & res naturae, quae extra moenia ſunt, cognoſceret. Deinde Cluſium petit, & a *Magnonio* eius urbis Epiſcopo liberaliter item exceptus varias Etruſcas, & Romanas antiquitates, quae paſſim in viis publicis proſtant,

ſtant, contemplatus eſt, de quibus fortaſſe notitiam habebimus in Hodoeporico Etruſco, quod in animo eſt edere. Cluſio iterum Politianum reverſus Cortonam adivit, & licet coſtam in ſiniſtro latere haberet fiſſam, & pene diſruptam, propterea quod curru in itinere inter Montem Politianum, & Cortonam fuerat a Senenſi Ebrio auriga deiectus, ut venae ſectione, aliiſque remediis dolorem lenire ſit coactus; tamen mane *Galeotti Corazzae*, nobiliſſimi viri, & Academici Etruſci viſitavit Muſeum, & una cum ipſo venit deinde in Bibliothecam, & in publicum Academiae Muſeum. In qua Bibliotheca non niſi ſane vulgares libros vidit, & Antiquitates in Muſeo, qua Romanas, qua Etruſcas, nullius eſſe momenti, & nullo pacto cum Bucellianis illis comparandas. Cortonae parum moratus eſt, & quod coſta doleret, & quod inhoſpitale viſum ſit ipſi oppidum illud, & Arretium petiit, in qua urbe olim Etruriae, & Romanorum nobiliſſima, & nunc etiam non ignobili, Amphitheatri reliquas contemplatus eſt, & una cum *Paſinio* inſcriptiones veteres varias, quae per urbem reperiuntur, deſcripſit. Poſtremo Florentiam circa ſolſtitii tempora venit. Florentiam quum venerit, Principes viros, ſuos amicos, & fautores ſalutavit *Plancus*, ac praeſertim cordi fuit ipſi, ut in amicitiam, & clientelam Comitis *Richecourtii* reciperetur, cui merito modo omnia defert Etruria univerſa; & ab humaniſſimo, ſapientiſſimoque viro exceptus fuit benigne, & amice *Plancus*;

cus; & quum ipſe tantum per aliquot dies Florentiae manere ſibi in animum induxiſſet, ut inde Senas in magno Virginis feſto, quod quotannis ſecunda Iulii die celebratur, reverteretur; urbis ſpecie, & amicorum conſuetudine adlectus, eorumque item verbis perſuaſus, praeſertim nobiliſſimae, doctiſſimaeque *Walpolae* Matronae Britannae, apud quam una cum eruditis viris frequenter erat, per univerſam aeſtatem magno ſui animi oblectamento permanſit; & ad Autumnale aequinoctium Ilvam inſulam, Gorgonam, littuſque Tyrrhenum circumfluum cogitabat, ut una cum *Ioanne Targione* Bibliothecario Magliabechiano, & Botanico Florentino, herbas, metalla, lapides, conchas, & ceteras naturae res, quae illis locis reperiuntur ſcrutaretur, atque colligeret, & inde ad contineneteis terras adpelleret Populoniam, Vetuloniamque, & Volaterras eodem pacto inviſeret, ac denique Florentiam, & Senas ad munus ſuum reverteretur. Florentiae hac aeſtate moratus quaedam etiam perſcripſit, ut ad *Breynium Gedanenſem* Latinam Epiſtolam, quae Lucae edetur, & litteras alias varias Latinas ad hiſtoriam naturae, & ad Botanicam ſpectanteis, praeſertim *Wagnero*, & *Iuvenardo* Ariminenſi, amicis ſuis. Item adfuit ſectionibus duabus cadaverum mulierum, hydrophobae unius, hecticae alterius. In primo nihil earum rerum obſervatum eſt, quod *Boberahavius* obſervari dicit in hydrophoborum cadaveribus, quod & Arimini bis in aliis hydrophoborum cadaveribus *Plancus* obſervarat.

Alte-

Alterum vero cadaver, cuius ſectioni adfuit *Plancus*, & quod pene per ſe diſſecuit ipſe, *Ioannae Meſſiniae*, Florentinae, excellentis Pictricis, erat, in quo peculiaria, & notatu digna obſervata ſunt. Haec eſt *Iani Planci* Ariminenſis uſque ad hunc diem vita, quam ex commentario Anonymi cuiuſdam, *Planci* intimi amici, habemus. Mores eius, amicitias, peregrinationes, & editos libros hic parum attinet referre. Quum haec omnia non obſcure in hoc commentario memorata ſint. Verum tamen, quod ad mores eius attinet, dicimus ipſum generatim fuiſſe varium, & unice in ſtudiis, & in amicitiis ſtudioſorum colendis conſtantiam ſervaſſe. In adverſarios, quos tantum in litterariis controverſiis habuit, ferox, ac pene truculentus fuit; at nullius fere magis obliviſcitur, quam iniuriarum, praeſertim cum ſtudioſis, & cum aliqua virtute viris: ceterum memoria tenaciſſimus eſt, comis, apertus, & ita liberalis, ut potius prodigus dici poſſit. Pecuniam enim ſuam omnem in libros, in numiſmata, & in eruditas peregrinationes inſumit. In omnibus aliis voluptatibus, & animi perturbationibus moderationem quamdam, vel non illaudabilem inconſtantiam ſervat. Amicos denique *Planci* modo hic in fine, ut diximus, non memoramus, quum ſatis apte in hoc commentario ſuis locis ſint memorati. Attamen praeter eos hic memoratos, Mutinae amicum coluit *Muratorium*, praeſtantiſſimum virum, quocum litterarum commercium frequens habet. Sic Mediolani cum *Ioſepho Antonio Sa-*

 xio,

xio, Bibliothecario, & cum *Maria Agnete Mariana* ſapientiſſima femina. Auguſtae Taurinorum *Ioſephi Romae* Minimi fuerat amiciſſimus: ſic ibi amicus eſt *Ioſephi Antonii Badiae* Medicinae profeſſoris, & Bononiae, & Arimini *Planci* ipſius ſodalis. Venetiis multos eruditos amicos, praeter in hoc Commentario memoratos, habuit, & habet, ut *Zanichellium* utrumque, *Michelottum*, *Leonarthum*, *Seſlerium*, & alios quamplurimos. Sic Patavii eodem pacto colit *Herculem Dandinum*, *Ioannem Gratianum*, & *Iacobum Facciolatum* laudatorem ſuum in Praefatione tomi tertii opuſculorum Actorum Lipſiae, quem *Paſchalius* Venetus Librarius hoc anno *Planco* inſcripſit. Sic Romae *Alexandri Chiappini*, Lateranenſium Canonicorum Antiſtitis, viri in Hiſtoria naturali, & in numiſmatica multum verſati utitur amicitia; ſic & *Paullini* a S. *Ioſepho* Lucenſis, viri eloquentiſſimi, doctiſſimique. Sic *Didaci Revillae* non vulgaris Mathematici, & Typographi. Sic Florentiae praeter memoratos familiariter utitur *Antonio Cocchio* viro doctiſſimo, eruditiſſimoque, nunc Anatomes profeſſore publico, & Gazae numiſmaticae, & lapillorum ſculptorum Regiae Celſitudinis Cimeliarcha. Sic Erlangae in Francia Orientali utitur amicitia cum *Petro Chriſtiano Wagnero* Sereniſſimi Principis Branderburgico-Baruthini Medico. Sic Norimbergae in eadem Provincia cum viro clariſſimo *Ioanne Gabriele Doppelmaiero* Matheſeos Profeſſore publico: ſic alibi cum aliis quampluriſmis. Coetibus variis eruditis, quos Academias vocant

vocant adſcriptus fuit *Plancus*, id ipſo nunquam procurante, ſed ultro hoc honore ipſi ſemper oblato, aliis curantibus. Sic Arimini primum in Academia illa erudita a ſecretis factus eſt, curante ipſo *Devia* Cardinali. Sic in Bononienſi Academia Defectuoſorum, & in illa Inſtituti, curantibus *Ghedino*, & *Montio*. Sic Caeſenae in Academia *Φιλομαθῶν*, curante *Hercule Dandino*. Sic in Berolinenſi, curante Equite *de Sandoſio*. Sic Florentiae, in Academia Apathiſtarum, curante *Lamio*. Sic denique ultro collata eſt ipſi Cathedra Anatomica, curante *Thoma Perellio*, & *Pompeio Nerio*. Libri vero & opuſcula a *Planco* edita, ut omnia in unum conducamus, moremque noſtrum ſervemus, haec ſunt.

Latino Sermone edidit.

In Ioannem Baptiſtam Biancum *Taurinenſem*, *&* *in* Caietanum Tacconum *Bononienſem*, *Epiſtola Anatomica ad* Ioſephum Puteum *Profeſſorem Medicum Bononienſem*, *& nunc Archiatrum alterum Pontificium*. *Bononiae*, *& Lugduni Batavorum apud* Io. Kerkhem *anno* 1728.

De Conchis minus notis liber, *& de Aeſtu maris ad littus*, *portumque Arimini*, *cum figuris aeneis*. *Venetiis apud* Paſchalium *anno* 1739.

Ad Ioannem Philippum Breynium *Gedanenſem Epiſtola de Orthoceratis &c. Lucae apud* Antonettum 1742.

Ver-

Vernacula Lingua edidit.

De Cataracta Epiſtola ſub Petri Paulli Lapii *nomine. Arimini Typis* Albertini, *anno* 1720.

De Magneſia Arſenicali in Anonymum circulatorem, & in Chirurgum Ariminenſem, ſub M. Chillenii *nomine. Piſauri Typis* Gavellii 1722.

In Ioannem Baptiſtam Mazzacuratum *Bononienſem Piſauri Medicum Epiſtola, ſub* Petri Chiſii *Ariminenſis nomine. Arimini Typis* Albertini 1731.

De Ioannis Antonii Cardinalis De Via *vita Commentaria breviſſima, & Latinae Inſcriptiones in eius laudem. Venetiis apud* Paſchalium 1740.

De Aurora Boreali obſervationes, & explicationes. Venetiis inter opuſcula Calogeriana. Tom. XVII. pag. 97. *& pag.* 107.

De Aurora Boreali item obſervationes, & explicatio nova iuxta Halleium, *& quaedam contra* Euſebium Sguarium. *Ibidem Tom. XXI. pag.* 185.

Ad Lunadeum *Medicum Elpidianum Epiſtola de Foetu bicipiti. Ibidem Tom. XXII. pag.* 89.

Praefatio, & Notae in Epiſtolam Io. Baptiſtae Gervaſonii, *Patricii Ariminenſis, ſuper Inſcriptione a Planco detecta, & ſuper numiſmate Peſcennii Nigri. Venetiis apud* Lazzaronum. *Tom. V. Miſcellan. Erudit.* 1742.

Edenda

Edenda.

Obſervationes, ſectioneſque innumerae Anatomicae, praeſertim in hydrope pectoris, & in aneuryſmatibus aortae. Item obſervationes permultae in inteſtinum colon, & cyſtifelleam, & hymenem.

Obſervationes variae, ſectioneſque animalium, piſcium praeſertim.

Praelectiones Senenſes Anatomicae.

Obſervationes Criticae in Philoſophiam Crivelli *ad* Lauram Baſſiam *Doct. Bononienſem.*

Hiſtoriae Botanicae epitome, Botaniceſque inſtitutiones breves ex Turnefortio, *&* Linnaeo.

Obſervationes variae Botanicae, & ad Hiſtoriam naturae pertinentes.

Hodoeporica, ſeu Itineraria varia erudita per Italiam.

Notae breves, ſeu poſtillae lepidae in caſum Caeſenae ad explicationem Anonymi Arimini datam.

Explicatio variorum numiſmatum ſui Muſei, praeſertim unius argentei cum characteribus Etruſcis, ad Piſtorium, ut credit, pertinentis.

Explicationes circa CL. & ultra Teſſeras antiquas, quas poſſidet in ſuo Muſeo.

Epiſtola Apologetica in compilatores Ephemeridum Trevoltianarum.

Notae in libros univerſos Fabii Columnae.

I N D E X

Eorum quorum Elogia in hoc volumine continentur.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX. 1.
PHILIPPVS BONAROTIVS. 7.
PETRVS ANTONIVS MICHAELIVS. 16.
SEBASTIANVS BLANCVS. 29.
CLEMENS XI. PONT. MAX. 33.
ANT. MARIA SALVINIVS. 47.
BENEDICTVS BRESCIANIVS. 63.
CLEMENS XII. PONT. MAX. 65.
FRIDERICVS IANNETTIVS. 68.
IO. BAPTISTA CASOTTIVS. 76.
BENEDICTVS AVERANIVS. 81.
FERDINANDVS ETRVRIAE PRINCEPS. 97.
CAROLVS CONTIVS. 109.
MARCVS ANTONIVS MOZZIVS. 113.
GERARDVS CAPASSIVS. 122.
VIOLANTES BEATRIX ETRVRIAE PRINCEPS. 129.
HIERONYMVS LILIVS. 149.
COSMAS III. MAGNVS ETRVRIAE DVX. 165.
NICOLAVS CYRILLVS. 179.
LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS. 208.
BENEDICTVS BACCHINIVS. 215.
RAYNALDVS ESTENSIS DVX MVTINAE. 229.
FRANCISCVS MARIA GASPARRIVS. 237.

SCI-

SCIPIO MAFFEIVS. 251.
IOANNES GASTO MAGNVS ETRVRIAE DVX. 261.
BENEDICTVS LAMIVS. 283.
IO. BAPTISTA DE MIRO. 293.
FRANCISCVS VALESIVS. 296.
VINCENTIVS DE MIRO. 299.
ELEONORA GONZAGA ETRVRIAE PRINCEPS. 301.
FRANCISCVS MARIA NICOLAVS GABBVRRIVS. 305.
DOMINICVS GVGLIELMINIVS. 314.
MARTINIVS POLIVS. 332.
FRANCISCVS III. LOTHARINGVS MAGNVS ETRVRIAE DVX. 337.
IOANNES BLANCVS SEV IANVS PLANCVS. 353.

INDEX

Secundum Elementorum ordinem digeſtus.

AVeranius. Benedictus. 81.
Bacchinius. Benedictus. 215.
Benedictus XIII. Pont. Max. 1.
Blancus. Ioannes. 353.
Blancus. Sebaſtianus. 29.
Breſcianius. Benedictus. 63.
Capaſſius. Gerardus. 122.
Caſottius. Ioannes Baptiſta. 76.
Contius. Carolus. 109.
Coſmas III. Magnus Etruriae Dux. 165.
Clemens XI. Pont. Max. 33.
Clemens XII. Pont. Max. 65.
Cyrillus. Nicolaus. 179.
Ferdinandus Etruriae Princeps. 97.
Franciſcus III. Magnus Etruriae Dux. 337.
Gabburrius. Franciſcus Maria Nicolaus. 305.
Gaſparrius. Franciſcus Maria. 237.
Gonzaga. Eleonora. 301.
Guglielminius. Dominicus. 314.

Ian-

Iannettius. Fridericus. 68.
Ioannes Gaſto Magnus Etruriae Dux. 261.
Lamius. Benedictus. 283.
Lilius. Hieronymus. 149.
Maffeius. Scipio. 251.
Michaelius. Petrus Antonius. 16.
Miro. Ioannes Baptiſta de. 293.
Miro. Vincentius de. 299.
Mozzius. Marcus Antonius. 113.
Muratorius. Ludovicus Antonius. 208.
Polius. Martinus. 332.
Rainaldus Eſtenſis Dux Mutine. 229.
Salvinius Ant. Maria. 47.
Valeſius. Franciſcus. 296.
Violantes Beatrix Etruriae Princeps. 129.

INDEX
CHRONOLOGICVS.

* * * * * * * * * *

1421. *Gens Gabburria primarios honores Florentiae participat*. 305.
1501. *Petrus Gabburrius Vexillifer Iuſtitiae Florentiae renunciari deſiderat*. 305.
1567. *Ptolemaeus Gallius Cardinalis Archiepiſcopus Sipontinus Provinciale concilium celebrat. pag.* 2.
1605. *Hannibal Albanus naſcitur. pag.* 33.
1642. *Coſmas III. Magnus Etruriae Dux oritur*. 165.
1645. *Benedictus Averanius naſcitur*. 81. *Fridericus Iannettius oritur*. 68.
1649. *Benedictus XIII. naſcitur pag.* 1. *Clemens XI. naſcitur. pag.* 33.
1650. *Hannibal Albanus moritur. pag.* 33.
1651. *Benedictus Bacchinius naſcitur*. 215.
1652. *Clemens XII. naſcitur*. 65. *Gerardus Capaſſius naſcitur*. 122. *Vincentius de Miro oritur*. 299.
1653. *Antonius Maria Salvinius oritur. pag.* 47.
1655. *Rainaldus Dux Mutinenſis naſcitur*. 299. *Dominicus Guglielminius oritur*. 314.
1656. *Ioannes Baptiſta de Miro naſcitur*. 293.
1658. *Benedictus Breſcianius oritur*. 63.

1660. *Cle-*

1660. *Clemens* XI. *Romam ſtudiorum cauſſa contendit . pag.* 33. *Hieronymus Lilius Senae naſcitur .* 149. *Philippus Bonarotius naſcitur . pag.* 7.

1662. *Sebaſtianus Blancus naſcitur . pag.* 25. *Clemens XI. Petro Poſſino Ieſuitae Graece ſcribit . pag.* 33.

1663. *Ferdinandus Etruriae Princeps oritur .* 97.

1664. *Benedictus Lamius naſcitur .* 283.

1666. *Clemens XI. Menologion Graecum Monaſterii Cryptae ferratae Latine vertit . pag.* 34.

1667. *Benedictus XIII. Dominicanus fit . pag.* 2. *Coſmas III. Magnus Etruriae Dux peregrinationes per Europam ſuſcipit .* 165.

1668. *Clemens XI. Vrbini doctor declaratur . pag.* 35. *Benedictus Bacchinius habitum Monachicum induit .* 215. *Ant. Maria Salvinius Apathiſtarum coetui adſcribitur . pag.* 49. *Coſmas III. Magnus Etruriae Dux Amſtelaedami eſt .* 166.

1669. *Io. Baptiſta Caſottius naſcitur .* 76.

1670. *Ferdinandus II. Magnus Etruriae Dux obit .* 168. *Franciſcus Valeſius oritur .* 296.

1671. *Nicolaus Cyrillus naſcitur .* 179. *Fridericus Iannettius laurea Theologica inſignitur .* 69. *Io. Gaſto Magnus Dux Etruriae naſcitur .* 261.

1672. *Coſmas III. Magnus Dux Senenſe Gymnaſium novis conſtitutionibus & Profeſſoribus auget .* 171. *Benedictus XIII. Cardinalis creatur . pag.* 2. *Ant. Maria Salvinius Doctoris laurea inſignitur . pag.* 48. *Ludovicus Antonius Muratorius naſcitur .* 208. *Franciſcus Barberinus Cardinalis Ioannem Franci-*

ſcum Albanum, deinde Clementem XI. in Sublacenſem Dioeceſin adiutorem ſecum ducit. pag. 36.

1673. *Benedictus Averanius Elegiam Graecam in puellae laudem ſcribit.* 85. *Synodicae Conſtitutiones Sublacenſes eduntur. pag.* 36. *Violantes Beatrix a Bavaria Etruriae Princeps naſcitur.* 129.

1674. *Benedictus Bacchinius Theologicas theſes propugnat.* 216. *Hieronymus Lilius ab Hieronymo Lilio adoptatur, & uxorem ducit.* 149.

1675. *Scipio Maffeius oritur.* 251. *Benedictus XIII. Archiepiſcopus Sipontinus eligitur. pag.* 2.

1676. *Benedictus Averanius Graecas litteras Piſis profiteri coepit.* 90. *Ant. Maria Salvinius Graecarum litterarum Profeſſor Florentiae eligitur. pag.* 49. *Franciſcus Nicolaus Gabburrius oritur.* 305. *Hieronymo Lilio filius naſcitur.* 149.

1677. *Clemens XI. inter Praeſules Romanos cooptatur. pag.* 36.

1678. *Marcus Antonius Mozzius oritur.* 113. *Benedictus XIII. Synodum Dioeceſanam Siponti cogit. pag.* 2. *Hieronymo Lilio filius Germanicus naſcitur.* 149. *Dominicus Guglielminius magiſtrali laurea inſignitur.* 315. *Benedictus Bacchinius in Etruriam contendit.* 217.

1679. *Benedictus Bacchinius Venetias proficiſcitur; & inde Placentiam.* 217. *Antonius Michaelius naſcitur. pag.* 16. *Franciſcus Maria Gaſparrius naſcitur.* 237. *Leopoldus Lotharingiae Dux oritur.* 338.

1660. *Be-*

1680. *Benedictus XIII. a Sipontina ad Caſenatem Eccleſiam transfertur . pag. 2. Benedictus Bacchinius Patavii concionatur .* 218. *Cometes adparet .* 315.

1681. *Benedictus Bacchinius Florentiae concionatur .* 218. *Cometes idem videtur .* 315. *de Cometarum natura Guglielminius ſcribit .* 316.

1682. *Gerardus Capaſſius in Collegium Theologorum Florentinorum cooptatur .* 123. *Liburnum a Coſma III. munitur & ampliatur .* 101.

1683. *Benedictus Lamius laurea magiſtrali inſignitur .* 284. *Ioſephus de Papa ei ſcribit .* 285. *Hieronymus Lilius in patriciorum ordinem cooptatur .* 151. *Clemens XI. Vaticanae Baſilicae Vicarius & Iudex eligitur . pag.* 36. *Benedictus Bacchinius Parmam revertitur .* 218.

1684. *Ant. Maria Salvinius quaedam Michaelis Pſelli Latine vertit .* 174. *Dominicus Gulielminius obſervationes in ſolarem Eclipſin facit .* 316.

1685. *Sebaſtianus Blancus Bononiae Ioſ. Magnavaccam praeceptorem habet , & Romam contendit . pag.* 29. *Benedictus Averanius Vincentio Aullae ſcribit .* 87. *Synodicae Conſtitutiones Sublacenſes eduntur . pag.* 36. *Genovefa Hieronymi Lilii fabula Senae agitur .* 152. *Eleonora Gonzaga Etruriae Princeps oritur .* 301.

1686. *Ioannes Mabillonius Florentiam venit .* 50. 101. 219. 263. *Rainaldus Eſtenſis Cardinalis creatur .* 230. *Benedictus XIII. Archiepiſcopus Beneventanus iubetur . pag.* 3. *Sebaſtianus Blancus Roma Florentiam redit .*

 pag.

pag. 30. Matthaeus Regalius Medicus Lucenſis Benedicto Lamio ſcribit. 285. Gaudentius Robertius Carmelita, & Bacchinius Ephemerides litterarias ſcribere adgrediuntur. 219.

1687. *Franciſcus Maria Gaſparrius de omni Grammatica diſputationes habet. 237. Gerardus Capaſſius Theſes Theologicas & Philoſophicas propugnandas proponit, & ob earum quaſdam in carcerem a Cenſoribus includitur. 123. Sebaſtianus Blancus Lutetiam Pariſiorum proficiſcitur, & inde Mediolanum, Patavium, Venetias. pag. 30. Ludovicus Pius Hieronymi Lilii fabula agitur. 152. Ioannes Gualterius Sluſius Cardinalis moritur, & Apoſtolicis Diplomatibus ſcribendis I3. Franciſcus Albanus, deinde Clemens XI. eius loco ſufficitur. pag. 37. Io. Caldeſius teſtudinum anatomen edit. 266. Iacobus Lapius Medicus Florentinus Benedicto Lamio ſcribit. 285.*

1688. *Ferdinandus Etruriae Princeps Venetias petit, & Violantem Beatricem a Bavaria uxorem ducit. 101. Ioſephus Averanius Ioannem Gaſtonem Etruriae Principem Ius Civile docet. 262.*

1689. *Fides in proditionibus Hieronymi Lilii fabula agitur. 152. Angelus Maria Arcionius Abbas Benedictinus moritur, & adverſus Bacchinium turbae excitantur. 220. Ferdinandus Etruriae Princeps nobilium Academiam Florentiae inſtituit. 102.*

1690. *Clemens XI. Cardinalis creatur. pag. 37. Vſque ad hunc annum Ephemerides litterariae Parmae eduntur. 219. Bacchinius ad Mo-*

Monaſterium Padolironenſe deducitur . 220. *Dominicus Guglielminius primam Tractatus hydroſtatici partem edit* . 317.

1691. *Benedictus Lamius uxorem ducit* . 288. *Martinus Polius Romae verſatur* . 332. *Lexicon Tuſcanicum Academicorum Furfureorum tertio editur* . 172. *Amor laura Magiſtrali inſignitus Hieronymi Lilii fabula agitur* . 152. *Dominicus Guglielminius alteram Tractatus hydroſtatici partem edit* . 317. *& Papinius contra illum ſcribit* . 319.

1692. *Nicolaus Cyrillus ludum Medicinae, Philoſophiae, ac Geometriae domi ſuae aperit* . 181. *Bacchinius Ephemerides litterarias ſcribit* . 220. *Guglilminius ad Magliabechium contra Papinium ſcribit* . 321.

1693. *Gaudentius Robertius Carmelita obit, & Bacchinius Ephemerides litterarias ſcribere deſinit* . 220. *Auguſtinus Cultellinius Academiae Apathiſtarum inſtitutor obit* . pag. 29. *Benedictus Lamius de Ioanne Antonio Terenzonio Medico queritur* . 286. *Hieronymus Lilius Amorem inter impoſſibilia Romae ſcribit, & dat* . 153. *Iacobus Gronovius Ammiani Marcellini editionem Coſmae III. Magno Duci nuncupat* . 166. *Benedictus XIII. concilium provinciale Beneventi cogit* . pag. *Ioannes Blancus naſcitur* . 353.

1694. *Ludovicus Antonius Muratorius Bibliothecae Ambroſianae praeficitur* . 208. *Academia Apathiſtarum ex privatis Aug. Cultellinii aedibus in Atheneum Florentinum transfertur* . pag. 50. 172. *Franciſcus II. Mutinae Dux obit, & ei ſuccedit Raynaldus* . 230.

1695. Be-

1695. *Benedictus XIII. edit Synodicon provinciale Beneventanum. pag. 3. Caſſinius lineam Meridianam Bononiae reſtaurat. 322.*

1696. *Ferdinandus Etruriae Princeps Venetias iterum contendit. 103. Apollonii Pergaei Conica Piſtorii eduntur. 264. Phaenomenon lucidum in magna Italiae parte adparet. 314. Bacchinius Ephemerides litterarias ſcribere tertio adgreditur, & hiſtoriam Monaſterii Padolironenſis edit, & iter litterarium per Italiam ſuſcipit. 221.*

1697. *Iacobus Antonius Morigia Cardinalis creatur. 104. Nicolaus Cyrillus Publicus Medicinae Profeſſor renunciatur. 182. Guglielminus librum de natura fluminum edit. 322. Franciſcus Redius moritur, & ab Ant. Maria Salvinio laudatur. pag. 51. Ludovicus Antonius Muratorius quatuor S. Paulini Nolani poemata edit. 209. Ioannes Lamius naſcitur. 288. Io. Gaſto Princeps in Germaniam proficiſcitur. 266.*

1698. *Franciſcus Maria Gaſparrius Iuris Interpres in Seminario Romano renunciatur. 237. Hieronymus Lilius Profeſſor in Collegio Ptolemaeio renunciatur. 153. Franciſcus III. Dux Mutinenſis oritur. 230. Philippus Bonarotius obſervationes in antiqua numiſmata edit. pag. 9. Guglielminius Matheſin Patavii profitetur. 328. Benedictus Lamius moritur. 288.*

1699. *Collegium Ciconinium Prati inſtituitur. 172.*

1700. *Marcus Antonius Mozzius Canonicus Florentinus eligitur. 115. Philippus Bonarotius Senator Florentinus creatur. pag. 10. Bene-*

di-

dictus Bacchinius Praefectura Bibliothecae Mutinenſis ſe abdicat, & eius loco Muratorius ſufficitur. 231. 209. Martinus Polius Pharmacopola Romae declaratur. 332. Innocentius XII. moritur, & Clemens XI. eligitur. pag. 38. Guglielminius in Dalmatiam ad Caſtrum novum reficiendum contendit. 329.

1701. *Scipio Maffeius in caſtris merere meditatur. 253. Guglielminius edit Diſſertationem de Sanguinis natura, & conſtitutione. 329. Euſebius Renaudotus Florentiae verſatur. 174. Exſequiae Caroli II. Hiſpaniae Regis Florentiae celebrantur, & Marcus Antonius Mozius orationem funebrem habet. 115. Bernard. Monsfalconius Florentiam venit. pag. 53.*

1702. *Copiae Gallicae & Hiſpanae Mutina potiuntur. 232. Franciſcus Maria Gaſparrius Inſtitutiones Canonicas edit; & in Arcadum coetum cooptatur. 238. Guglielminus Profeſſor Medicinae renunciatur. 329. Scipio Maffeius miles voluntarius meret. 253. Coſmas III. Magnus Dux aedem S. Creſcii & Sociorum in agro Mucellano inſtaurat. 123. Horatius Hieronymi Lilii fabula Romae agitur. 156. Franciſci Redii Epigrammata Italica eduntur. 104. Clemens XI. Car. Thomam Tournonium ad Sinas cum poteſtate legati de latere mittit. pag. 44.*

1703. *Bacchinius de Hierarchiae Eccleſiaſticae originibus Diſſertationem edit. 222. Guido Grandius librum de Quadratura Circuli & Hyperbolae edit. 264. Gnomon Aſtronomicus ad*

Ka-

Kalendarii uſum Romae conſtruitur. pag. 44.

1704. *Rainaldus Dux Mutinae ad Mutinenſe Nobilium Collegium equos dono mittit.* 232. *Clemens XI. Ritus Sinenſes damnat. pag.* 44. *Hieronymi Lilii Comoediarum Tomus primus editur.* 156.

1705. *Fridericus Iannettius Sexti Plebanus eligitur.* 72. *Nicolaus Cyrillus Cathedram Phyſicae obtinet.* 183. *Bacchinius in Monaſterio Mutinenſi Coetum litterarium inſtituit, & Iſidori Clarii Epiſtolas vulgat.* 223. *Clemens XI. Conſtitutionem adverſus Ianſenianes edit. pag.* 45. *Marcus Antonius Mozius Epigrammata Italica quaedam vulgat.* 119. 136. *Guglielminius Diſſertationum de ſalibus edit.* 329.

1706. *Nicolaus Cyrillus Medicinae practicae Cathedram obtinet.* 183. *Bacchinius Romam iterum proficiſcitur.* 223. *Hieronymus Lilius novam Operum D. Catharinae Senenſis editionem molitur.* 153. *Coſmas Armenus Sacerdos martyrium facit, & Gabriel Philippuccius Cardinalatus dignitatem recuſat. pag.* 45. *Martinus Polius librum Triumphum Acidorum inſcriptum Ludovico XIV. Galliarum Regi dedicat.* 333. *Clemens XII. Cardinalis creatur.* 65.

1707. *Guglielminius Exercitationem de idearum vitiis ad inquirendam morborum naturam edit.* 331. *Franciſcus Maria Gaſparrius Inſtitutiones Iuris Civilis vulgat.* 238. *Iacobus Laderchius Acta S. Creſcii & Sociorum Martyrum edit.* 124. *Car. Thomas Tournonius Cardinalis creatur. pag.* 45. *Benedictus Avera-*

ranius moritur. 94. *Leopoldus Clemens Lotharingus Princeps oritur*. 338.

1708. *Fridericus Iannettius obit*. 72. *Ioſephus Imperator Comaclum capit*. 209. 232. & *Muratorius pro Imperatore ſcribit*. *Clemens XI. Martinum Polium ſuarum copiarum Mechanicum declarat*. 335. *Bacchinius Pontificale Agnelli Ravennatis publici iuris facit*. 223. *Ludovicus Adimarius moritur*, & *Marcus Antonius Mozius Tuſcanicae linguae profeſſor eius loco renunciatur*. 116. *Hieronymus Lilius Romam a Principibus Ruſpolis arceſſitur*. 158. *Hieronymi Lilii Comoediarum Tomus ſecundus editur*. 156. *Franciſcus Lotharingus Magnus Etruriae Dux oritur*. 338.

1709. *Bacchinius Hypercriſin de Actis S. Creſcii & Sociorum ſcribit*. 224. *Gerardus Capaſſius Nugas Laderchianas edit*. 124. *Eleonora Gonzaga Franciſco Mariae Principi Mediceo nubit*. 301.

1710. *Ephemerides litterariae Venetae exordium ſumunt*. 103. *Controverſia de Comaclo Romae agitatur*. 233. *Fabulae in Theatro Pratolini agi deſinunt*. 102. *Hieronymus Lilius Donatum ſeu prima Latinae linguae elementa edit*. 158. *Item Vitam & Prophetiam Brandani*. 164. *Car. Thomas Tournonius Cardinalis moritur*. pag. 45. *Guglielminius librum edit De principio ſulphureo*, & *naturae concedit*. 331. *Marcus Antonius Mozius ſuper Actis D. Creſcii & Sociorum Martyrum ſcribit*. 116. 125.

1711. *Ioannes Blancus in Philoſophiam incumbit*.

bit. 354. *Franciſcus Maria Etruriae Princeps obit*. 302. *Imago Deiparae Imprunetana Florentiam defertur*. 78. *Bacchinius Abbas Coenobii S. Petri Mutinenſis renunciatur; & Archivum Monaſterii Placentini luſtrat*. 224. *Scipio Maffeius Florentiae Caſſiodori complexiones edit; & Epiſtolam Io. Chryſoſtomi ad Caeſarium*. 259.

1712. *Martinus Polius fodinas Maſſenſes inviſit*. 335. *Muratorius ſuper Comaclo ſcribit*. 233. *Marcus Antonius Mozius S. Pium V. recens apotheoſi donatum oratione habita Florentiae laudat*. *Ioſ. Mar. Thomaſius Cardinalis moritur*. *pag*. 45. *Gerardus Capaſſius Epiſtolae Ioannis Antonii Bernardi reſpondet, & adverſus Io. Chryſoſtomum Scarfò ſtilum ſtringit*. 126. *Carolus Princeps Lotharingiae oritur*. 338.

1713. *Ferdinandus Etruriae Princeps moritur*. 106. 136. 268. *Bacchinius ad Regienſe S. Petri Coenobium transfertur*. 224. *Martinus Polius in Galliam revertitur, ubi moritur*. 336. *Gerardus Capaſſius de Nicolai Monſterii Etymologiis Sacris iudicium profert*. 126.

1714. *Io. Baptiſta Caſottius de Imagine Deiparae Imprunetana commentarium edit*. 78. *Ludovicus Antonius Muratorius Italiam peragrat, & Tabularia & Archiva conſulit*. 210. *Clemens XI. Conſtitutionem Vnigenitus edit*: *pag*. 45.

1715. *Franciſcus Maria Gaſparrius uxorem ducit*. 239. *Ludovicus Antonius Muratorius ſuam per Italiam peregrinationem continuat*. 210. *Ludovicus XIV. Gallorum Rex moritur*. *pag*. 46.

1716. *Lu-*

1716. *Ludovicus Antonius Muratorius Mutinam reverſus Parochus S. Mariae de Pompoſia renunciatur*. 210. *Societas Botanica Florentiae inſtituitur*. pag. 21. *Philippus Bonarotius Obſervationes in antiqua vitra edit*. pag. 21. *Hieronymus Lilius Inſignia familiarum nobilium Senenſium edit*. 163.

1717. *Lucas Tozzius Neapolitanus Medicus obit*. 185. *Ioannes Blancus Bononiam Medicinae addiſcendae cauſſa concedit*. 356. *Hieronymus Lilius Dictionarium Catharinianum edit*. 157. *Violantes Beatrix Etruriae Princeps, Senae Praeſes renunciatur*. 136. *Violantes Beatrix Etruriae Princeps, Senam procuratura proficiſcitur*. 159. *Franciſcus Nicolaus Gabburrius Academiae Furfureorum Archiconſul renunciatur*. 309. *Valentinus Duvallius e ſilvis Lunivillam educitur*. 343.

1718. *Carolus Borbonius Comes Caroloregienſis Mutinam venit, & Rainaldus dux ludos edit*. 234. *Coſmas III. Magnus Etruriae Dux hortum publicum Florentinum Societati Botanicae cuſtodiendum tradit*. pag. 21. *Nicolaus Cyrillus Ephemerides Meteorologicas ſcribere incipit*. 190.

1719. *Clemens XI. Car. Ambr. Mediobarbum cum Poteſtate Legati de Latere ad Sinas mittit*. pag. 46. *Bacchinius Abbas Monaſterii Bobienſis eligitur*. 224. *Ioannes Blancus Bononiae Medicinae togam ſumit*. 357. *Zappio vita defuncto Gaſparrius adſeſſor Magiſtratus Agriculturae eligitur*. 239. *Hieronymus Lilius Collegium Petronianum edit*. 159.

1720. Io.

1720. *Io. Baptiſta Caſottius Canonicus Pratenſis eligitur*. 78. *Hieronymi Lilii filio Canonicatus Eccleſiae Provenzani confertur*. 160. *Bacchinius Patavio Ferrariam contendit*. 225. *Muratorius iterum de Comaclo adverſus Romanos ſcribit*. 234. *Ioannes Blancus Bononiae in Archigymnaſio orationem pro ſtudiorum inſtauratione habet*. 358. *Petrus Paulus Lapius Medicus ocularius & Lithotomus contra Antonium Cocchium Medicum Tuſculanum ſcribit*. 360. *Franciſcus Princeps Lotharingus Vindobonam petit*. 338.

1721. *Bacchinius Bononiae moritur*. 225. *Clemens XI. moritur*. pag. 46. *Hieronymus Lilius de lingua Tuſca Dialogos edit*. 158. & *Celſi Cittadinii operum editionem adornat*. 159. *Hieronymus Lilius exſul. patriae reſtituitur*. 157. *moritur*. 161.

1722. *Ioannes Blancus Epiſtolam edit adverſus Ariminenſem Chirurgum*. 361. *Hieronymi Lilii Diarium Senenſe editur*. 155. *Marcus Antonius Mozius Epiſtolam poſtulatoriam nomine Capituli Papae ſcribit*, & *confirmationem cultus ſeptem Inſtitutorum Ordinis Servitarum poſcit*. 115.

1723. *Coſmas III. Magnus Dux moritur*. 176. *Hieronymi Lilii Diarium Senenſe iterum editur*. 143. 155. *Io. Gaſto Patri in Imperio ſuccedit*. 269. *Coſmas III. Magnus Dux moritur*. 126. 138. *Benedictus XIII. Synodicon Dioeceſanum Beneventanae Eccleſiae Romae edit*. pag. 6. *Leopoldus Clemens Princeps Lotharingiae obit*. 338.

1724. *Guido Grandius Diacriſin adverſus Thomam*

mam Cevam edit. 270. *Ioannes Blancus Apennini partem herbas lapideſque conſideraturus luſtrat*. 363. *Benedictus XIII. Pontifex Max. renunciatur*. pag. 4.

1725. *Bernardinus Perfectius Poeta extemporalis Romae laurea donatur*. 4. 118. 139. *Nicolaus Gualterius libellum de fontium origine edit*. 143. 272. *Violantes Beatrix Etruriae Princeps ad Iubilaeum Romam pergit*. 139. *Carolus Contius obit*. 112. *Ioannes Blancus Romam, & Neapolin contendit*. 365. *Benedictus XIII. Iubilaeum celebrat; provinciale concilium Romae habet;* Violantem Beatricem *a Bavaria Magnam Etruriae Principem excipit;* Bernardinum Perfectium *Poetam extemporalem Senenſem laurea donat*. pag. 4.

1726. *Philippus Bonarotius Diſſertationem ad Etruriam Regalem Th. Demſteri edit*. pag. 15. *Primaria Medicinae practicae Cathedra Neapoli Nicolao Cyrillo addicitur*. 194. *Violantes Beatrix Etruriae Princeps Athiſtarum Academiam in Regio Palatio convocat*. 183. *Franciſcus Blanchinius Praeſul Romanus Florentiam venit*. 140. *Antonius Franciſcus Gorius primam Inſcriptionum Etruſcarum partem Violanti Beatrici dedicat*. 143. *Benedictus XIII. librum Caeremoniale Epiſcoporum emendat*. pag. 5. *Io. Baptiſta Caſottius Plebanus Impprunetae eligitur*. 79. *Ioannes Blancus controverſias in patria habet*. 369.

1727. *Academia Etruſca Cortonae inſtituitur*. 277. *Ioannes Blancus Philoſophiam Arimini pri-*

 va-

vatim docet . 370. Franciſcus Maria Gaſparrius Iudex Collateralis Capitolinus eligitur . 240. Benedictus XIII. Violantem Beatricem Etruriae Principem Roſa aurea donat. 119.

1728. *Michaelis Ettmulleri Opera Medica eduntur . 187. Franciſcus Princeps Lotharingus Vindobonae moratur. 339.*

1729. *Ioannes Lamius Mediolani verſatur. 295. Antonius Ferdinandus Guaſtallae Dux obit. 303. Benedictus XIII. Concilium provinciale Beneventi convocat. pag. 5. Ant. Maria Salvinius obit. pag. 58. Panormitani quidam contra ſententiam Ludovici Antonii Muratorii de voto ſanguinario pro Conceptione Virginis immaculata tuenda ſcribunt. 211. Ioannes Blancus in privato Theatro fabulas dat. 372. Leopoldus Lotharingiae Dux moritur. 339.*

1730. *Clemens XII. Pont. Max. renunciatur. 65. Benedictus XIII. moritur. pag. 5. Marcus Antonius Mozius Antonium Mariam Salvinium vita functum in coetu Furfureorum laudat. 115. Ioannes Lamius librum de recta Patrum Nicaenorum fide Violanti Beatrici principi dedicat. 143. quae hoc eodem anno moritur. 147. Franciſcus Lotharingiae Dux Pariſiis verſatur. 339.*

1731. *Ioannes Baptiſta de Miro obit. 295. Franciſcus Victorius eques Romanus numiſma Phil. Bonarotii honori excudendum curat. 13. Ioannes Blancus Epiſtolam adverſus Mazzacurati anatomen edit. 373. Acta Eruditorum Lipſienſia de Nicolao Cyrillo non*

ſatis

ſatis honorifice, quoad Ettmulleri operum editionem, loquuntur. 187. Neapolitanum Regnum terraemotus concutit, deque eo ſcribit Cyrillus. 191. Franciſcus Lotharingiae DuxLondinum contendit. 340.

1732. *Vincentius de Miro moritur. 300. Numiſma aereum Marci Antonii Mozii honori cuditur. 120. Nicolaus Cyrillus Apologiam adverſus Acta eruditorum Lipſienſia ſcribit. 188. Carolus Hiſpanus Princeps in Italiam venit. 340.*

1733. *Numiſma Ioannis Gaſtonis Magni Ducis honori cuditur. 277. Philippus Bonarotius moritur. pag. 14. Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus tertium Volumen Diſſertationum Ant. Mar. Salvinii Marco Antonio Mozio dedicat. 120. Ioannes Blancus Bononiae cum Laura Baſſia diſputat. 376. & Andream Celſium Mathematicum Svecum cognoſcit. Ibidem.*

1734. *Nicolaus Cyrillus moritur. 146. Clemens XII. Muſeum Capitolinum exſtruit. 67. Flammetta Capaſſia annuum XL. argenteorum reditum Bibliothecae Servitarum Florentiae relinquit. 127.*

1735. *Franciſcus Maria Gaſparrius obit. 241. Eleonora Gonzaga e Germania Florentiam redit. 303. Andreas Battaglinius Ariminenſis obit, & legat Ioanni Blanco ſuam Bibliothecam, aliaque. 380. Blancus vero Florentiam contendit. Ibidem.*

1736. *Gerardus Capaſſius moritur. 127. Marcus Antonius Mozius moritur. 121. Franciſcus Lotharingiae Dux Tereſiam Auſtria-*

cam uxorem ducit. 340. Petri Dominici Bartolonii Dithyrambus iterum editur. 266.

1737. Ioannes Baptiſta Caſottius moritur. 79. Io. Gaſto Magnus Dux obit. 279. Scipio Maffeius fratris commentarios in lucem edit. 259. Rainaldus Dux Mutinae obit. 235. Mauſoleum Galilaeo Florentiae erigitur: 276. Antonius Michaelius moritur. pag. 24. Ioannes Bottarius primum volumen illuſtrationum Romae ſubterraneae edit. 66. Io. Gaſto Magnus Dux moritur. 34. Ioannes Blancus Venetias contendit. 382.

1738. Bacchinii Epiſtolae Polemicae adverſus Iacobum Piceninum eduntur. 224. Sebaſtianus Blancus moritur. pag. 32. Antonius Curſius Marchio Friderico Iannettio titulum ponit. 73. Eleonora Gonzaga Etruriae Princeps ad Pontem Herae ſecedit. 304. Ioannes Blancus conſultus de morbo Epidemico boum reſpondet. 384. Franciſcus Magnus Dux Florentiam venit. 341.

1739. Ioannis Baptiſtae de Miro Diſſertatio Miſcellaneis obſervationibus Amſtaeledamenſibus inſeritur. 294. Ioannes Blancus Obſervationes ſuas Maritimas edit. 383. Iulius Alberonus Cardinalis S. Marini oppido potitur. 385. Thomas Perellius Piſis Aſtronomiam profiteri incipit. 351. Franciſcus Lotharingus Magnus Dux ex Etruria in Germaniam revertitur. 347.

1740. Clemens XII. moritur. 68. Benedictus Breſcianius obit. 64. Academia Nobilium Nanceana Florentiam transfertur. 102. 348. Ioannes Blancus Venetias iterum proficiſcitur.

tur. 386. *Quartum Muſei Florentini Volumen vulgatur*. 347.

1741. *Ioannes Blancus Profeſſor Anatomes Senis eligitur*. 348. 390. *Thomas Monelia Piſis hiſtoriam ſacram profiteri incipit*. 351. *Ioannes Targionius de quodam Papilionum genere Epiſtolam edit*. 346.

1742. *Franciſcus Nicolaus Gabburrius obit*. 310. *Eleonora Gonzaga Etruriae Princeps moritur*. 304. *Franciſcus Valeſius obit*. 298. *Ioannes Targionius Etruriam peragrat hiſtoriam naturalem ſcripturus*. 349. *Nicolaus Gualterius librum de Teſtaceis Marinis edit*. 352. *Tereſia Regina Hungariae Podonium ſecedit, & ſecum Bibliothecam adfert*. * * *Io. Baptiſta Baſſandus Magni Ducis Archiater moritur*. 346.

IN-

INDEX

RERVM MEMORABILIUM.

A

ABdua Cardinalis De. 322.
Abecedarium Pictorum. 311.
Academia Capitolina. 35. 39.
Academia Apathiſtarum. 49.
Academia de la Cruſca. 49.
Academia Florentina. 15. 172.
Academia Lunivillenſis. 102.
Academia Nobilium Florentiae. 102.
Academia Theologica Romana. 3. 40.
Acta S. Creſcii. 116 123. 125. 223.
Accetta. Iulius. 59.
Actorum & Diplomatum hiſtoria. 256.
Addiſſonius. 61.
Adimarius, Ludovicus. 116. 118. 171.
Agnellus Ravennas. 223. 231.
Aguirrius Cardinalis. 222. 225.
Albanus, Alexander Cardinalis. 67.
Albanus, Annibal. 313.
Albanus, Ioannes Franciſcus Cardinalis. 159. 238. 243.
Albanus, Malateſta. 313.
Alberonius Cardinalis. 385. 386.
Albitius, Lucas. 98.

Ale-

Alexander VII. 165.
Alexander VIII. 37.
Aligerius, Dantes. 56. 287. Vide, Dantes.
Aloiſia Margarita Magna Dux. 261.
Alſatius, Cardinalis. 238.
Alterius, Cardinalis. 332.
Amadeno, Theodorus de. 219.
Ambaracus, Petrus. 66. 169.
Amedeus Dux Sabaudiae. 188.
Ammianus Marcellinus. 166.
Anacreon. 54.
Anderlinius. 312.
Andreinius, Petrus Andreas. 31. 277. 371.
Andreas Borbonius a Monte S. Mariae. 138.
Andreas a S. Sebaſtiano. 114.
Anguillara. 19.
Anna Maria Franciſca Magna Dux. 266.
Angelis, Marcus De. 248.
Annales Typographici. 274.
Anonymus Circulator. 361.
Anſaldius, Anſaldus. 48. 174.
Antinorius, Nicolaus. 174.
Antiquitates Eſtenſes. 231.
Antiquitates Galliae. 258.
Antiſthenes *
Antonius Lampridius. 211.
Apathiſtae Academici. 49. 63. 138. 141. 172. 239.
Arcades. 140.
Archigymnaſium Romanum. 40.
Arcionius, Angelus Maria. 217. 218.
Arena, Coſmas de. 173.
Areoſtus. 229.
Ariſius. 223.

Ariſtophanes. 54.
Ariſtoteles. 131. *
Arrighius, Franciſcus Maria. 60.
Arrigonius Abbas. 389.
Arringhius. 66.
Aſſaltus, Petrus. 207. 365.
Aſſemanus, Evodius. 349.
Aſſemanus, Ioſeph Simonius. 42. 66.
Aſſurditorum Academia. 239.
Atheneum Piſanum. 169.
Atticus. 353.
Averanius, Benedictus. 48. 51. 64. 97. 104. 132. 169. 262. 310.
Averanius, Ioſephus. 64. 92. 168. 169. 262. 267. 306. 310.
Averanius Nicolaus. 310.
Auguſtiniani. 199.
Auguſtus Clemens a Bavaria. 239.
Auguſtus Fridericus Rex Poloniae. 341.
Aulla, Vincentius. 87. 94.
Auria, Vincentius. 238.
Aurifex, Caeleſtinus. 224.
Avviſius, Antonius. 284.

B

Bacherinia. 312.
Bacchinius, Benedictus. 125. 231. 359.
Baccius, Laurentius. 302.
Badia, Ioſeph Antonius. 404.
Baelius. 223.
Baglivus. 397.
Balaſſius, Io. Baptiſta. 60.

Bal-

Baldaccius, Ioannes. 288.
Baldigianius. 296.
Baldus Mons. 22. 171.
Balluvius. 393.
Bandiera. 351.
Bandinellius, Volumnius. 165.
Bandis, Cornelia de. 374.
Bandurius, Anſelmus. 31. 60. 174.
Barberinus, Antonius, Cardinalis. 2.
Barberinus, Carolus Cardinalis. 36.
Barberinus, Franciſcus Cardinalis. 36. 321.
Barberius, Bartholomaeus. 230.
Barbetta. 370.
Bardius, Coſmas Gualteroctus. 102.
Bargiacchius, Nicolaus. 60.
Barillonius, Henricus. 81.
Baroccius, Iacobus. 208.
Bartolonius, Petrus Dominicus. 266.
Baſnagius, Iacobus. 54. 259.
Baſſandus, Ioannes Baptiſta. 346.
Baſſia, Laura. 393. 375.
Battaglinus, Andreas. 360. 371. 374. 375. 389.
Battaglinus, Marcus Epiſcopus. 380.
Bahuni. 399.
Bazzanus. 357. 393.
Beccarius. 357. 364. 393.
Bellinius, Laurentius. 54. 64. 104. 119. 168. 264.
Bellinzanius, Simon. 220.
Bellorius. 30.
Benedictus XIII. 119. 145. 355.
Benedictus XIV. 5. 123.
Benevolentius, Hubertus. 137. 160.
Benvenga, Michael. 223.
Beneventana Eccleſia. 3.

Be-

Benevenutius, Bernardus. 98. 103.
Benevenutius, Franciſcus. 71. 74.
Bentivegna, Ioſephus. 378.
Bentivola, Laura. 362.
Bentivolus, Cardinalis. 363. 369.
Bentivolus, Philippus. 370.
Beretta Ieſuita. 400.
Bernardius, Franciſcus. 152.
Bernardius, Io. Ant. 126.
Bertinius, Antonius Franciſcus. 285.
Bertius, Io. Laurentius. 60.
Bertus. 398.
Beſſario. 90.
Bibliotheca Lanciſiana. 40.
Bibliotheca Orientalis Clementino Vaticana. 42.
Bibliotheca Vaticana. 41. 66.
Bindius, Carolus Maria. 60.
Binius, Ioſeph Clemens. 303. 304.
Biſcardius; Seraphinus. 181.
Biſcionius, Antonius Maria. 350.
Blanchinius, Franciſcus. 44. 140. 141. 366.
Blanchinius, Ioſephus. 60. 109.
Blancus, Franciſcus. 31.
Blancus, Horatius. 295.
Blancus, Ioannes. 348. 361.
Blancus, Sebaſtianus. 11. 60. 174. 343.
Boccaccius. 56. 62. 362.
Bocco. 19.
Bocconius, Paulus. 171.
Boheraavus. 21. 346. 402.
Bolbonius. 368.
Bollandiani. 106.
Bollandus, Ioannes. 34.
Bonaccurſus a Monte Magno. 80.

Bo-

Bonamicus, Nicolaus. 363.
Bonapartes, Rain. 271.
Bonarotius, Leonardus. 14.
Bonarotius, Michael Angelus Senior. 7. 311.
Bonarotius, Michael Angelus Iunior. 7. 62.
Bonarotius, Philippus. 30. 32. 175. 310. 371.
Bonaventurius, Thomas. 60. 106.
Boncorius, Franciſcus. 199. 366.
Bondelmontius, Ioſeph. 279.
Bonfrizerius, Franciſcus Maria. 47.
Bonmatthaeius, Benedictus. 56. 62. 80.
Bonus, Antonius. 66.
Bonzettus, Barptolemaeus. 385. 386.
Borbonius, Carolus Rex. 234.
Borgheſia gens. 150.
Borgia, Alexander Firmanus Archiepiſcopus. 3.
Borromeius Carolus. 208.
Bottarius, Ioannes. 60. 66. 365.
Boudnauſenius. 98.
Boulduccus. 331.
Breille, Marchio De. 189.
Brenemannus, Henricus. 52. 174.
Breſcianius, Benedictus. 60. 173. 261. 262. 263. 266. 284. 310. 371.
Breynius, Ioannes Philippus. 377. 402.
Briſſaeus. 360.
Broccettius. 313.
Brocchius, Ioſephus Maria. 73. 75.
Brugueres, Michael. 37.
Brunſvic. 213. 214.
Brunſvicenſis, Benedicta. 234.
Bubalo, Octavius De. 41. 145.
Buccaferreus, Camillus Antonius. 59.
Bucellius, Petrus. 400.

Bur-

Burghius. 359.
Burlamachius, Fridericus. 153.
Burnetus, Thomas. 213.
Buthilierus, Armandus Ioannes. 81. 248.
Butius, Nicolaus. 264.

C

Caccia, Ioannes. 359.
Caeremoniale Epiſcoporum. 5.
Caeſalpinus. 18. 259.
Calaber, Ioannes Bernardus. 354.
Caldeſius, Ioannes. 266.
Callimachus. 54.
Calopreſius Gregorius. 180.
Calurius, Franciſcus. 398.
Camelius. 31.
Camerarius. 19.
Campilia. 312.
Candidus Parthenotimus. 211.
Caninius, Caietanus. 60.
Caniſanius, Aloiſius. 305.
Cantellius, Iacobus. 220. 222.
Capaſſia, Flammetta. 127.
Capaſſius, Gerardus. 8. 116. 169. 224. 271.
Capaſſius, Nicolaus. 205.
Capponius, Ferrantes. 85. 393.
Capponius, Vincentius. 57. 173. 381.
Caracciolius Circulator. 369.
Caracciolius, Ioannes Baptiſta. 270.
Caravita, Nicolaus. 181.
Cardinalis Origo. 358.
Caryophilus Blaſius. 366.

Carolus II. Hiſpaniae Rex. 115. 299.
Carolus VI. Imperator. 6. 159. 192. 299. 300. 309. 336. 340. 341.
Carolus Philippi V. filius. 340.
Carolus Princeps Lotharingus 341. 347.
Carpanius. 296.
Carpineus, Caſpar Cardinalis. 8. 35.
Cartarius, Ioannes Carolus. 34.
Carteromachus, Nicolaus. 120.
Carteſius. 181. 202. 355.
Caſa, Ioannes. 80.
Caſalius, Sebaſtianus. 60.
Caſottius, Ioannes Baptiſta. 171.
Caſtellione, Coſmas à. 17. 259.
Caſtellione, Dantes a. 17.
Caſtelmainius Comes. 37.
Caſtelvetro, Lodovico. 213.
Caſſinius. 322.
Caſſiodorius. 257.
Catullus. 55. 255.
Cavalerius, Bernardinus. 362.
Cavaniglia. 358.
Cavina. 314.
Cellus, Ioannes Maria. 374.
Celſius, Andreas. 376.
Celſus, Cornelius. 88. 89.
Ceratius, Caſpar Caietanus. 273. 365.
Ceremoniale Epiſcoporum. 3.
Cerotia. 312.
Cerretanius, Io. Baptiſta. 60.
Ceva, Theobaldus. 249.
Ceva, Thomas. 57.
Chamantius. 352.
Checcoccius. 387.

Che-

Cheſius, Bartholomaeus. 48.
Ghiappinus, Alexander. 404.
Chillenius, Marcus. 361.
Chiſius, Petrus. 373.
Chryſoſtomus, Ioannes. 259.
Chriſtina Regina. 35. 36. 37.
Ciampinius, Ioannes. 8. 209. 222. 226. 296.
Cianius, Vincentius. 17.
Cibo Dux. 335.
Cicero, Marcus Tullius. 33. 91. 353. 357.
Ciconinius, Franciſcus. 172.
Cinellius. 223.
Cittadinius, Celſus. 159.
Clarius, Iſidorus. 217. 223.
Claudia Imperatrix. 89.
Clemens Auguſtus a Bavaria Archiepiſcopus Coloniae. 141 144. 145. 239.
Clemens VII. 350.
Clemens VIII 233.
Clemens XI. 70. 78. 159. 206. 225. 239. 295.
Clemens XII. 240.
Clemens Leopoldus Princeps Lotharingus. 338.
Clericus, Ioannes. 53. 54.
Ceva, Thomas. 270.
Cocchius, Antonius. 22. 60. 271. 273. 323. 360. 404.
Collegium Romanum. 40.
Collegium Vrbanum de Fide propaganda. 35.
Collenuccius, Pandulphus. 353.
Collicola Cardinalis. 238.
Colligianius Marcus Antonius. 175.
Columbarium Liviae Auguſtae. 140.
Columna, Fabius. 19.
Comaclenſis Eccleſia. 209.

Coma-

Comaclum. 5. 209. 213.
Comitibus, Cardinalis de. 225.
Complexiones Caſſiodori. 259.
Concilium provinciale Beneventanum. 5.
Concilium provinciale Romanum. 4.
Concilium Sipontinum. 2.
Conſtantius, Ignatius. 233.
Conſtantius, Rainutius. 218.
Conſtitutiones Synodicae Sublacenſes & Farfenſes. 36.
Contarenus, Ludovicus. 361. 362.
Contius, Iacobus. 268.
Contuccius Contuccius. 243.
Cornacchinius. 313.
Cornelia Epiſcopia, Helena. 219.
Cornelius Cardinalis. 159.
Corroborati Academici. 239.
Corſinius, Eduardus. 271.
Corſius, Antonius. 73.
Coſmas Armenus martyr. 43.
Coſmas I. Magnus Dux. 135.
Coſmas III. Magnus Dux. 10. 18. 29. 49. 78. 101. 111. 115. 123. 126. 136. 138. 142. 152. 154. 157. 160. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 177. 224. 239. 261. 262. 276. 306. 307. 308. 310.
Coſmas Pater Patriae. 134.
Cotta Auguſtinianus. 249.
Craon, Marcus De * * * *
Creſcimbenius, Ioannes Marius. 47. 54. 106. 143. 158. 160. 246.
Creſcentius, Nicolaus. 366.
Crondermus, Leſcius. 214.
Cruſca Academia. 49. 56. 63.

Cul-

Cultellinius, Auguſtinus. 49. 172.
Cuperus. 31.
Curſius Cardinalis. 225.
Cyrillus, Nicolaus. 266.

D

Dacerius. 54.
Dandinus, Hercules. 312. 404. 405.
Dandinius, Petrus. 175.
Dantes. 56 252. 287.
Datius, Carolus. 49.
Davia. Vide, Devia.
Davinius, Iohannes Baptiſta. 231.
Dazon, Filippus. 249.
Dempſterus, Thomas. 11. 15. 32. 357.
Derehamus, Thomas. 59.
Deſaguillerius. 348.
Deſiderius Monſpelienſis. 208.
Deſu, Epiphanius. 216
Devia Cardinalis. 225. 355. 356. 362. 364. 365. 369. 405.
Devia, Laura. 370.
Deza, Maximilianus. 174.
Dioſcorides. 354.
Dinguimbertus, Malachias. 65.
Diroyſius, Franciſcus. 214.
Diſſonantium Academia. 229. 230.
Dominicani. 161.
Dominica Poetria. 145.
Domninius, Philippus. 171.
Donus. 30.

Dop-

Doppelmaierus, Ioannes Gabriel. 404.
Duccius, Franciſcus Maria. 53.
Duliobus, Raynaldus. 368.
Durantius, Michael Angelus. 284.
Duvallius, Valentinus. 342. 343.

E

Elias, Maronita. 42.
Emus. 387.
Ephemerides litterariae Venetae. 103.
Ephemerides Parmenſes. 219.
Epictetus. 55.
Epicurus. 354. *
Epiſcopi Monachi habitum Monachicum deferre debent. 2.
Epiſcopi Samnii. 3.
Erythraeus, Ianus Nicius. 229.
Eſchinardus. 296.
Eſtenſi. 213. 214.
Eſtenſis, Rainaldus. 209.
Etmullerus, Michael. 186.
Etruſca Academia. 277.
Eugenius a Sabaudia. 19.
Eurindus Arcas. 247.
Euſtathius. 62. 271. 274.

F

Fabius, Chryſogonus. 215.
Fabrettus, Raphael. 8. 30.
Fabricius, Io. Albertus. 54.

Fabronius Cardinalis. 227. 306.
Facciolatus, Iacobus. 404.
Falugius, Virgilius. 16.
Fancellius. 127. 271.
Farneſia, Eliſabeth. 340.
Farneſia gens. 219.
Farſettius. 85.
Faſeolius, Ioannes Baptiſta. 105. 135. 139. 173.
Favoritus, Auguſtinus. 34.
Felicius, Ant. Franciſcus. 140.
Felicitas Carolotta Dux Mutinenſis. 230.
Felix III. Papa. 258.
Ferrarius Cardinalis. 40. 223. 225.
Ferrarius, Octavius. 91.
Ferdinandus Antonius Dux Guaſtallae. 303.
Ferdinandus II. Magnus Dux. 135. 168, 173.
Ferdinandus Princeps Etruriae. 71. 132. 135. 160. 261. 368.
Ferdinandus Valdeſius. 212.
Ferrata, Hercules. 175.
Ferrettius, Carolus. 239. 312.
Ferronia. 312.
Ferronii Marchiones. 146.
Ficinus, Marſilius. 118.
Fidelius, Bartholemaeus. 232.
Filicaria, Vincentius. 105. 173.
Flamma volans. 314.
Florentina dialectus. 156. 157.
Florentinum Muſeum. 346.
Fogginius, Ioannes Baptiſta. 176. 302. 313.
Fogginius, Vincentius. 341.
Fontana, Caietanus. 23.
Fontaninius, Iuſtus. 57. 124. 126. 210. 213. 223. 226. 257.

For-

Fortinius. 312.
Fortionius Accoltius, Petrus Andreas. 57. 173.
Fortionius Accoltus, Franciſcus. 60.
Franciſcus I. Dux Mutinae. 229.
Franciſcus II. Dux Mutinae. 230.
Franciſcus III. Dux Mutinae. 220. 221. 225. 230.
Franciſcus Maria Cardinalis ab Etruria. 127.
Franciſcus III. Magnus Dux. 304.
Franciſcus Princeps. 343.
D. Franciſcus Xaverius. 176.
Franchinius, Ioannes. 230. 313.
Frangipanis. 389.
Fratellinia. 312.
Freſcobaldius, Io. Baptiſta. 71.
Freſnoemus, Alfonſus. 311.
Fridericus Auguſtus Saxoniae Princeps. 78.
Fridericius, Franciſcus. 234.
Fridericius, Ioannes. 234.
Fromondus, Claudius. 271.
Furfureorum Academia. 172. 254. 265. 274. 283. 309.

G

Gabbianius, Ant. Dominicus. 176. 312. 313.
Gabriellus, Pyrrhus Maria. 160. 171.
Gacius, Ioannes. 285.
Galaſſius. 118.
Galenus. 89. 354.
Galeottus Corazzi. 201.
Galeſtruzius, Thomas. 60.
Gallianus, Coeleſtinus. 193. 358. 359. 365.

Galilaeius, Galilaeus. 7. 105. 131. 257. 261. 276. 287.
Galilaeius, Vincentius. 176. 313.
Gallettius, Ant. Franciſcus. 60.
Gallettus, Honorius. 384.
Galuppius, Franciſcus. 294.
Gambertius, Dominicus. 229.
Gamberuccius, Ioannes Baptiſta. 313.
Garanus. 367. 368.
Garellus, Pius Nicolaus. 192. 206.
Gaſſendus, Petrus. 170. 354. 355.
Gattola, Eraſmus. 221.
Gattus, Marcus Anton. 124. 125.
Germanus, Michael. 219.
Germonius. 126.
Gervaſonius, Angelinus. 389. 390.
Gervaſonius, Ioannes Baptiſta. 389.
Ghedinius, Ferdinandus Antonius. 357. 380. 405.
Gherardeſca, Bonaventura de, Archiepiſcopus Florentinus. 48.
Gheſolius, Ioannes. 382. 386. 387.
Ghivizanius, Alexander. 118. 136. 146. 173. 312.
Giannettaſius, Nicolaus Parthenius. 179.
Giannius, Laurentius. 96.
Gimma. 226.
Giſmundus. 398.
Gnomon Aſtronomicus Romae. 44.
Godius, Ioannes. 103.
Golardus. 348.
Gondius, Franciſcus. 60.
Gorius, Antonius Franciſcus. 11. 13. 15. 25. 31. 32. 60. 62. 121. 143. 147. 273. 274. 277. 279. 393.
Go-

Gotifredus. 331.
Gottius, Ludovicus Cardinalis. 5.
Gozia. 312.
Grandius, Guido. 127. 170. 251. 264. 270. 271. 275. 358.
Gratianus, Ioannes. 404.
Gratinius, Iulius Caeſar. 247.
Grazinius. 366.
Gregorius. 313.
Gregorius X. 113.
Graevius, Ioannes Georgius. 166. 167.
Grimaldius, Franciſcus. 248.
Grimaldus, Conſtantinus. 366.
Gronovius, Iacobus. 166. 169.
Grotius, Hugo. 267.
Guadagnius, Io. Ant. Cardinalis. 115.
Guadagnius, Leopoldus. 60. 271.
Gualterius, Nicolaus. 143. 271. 272. 309. 352. 381. 393.
Guarinius, Baptiſta. 229.
Guarnaccius, Marius. 59. 62.
Guarnerius, Ioannes Baptiſta. 203.
Guazzeſius, Laurentius. 259.
Guidius, Franciſcus. 139.
Guidus, Alexander. 37.
Guidus, Dominicus. 38.

H

Haimus. 257.
Heiſterus, Laurentius. 360. 368.
Heſiodus. 54.
Hieronymus. 240. 256.

Hieronymius, Raphael Coſmas. 5. 172.
D. Hilarius. 258.
Hippolytus, Vincentius. 205. 288.
Hippocrates. 89.
Hiſtoria Diplomatica. 255.
Hombergius. 331. 334.
Homerus. 54. 91. 229. 379. 393.
Horatius. 54.
Hortus publicus Florentinus. 21.
Hugo, Auguſtus. 207.
Humoriſtarum Academia. 34. 239.

I

Iadautus. 352.
Iannettius, Angelus. 172.
Iannettius, Fridericus. 105.
Iannettius, Paſchaſius. 170 269. 270. 284.
Ianottus, Ioannes Petrus. 310.
Ianſeniani. 44. 45.
Ieſuitae. 160.
Imperfectae plantae. 20.
Imprunetana Deiparae Imago. 78.
Infocati Academici. 108.
Inguimbert, Malachias d' 248.
Innocentius XI. 36. 91.
Innocentius XII. 37. 38. 182. 294.
Innocentius XIII. 159. 225.
Intronatorum Academia. 172. 239.
Io. Gaſto Magnus Dux. 63. 114. 126. 127.
138. 172. 309. 340. 341. 349.
Iordanus, Lucas. 176.
Iordanus, Vitalis. 37. 238.

Ioſephus Ciantes Marſorum Epiſcopus. 2. 288.
Iunkerus. 223.
Iuſtus de Comitibus. 62.
Iuvenalis. 396. 402.

L

Lacerda, Ludovicus. 182.
Laderchianae Nugae. 8. 124.
Laderchius, Iacobus. 116. 123. 124. 224.
Ladislaus Rex Neapolis. 199.
Laertius. 55.
Lambertinius, Proſper Cardinalis. 5. 375. 388.
Lanfredinius, Iacobus Cardinalis. 60. 65. 239.
Lamindus Pritanius. 211.
Lamius, Ioannes. 31. 60. 143. 274. 303. 304.
310. 348. 393. 405.
Lanciſius, Ioannes Maria. 205.
Landinius, Felix Ioſeph. 75.
Langraeus. 338.
Lapidaria Critica Ars. 258.
Lapius, Iacobus. 284. 285.
Lapius, Petrus Paulus. 360.
Lappeggium, Villa. 141.
Laurenzinius, Laurentius. 60. 98. 100. 106.
Laurenzinius, Stephanus. 60. 98.
Lazarinus, Dominicus. 57. 358. 359.
Leibnizius, God. Guil. 214. 267. 319. 320. 321.
Laelius, Hercules. 393.
Lemenius Franciſcus. 173. 214.
Lemerius. 331.
Lenziſchius, Stanislaus. 340.

Leo X. 246.
Leonarthus. 404.
Leonius, Vincentius. 247.
Leopoldus ab Etruria Cardinalis. 48. 88. 69.
Leopoldus Clemens Princeps. 343.
Leopoldus Dux Lotharingiae. 338. 339. 348.
Leopoldus Imperator. 115. 159.
Leprottus, Antonius. 355. 356. 362. 364. 365. 370. 388.
Libanius. 62.
Liburnum. 101.
Lilius, Germanicus. 149.
Lilius, Hieronymus. 57. 137. 250. 310.
Lilius, Ludovicus. 143.
Lippius, Laurentius. 62.
Lipskius Cardinalis. 246. 255.
Litrius. 360.
Livius. T. 91.
Lodolus. 386.
Londinenſis Societas. 190.
Lopez, Didacus. 169.
Luca, Ioannes Baptiſta De, Cardinalis. 35.
Lucchefius, Iacobus Antonius. 118. 139.
Luchinius, Io. Maria. 60.
Lucianus. 166.
Lucretius. 303.
Ludovicus XIV. 168.
Lunadaeus, Baptiſtà. 384.
Lutius, Benedictus. 313.
Lucus, Ambroſius. 298.

Ma-

M

Mabillonius, Ioannes. 44. 50. 54. 101. 164. 173. 209. 219. 222. 226. 263.
Machina Pneumatica. 168.
Macoppius, Alexander. 304.
Maffeius, Scipio. 54. 226. 362. 369. 370. 372. 374. 387.
Magalottius, Laurentius. 18. 54. 64. 104. 162. 284.
Maggius, Carolus Maria. 173. 212. 252. 253.
Magliabechius, Antonius. 10. 54. 55. 64. 142. 173. 209. 218. 221. 226. 262. 276. 301. 321. 349.
Magnanius, Iacobus. 60. 354.
Magnavaccha, Ioſephus. 29.
Magneſia. 360.
Magnonius. 400.
Magnus, Carolus. 337.
Maiellus, Carolus. 206.
Malpighius. 314.
Manfredius, Euſtachius. 310. 351. 358.
Manfredius, Hieronymus. 285.
Manganius, Philippus. 64.
Maratta, Carolus. 38. 39.
Maralgdus, Philippus. 44.
Marcellinius, Carolus. 176.
Marcheſellius, Carolus Franciſcus. 380.
Marchettius, Alexander. 104. 106. 168. 284.
Margarita Medicea Parmae Dux. 217.
Maria Beatrix Regina Angliae. 230.

Ma-

Mariana, Maria Agnes. 404.
Marianius, Honorius. 307.
Marmius, Antonius Franciſcus. 276.
Marmius, Ermenegildus. 348. 371.
Marſilius, Alfonſus. 107.
Marſilius, Leonardus. 160.
Martellinius, Iacobus. 7. 9.
Martellius. 60. 160. 357. 363.
Martinengus, Iacob. 145.
Martinius. 259. 366.
Maſſard, Abraham. 42.
Maſſa, Nicolaus. 390.
Maſſa, Renatus. 370.
Mattarius. 274.
Matthaeius, Lauretus. 37.
Matthiolus, Petrus. 16. 20. 354. 399.
Mauritius, Philippus. 239.
Maximilianus Bavariae Dux. 132. 137.
Mazza, Car. Angelus. 106.
Mazzacuratus. 372. 373. 374. 375.
Mecattius, Ioſeph. Maria. 60.
Medicea domus. 134.
Medices, Paullus. 173.
Medices, Franciſcus Maria. 301.
Mediobarbus, Carolus Ambroſius. 30. 31. 46.
Mediobarbus, Franciſcus. 220.
Meius, Philippus. 60.
Melanius, Dominicus. 57.
Memmius, Franciſcus. 60.
Menagius, Aegidius. 77.
Menchenius. 253.
Mengonius. 368.
Menologium. 33.
Menzinius, Benedictus. 37. 54. 105. 109. 269.

Meo-

Meolia. 312.
Mercatus, Michael. 206.
Meſcolius, Iacobus. 109.
Meslier, Franciſcus. 169.
Meſſerius, Gregorius. 180. 294.
Meſſinia, Ioanna. 312. 403.
Metaſtaſius, Petrus. 309.
Metrianus. 360.
Meuccius. 312.
Michaelius, Petrus Antonius. 12. 171. 207. 275. 366. 381. 390.
Michelottus. 404.
Miglioruccius, Lazarus Benedictus. 169.
Miro, Io. Baptiſta de. 218. 222.
Mogallius. 313.
Molinellus, Petrus. 370.
Monachi Praedicatores. 276.
Monaldius, Ant. Franciſcus. 60.
Monarchia Siciliae. 6.
Monelia, Caietanus. 60.
Monelia, Ioannes Andreas. 104. 168. 170.
Monelia, Thomas. 351.
Moneta, Benedictus. 273.
Monſacutius, Antonius. 14. 313.
Monsfalconius, Bernardus. 53. 54. 104. 173. 209. 222. 226.
Montanarius, Geminianus. 314. 315.
Montanius, Franciſcus. 59.
Montinius, Innocentius. 60. 303.
Montius, Ioſephus. 21. 206. 357. 405.
Morandius. 303.
Moranus, Andreas. 387.
Morellius. 30. 31.
Moreius, Michael Ioſeph. 140. 239. 243. 251.

Mor-

Morgagnius, Io. Baptiſta. 304. 358. 360. 365. 369. 387.
Morigia, Iacobus Anton. 98. 104.
Morinius, Antonius. 172.
Moriſonius. 399.
Moro De. 352.
Morus, Antonius. 174. 378.
Moſcarolius, Hieronymus. 248.
Morterius, Nicolaus. 126.
Mozius, Marcus Antonius. 59. 125. 136. 145. 171. 224. 263.
Muratorius, Ludovicus Antonius. 56. 62. 160. 174. 216. 223. 226. 231. 232. 234. 403. ***
Muſeum Capitolinum. 67.
Muſeum Florentinum. 32.

N

Neapolitanae Vrbis Origines. 294.
Nerlius, Franciſcus Cardinalis. 60.
Nerius, Hippolytus. 105.
Nerius, Ioannes Bonaventura. 169.
Nerius, Pompeius. 271. 273. 348. 391. 394. 405.
Nevvtonus, Henricus. 14. 94. 176.
Nevvtonus, Iſaacus. 191. 206.
Nicolinius, Antonius. 365.
Nicolinius, Ioſephus. 32.
Nigettus, Franciſcus. 63.
Noailleus Cardinalis. 6.
Nonnus Panopolitanus. 54.
Noribergenſes Clementem XI. honorant. 38.
Noriſius, Henricus. 31. 54. 60. 90. 104. 167. 169. 209. 218. 225. 261. 263.

Olgia-

O

Olgiatus, Ioſephus. 224.
Oliverius, Annibal. 315. 378. 390.
Oppianus. 54. 56.
Ordo Conſtantinianus. 258.
Oricellarius, Horatius. 57.
Oricellarius, Iulius. 12. 70.
Orlendius, Franciſcus. 116.
Orpheus. 54.
Orſi, Giuſeppe. 214.
Orville, Iacobus Philippus D' 294.
Ottierus, Franciſcus Maria. 59.
Ottobonius Cardinalis. 159.
Ovidius. 54. 303.

P

Pagliarius, Leo. 395. 396. 397.
Palafutius, Dominicus. 135. 304.
Palchettius, Pet. Salvator. 60.
Paleſius, Felix. 355.
Paliardius, Io. Maria. 99.
Panciaticus, Laurentius. 60.
Pandulfinius, Pandulfus. 64. 310.
Panzaninius, Iacobus. 171.
Papa, Ioſephus De. 64. 170. 262. 272. 284. 285. 287.
Papebrochius. 209. 223.
Paperinius, Ioannes Simon. 266.
Papinius. 319. 320. 321.

Pa-

Pariſia. 312.
Parteguelfius, Dominicus. 68.
Paſchalius. 288. 323. 387. 404.
Paſcolius, Leo. 313.
Paſinius, Marius Franciſcus. 395. 401.
Paſſioneus, Dominicus Cardinalis. 68. 223. 226.
Patinus. 30.
Patronius, Auguſtinus. 271.
Paulius, Sebaſtianus. 254.
Pavinus. 254.
Paulinus a S. Ioſeph. 404.
Peccius, Bernardinus. 153.
Pepe, Severinus. 221.
Perataeus, Ormontius. 247.
Perellius, Thomas. 351. 390. 391. 393. 405.
Perfectius, Bernardinus. 4. 118. 137. 139. 178. 238.
Perfectius, Stephanus. 149.
Pergaeus, Apollonius. 264.
Perſius. 54.
Peruzius, Bindus Io. Philippus. 59.
Peruzius, Bindus Simon. 59.
Petra, Vincentius Cardinalis. 5.
Petrarcha. 56. 91. 94. 140. 212. 287.
Pezzanghettius, Caeleſtinus. 355.
Pfitſchner, Carolus de. 340. 343.
Phaedrus. 55.
Philippuccius, Gabriel. 45.
Philippus V. 290. 306.
Phyſiocriticorum Academia. 171.
Piazza, Vincentius. 173.
Piceninus, Iacobus. 224.
Piccolominea, Conſtantia. 41.
Piccolomineus, Raynerius. 397. 398.
Pic-

Picchiantius. 313.
Pictoreggius, Franciſcus. 60.
Pindarus. 91. 356.
Pinellius. 396.
Pinius, Alexander. 175.
Piſani Profeſſores. 146.
Pius II. 41.
Pius V. 11.
Pizzius. 364.
Placentinus. 388.
Plato. 83. 357. *
Platonici. 83.
Plotinus. 55.
Plumbantius, Camillus. 60.
Plinius. 353.
Podium Caianum. 101.
Podium Imperiale. 101.
Poetae extemporales. 117. 133. 146.
Poggius, Ioannes Franciſcus. 169.
Polenius, Ioannes. 304. 358. 387.
Politus, Alexander. 271. 274. 352.
Polydorus, Petrus Donatus. 124.
Poriegetes, Dionyſius. 271.
Poſſinus, Petrus. 23.
Potamon. *
Pratenſes Praepoſiti. 80.
Pratolinium. 101.
Pratum urbs. 80.
Pratum. 109.
Pricaeus, Ioannes. 173.
Proclus. 54.
Procopius Diaconus. 34.
Propertius. 55.
Prudentius. 120.

Pſellius

Pſellus, Michael. 174.
Ptolemaeius, Celſus. 172.
Ptolemaeius, Germanicus. 160.
Ptolemaeius, Io. Baptiſta Cardinalis. 48. 159.
Ptolemaeus, Claudius. 90.
Puccius. 312. 400.
Pufendorfius, Samuel. 267.
Puliefchius. 312
Puteus, Ioſeph. 367. 378. 370.
Pythagorei. 131.

Q

Quaeſtiones Comaclenſes. 233. 234.
Quirini Academici. 65.
Quirinus, Angelus Maria Cardinalis. 5. 59. 66. 67.

R

B. Raimundus. 153.
Rainaldus Cardinalis. 230.
Rainaldus Mutinae Dux. 221. 222. 225. 229.
Rainaldus Odericus. 296.
Ramazzinius, Berardinus. 220. 230.
Ravaſinius. 226.
Recanatius. 226.
Redius, Franciſcus. 51. 54. 64. 104. 168. 284. 287. 288. 289. 312.
Regalius, Matthaeus. 285.
Regnerius Deſmareſius, Franciſcus Seraphinus. 54. 77.

Rei-

Reinold. 294.
Relandus. 54.
Renaudotus, Euſebius. 34. 174. 349.
Reſta, Ioannes Baptiſta. 365.
Reutenfelſius, Iacobus. 173.
Revillas, Didacus. 404.
Ricaſolius, Bettinius. 77.
Ricaſolius, Caeſar. 60.
Riccardius, Gabriel. 52. 85.
Riccardius, Vincentius Maria. *
Ricciardellus, Ludovicus. 380.
Riccius, Angelus Maria. 59. 60. 275.
Richecourtius Comes. 350. 401. ****
Rillius, Antonius. 60. 83. 169.
Rillius, Iacobus. 60. 114.
Rinuccinius, Carolus. 276.
Rinvigoritorum Academia. 248.
Ritus Sinenſes. 44.
Riviera, Dominicus Cardinalis. 68.
Robertius, Gaudentius. 219. 220.
Roborea, Victoria, Magna Dux. 57. 89.
Roma, Ioſeph. 404
Romanorum Imperator Ioſeph. 209.
Rondinellius, Franciſcus. 165.
Rondininius, Alexander. 35.
Roſa aurea. 119. 145.
Roſſettius, Donatus. 48.
Ruiſchius. 364.
Rudes Academici. 161.
Ruele Marianus. 247.
Ruſpoli, Principes 158.
Ruſpolius, Alexander. 158.
Ruſpolius, Bartholomaeus. 158.
Ruſſius, Petrus Antonius. 169. 296.

Ruſticius, Octavius, Epiſcopus Volaterranus. 111.

S

Sacchettinius, Franciſcus. 121.
Sacriſtanius. 312.
Sallerus, Iulianus. 128.
Salluſtius. 88.
Salvatorius, Franciſcus. 310.
Salvettius, Petrus. 98.
Salviatus, Alamannus Cardinalis. 60. 157.
Salvinius, Antonius Maria. 64. 88. 96. 104. 107. 114. 118. 120. 121. 127. 143. 160. 171. 174. 177. 262. 310. 371.
Salvinius, Salvinus. 58. 60. 120. 266. 283.
Salvius, Antonius. 104.
Sancaeſareus Cardinalis. 238.
Sanctinius, Laurentius. 373.
Sancto-Euremundo De. 174.
Sancturbanus. 352.
Sandolſius. 382. 405.
Sanmichaelius, Michael. 265.
Saxius, Ioſeph Antonius. 403.
Sbaralia. 368.
Scalettius, Io. Philippus. 60.
Scandar, Andreas. 42.
Scarfò, Io. Chryſoſtomus. 126.
Schiavo, Blaſius. 249.
Schio Comes de. 387.
Scottus, Bernardinus Cardinalis. 159.
Sectanus Q. 8. 44.
Sectanus, L. 57. 156.

Segnerius, Paullus. 106. 173. 213. 274. 387.
Segnerius, Paullus Iunior. 233.
Segnius, Alexander. 173.
Segnius. 54.
Sellerius, Gregorius Cardinalis. 5. 404.
Senenſis Dialectus. 156. 157.
Sengherus, Philippus. 99.
Sepulchretum divi Laurentii. 177.
Sergardius. 159.
Servitarum ordinis Inſtitutores. 116.
S. Severinus. 294.
Sfondratus, Cardinalis. 71. 225.
Sfortia. 353.
Sguarrius, Euſebius. 384.
Shavvius, Thomas. 207.
Sherardus, Iacobus. 21. 207.
Sibyllae ludus Florentinus. 50.
Sigonius, Carolus. 214.
Silvanus. 364.
Silvius. 313.
Simonetta, Antonius. 376.
Sluſius, Ioannes Gualterius Cardinalis. 37.
Smithius, Ioſephus. 386. 388.
Societas Botanica Florentina. 21.
Socrates. 392.
Soderinius, Petrus. 305. 312.
Soldanius, Maximilianus. 176. 313.
Sophronius, Ieroſolymorum Epiſcopus. 34.
Soria, Ioannes Albertus. 270.
Sotomaior. 266.
Spanhemius. 30. 31. 54.
Spannochius, Pandolfus. 160.
Speculum Vſtorium. 168.
Spinula Cardinalis. 238.

Staius, Ioannes. 355.
Stampilia, Silvius. 104.
Stecchius, Dominicus. 60.
D. Stephanus. 176. 273. 306. 310.
Stoſchius, Philippus. 43. 297. 298. 393.
Stroſſus, Leo. 115.
Strozza, Leo. 219. 222.
Suareſius, Franciſcus Maria. 35.
Sulier, Nicolaus. 304.
Synodicum provinciale Beneventanum. 3.
Synodus Dioeceſana Sipontina. 2.

T

Tabernemontanus. 19.
Tacconius, Caietanus. 358. 367. 368.
Tamburinius. 226.
Tanuccius, Franciſcus. 380. 381.
Targionius, Cyprianus. 168.
Targionius, Ioannes. 21. 273. 276. 346. 349. 381. 393. 402.
Taſſoni. 212. 214.
Taxus, Torquatus. 118. 229.
Teglia, Franciſcus. 106. 141.
Terentionius, Ioannes Antonius. 286.
Terentius. 120. 170.
Tereſenghius. 226.
Thalius. 19.
Theognis. 54.
Theodorus Scalptor. 100. 313.
Themantia, Thomas. 388. 389.
Theo. 90.
Theocritus. 54.

Theo-

Theophilus Vrbinas. 90.
Theophraſtus. 354.
Theopolus, Laurentius. 387.
Thieneus, Caietanus. 271.
Thomaſius, Ioſeph Maria Cardinalis. 45. 223. 225.
Thucydides. 90.
Tibullus. 55. 91.
Ticciatus. 278. 313.
Ticho Brahe. 131.
Tillius, Ioannes Baptiſta. 206.
Tillius, Michael Angelus. 21. 170.
Toccius, Petrus Franciſcus. 60.
Tollius, Iacobus. 173.
Tondellius, Franciſcus Honoratus. 158.
Tortus, Franciſcus. 214. 231.
Toſius, Hyacinthus. 60.
Tournefortius, Ioſeph Pitto. 18. 185. 399.
Tournonius, Carolus Thomas. 44. 45.
Tozzius, Bruno. 365. 371.
Tozzius, Lucas. 180. 182. 185. 186.
Tragus. 19.
Trenta, Stephanus. 60.
Triſſinus. 56.
Triumphettus, Laelius. 357.
Turcae Clementem XI. ſuſpiciunt. 38.
Tuſcherus, Marcus. 298.

V

Vagantium Academia. 300.
Vaillantius. 21. 30. 31.
Vaius, Simon. 109.

Valentinus, Onuphrius. 398.
Vallarſius, Abbas. 387.
Valeſius, Franciſcus. 297. 298.
Valle, Ioannes Baptiſta de. 387.
Valle, Petrus de. 41.
Valletta 126. 226.
Vallifnerius, Antonius. 143. 206. 226. 272. 358. 359.
Vallius, Angelus. 60. 313.
Valſalvus. 357.
Valſechius, Virginius. 169. 224. 226.
Vandembroek, Petrus Hadrianus. 48. 54.
Vareingius. 348.
Varignonius. 320.
Veberus. 313.
Venutus, Rodulphinus. 67.
Venuti Cortonenſes. 11.
Veracius, Caietanus. 311.
Veraſtus. 393.
Vecchius, Pomponius. 239.
Verſarius. 303.
Verzanius. 271.
Vffordius. 312.
Victorius, Franciſcus. 13.
Vicus. 354.
Vidania, Didacus. 182.
Villarſius, Dux. 120.
Violantes Beatrix Etruriae Princeps. 102. 119. 155. 157. 159. 271.
Virgilius. 54. 83. 91. 229.
Vitriarius. 348.
Vitruvius. 8.
Vivianius, Vincentius. 48. 90. 98. 99. 104. 105. 168. 261. 276. 326.

Vr-

Vrbanus VIII. 33.
Vriius, Ioſeph Auguſtinus. 256.
Vulgares plantae. 19.
Wagnerus, Petrus Chriſtianus. 402. 404.
Walpola Britanna. 402.
Weſtenius. 54.
Wholohouſius. 360.

X

Xenocrates. 87.
Xenophon Epheſius. 55.

Z

Zaccagnius, Laurentius Alexander. 9. 210.
Zagarolae Duciſſa. 153.
Zambeccarius, Franciſcus. 359.
Zambeccarius, Ioſeph. 170. 284.
Zannichellius. 404.
Zappata, Mauritius. 215.
Zappius. 238. 239.
Zendrinus, Bernardinus. 388. 389.
Zeno, Apoſtolus. 103. 104.
Zenobius. 393.
Zimmermannius, Tetricus. 382.
Zinnanius, Ioſephus. 390.
Zondadarus, Alexander. 160.
Zucconius, Ferdinandus. 113.
Zumma, Ioannes. 176.

AD-

ADDENDA, ET EMENDANDA

Pag. 5. lin. 17. MDCCXXVI.

15. lin. 3. Adde : *Obſervationes in tria Diptycha*.

26. lin. 15. *Atque Pales agros, oleaſque Minerva virentes*
Oblitae, immenſo doluere & rura dolore.

29. lin. 9. *Aere brevem modico vitam tolerare coactum*.
lin. 22. Poſt, MDCLXII. adde : Parentum nomina ſunt *Ioannes Blancus Bonavita*, & *Lucretia Liſia*. Sub Ieſuitis litteris operam dedit, *Glaream*que Rhetorem, praeſtantium eruditione virorum condiſcipulus, audivit. Graecas litteras, *Antonio Maria Salvinio* docente, didicit.

32. lin. 5. Poſt, deprehenduntur, adde: Illud autem ſignanter adnotandum, quum *Blancus* Mediceo Cimeliarchio praefectus eſt, & numiſmatum praecipue cura ei demandata, immenſae numiſmatum aereorum copiam ex Hiſpania adlatam fuiſſe, quae cum numis a Sereniſſimis Principibus, & a Cardinali *Leopoldo Mediceo* in primis, iam adquiſitis in ſeriem digerenda erat, non ſine magna ſedulitate, induſtria, ac labore *Blancum* eo ordine, atque iis in locis,

cis, ubi nunc cernuntur, diſpoſuiſſe, & indicibus primis iam inutilibus, alium catalogum exactiſſimum concinnaſſe; quem in dies augere & interpolare cogebatur, quod novos ſemper numos, geminis permutatis, acquireret. Sed & antiquas caelataſque gemmas a recentioribus accurate ſecrevit, auroque omnes includendas curavit, loculiſque & arcis propriis, facile reperiendas, ſpectandaſque, diſtribuit, & addixit.

Pag. 32. lin. 6. ἀποπλήξει.
34. lin. 26. proſa.
43. lin. 26. contemtis
57. lin. 5. φιλοξενωτάτου
61. lin. 27. Poſt Gallice, adde: a *Marſolerio*
62. In fine catalogi Operum *Antonii Mariae Salvinii* addenda ſunt quae ſequuntur:

Dialogi Galilaei de Mundi Syſtemate in Latinam linguam interpretatio imperfecta.

Oratio in Priapum, Italice.

Gregorii Nazianzeni carmina totidem Latinis verſibus reddita, & a Muratorio *edita.*

Iſaaci Caſauboni Syntagma de Satira in Etruſcum idioma converſum, atque editum.

Adnotationes in Italica Ioannis Caſae carmina, editae.

Boileau Artem Poeticam, & unam ex eius Satiris, Italice vertit.

Pag.

Pag. 86. lin. 14. ἔμπεσε.
97. lin. 8. MDCLXIII.
98. lin. 15. *Boudnauſenio*.
99. lin. 21. Sculptura.
101. lin. 2. pro, quaeque; lege, quae.
123. lin. 24. MDCCII.
lin. 33. quam ut *Coſmae*.
129. lin. 8. Μουσηγέτις
139. lin. 34. Muſegetidos.
143. lin. 7. atque
lin. 17. quum anno MDCCXXIII. Diarium Senenſe, opus a patre, anno praecedente vita functo, compoſitum, edidiſſet, illud *Violanti* Principi dedicavit.
164. In fine adde: *Vita & Prophetiae Brandani editae anno* 1710.
172. lin. 21. MDCXCIV.
224. lin. 8. Poſt, *Valſechium* dedit, adde: illius tamen Hypercriſeos compendium *Tomo III. Ephemeridum Litteratorum Italiae* habes.
263. lin. 24. cuderetur.
lin. 32. Mathematica
266. lin. 10. annorum
271. lin. 14. Poſt, iniunxit, adde: Comitem *Piccolomineum* Senenſem, & Liburnenſem *Deguiguem*, viros Eccleſiaſtica litteratura inſtructiſſimos, & qui omnium primi rectam optimamque Sacros Canones interpretandi rationem in Piſanam Academiam invexerunt, Iuris Canonici Profeſſores eſſe voluit.

Pag.

Pag. 273. lin. 6. *Caſparem Caietanum Ceratium*.

275. lin. 18. voluntas.

283. lin. 5. *Celeberrima*.

296. lin. 14. Inſtitutus

303. lin. 30. concentum.

304. lin. 5. convocabas

lin. 15. Poſt, occupaveris, adde: At non huiuſmodi tantum laudibus praeſtabas; Princeps Sereniſſima, quae tui ſexus indolem tantum excedere videri poſſunt, quantum virili animo ceteras feminas anteibas; verum etiam ipſis femineis ſtudiis ita eminebas, ut veſtes opere Phrygio pingere & variare mirifice noſſes, & humanos adſpectus tam affabre imitari, ut non unam tabulam ita elaboratam viderim, ſeu *Coſmam* III. Magnum Ducem, ſeu alium *Mediceum* Principem exactiſſimis lineamentis exhibentem. Quid quod cereos flores tanta naturae imitatione fingebas, ut nec pares aequaleſque frondes, nec veri vividique colores, nec forma elegans ac concinna, deſiderarentur; ſed ſubſpicientes omnes admiratione & ſtupore percellerent?

315. lin. 30. omnes

344. lin. 30. *Namque praeeſt aequus &c.*

363. lin. 8. exegit.

368. lin. 17. *Delbonius*.

374. lin. 28. tetro odore.

380. lin. 34. *Marcheſellio*.

Pag. 382. lin. 13. *Sandoſſio.*
387. lin. 5. *Maranum*
lin. 13. *Grezzanae*
lin. 17. montis Bolchae.
388. lin. 8. *Vater Spout.*
393. lin. 1. orbis bono
lin. 15. *Veratto*
396. lin. 14. horum hilum.
397. lin. 5. tum in aorta.
398. lin. 10. intactis.
lin. 24. *Paſinius.*
lin. 25. *Bertus* Sector.
399. lin. 21. *Paſirium.*
400. lin. 8. antiquitatis, rei naturalis.
404. lin. 22. Topographi

AL 1520111

Digitized by Google

Digitized by Google